

NAZIONALE
BIBLIOTECA
B. Prov.
coll.
5
114
VITT. EM III
NAPOLI


19382
BIBLIOTECA PROVINCIALE
Armadio
XIV
Palchetto
Num.° d' ordine 3





BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS



On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
REY et GRAVIER, libraires, quai des Augustins, n° 55.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. ACCII PLAUTI
COMOEDIAE



EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.



M. ACCII PLAUTI
COMOEDIAE

CUM SELECTIS VARIORUM NOTIS
ET NOVIS COMMENTARIIS

CURANTE

J. NAUDET

XLVIRO IN REGIA INSCRIPTIONUM ACADEMIA, ET HUMANIORUM STUDIORUM INSPECTORE.

VOLUMEN TERTIUM






PARSIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXII



M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

POENULUS.

DRAMATIS PERSONAE.

AGORASTOCLES, adolescens, amator Adelphasii.
MILPHIO, servus Agorastoclis.
ADELPHASIUM, } meretrices.
ANTERASTILIS, } meretrices.
LYCUS, leno.
ANTHEMONIDES, miles.
ADVOCATI.
COLLYBISCUS, villicus.
SYNCERASTUS, servus.
HANNO, Pœnus.
GIDDENEME, nutrix.
PUER.

RES AGITUR CALYDONE.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*P*UER septuennis subripitur Carthagine.
*O*sor mulierum adoptat hunc emtum senex,
*E*t facit hæredem. Ejus pueri congnatæ duæ,
*N*utrixque earum raptæ : mercatur Lycus,
*V*exatque amantem : at ille cum auro villicum
*L*enoni obtrudit : ita eum furto adligat.
*V*enit Hanno Pœnus, gnatum hunc fratris reperit,
*S*uasque agnoscit, quas perdiderat, filias.

1. *Subripitur* Agorastocles.

3. *Congnatæ duæ*, Adelphasium et Auterastilis, *raptæ* quoque fuerunt. N.

5. *Amantem*, Agorastoclem, qui cognatam a se amari non suspicatur. N.

6. *Obtrudit*, subornat qui lenonem devocet in insidias, et tanquam furti conscium damnet. N.

ALIUD ARGUMENTUM

CAMERARII.

A Pœno Pœnulus est forma diminutionis. *Pœnus* autem Φοῖνιξ. In Prologo et *Patruus* memoratur : nam Pœnus ille qui introducitur, patruus est adolescentis, cujus sunt primæ partes in fabula : res autem exposita, talis est. Quidam adolescens Carthaginiensis furtim surreptus, avehitur Calydona in Ætoliam, et ibi venditur seni civi : hic adoptavit illum, et moriens reliquit hæredem. Amabat adolescens puellam popularem et cognatam; patrui enim ea filia erat, quod ipse nesciebat : nam prædones ruri deprehensas duas parvulas filias hujus, una cum nutrice abductas, lenoni Calydonio vendiderant in Anactorio, quod nomen loci et oppidi fuit in Acarnania. Quum nihil æqui adolescens a lenone de suis amoribus impetrare posset, usus servi sui consilio, insidias fecit lenoni, ut ille furti manifesti condemnaretur. Interea indicium fit, puellas esse Carthaginienses ingenuas; et pater illarum, qui ubique gentium ipsas quærebat, advenit, et eas agnoscit, et majorem natu nuptum dat fratris filio.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

POENULUS.

PROLOGUS.

Achilem Aristarchi mihi commentari lubet.
Inde mihi principium capiam ex ea tragœdia.
Sileteque et tacete, atque animum advortite.
Audire jubet vos imperator histricus;
Bonoque ut animo sedeant in subselliis,
Et qui esurienteis, et qui saturi venerint.
Qui edistis, multo fecistis sapientius;
Qui non edistis, saturi fite fabulis.
Nam quoi paratum'st quod edit, nostra gratia,

1. *Achilem Aristarchi.* Aristarchus, poeta tragicus, æqualis Euripidis, tragœdiam Achillem scripsit: quam postea in latinum transtulit Ennius, teste Festo, in *prolato aere.* Scalig.

3. *Sileteque et tacete.* Fronto: « Silet, cujus loquentia sermo comprimitur: » ficto verbo ab *s* litera, quæ nota silentii est. « Tacet, qui ne loqui quidem cœpit. » Gron. — Videlicet hunc versum et forsan sequentem mutata ultima voce Achilles canebat. N.

5. *Bonoque animo*, nulla animi sollicitudine, qua prævertantur. N.

6. *Et qui saturi.* Ludi fiebant ante vespertinum, et disciplina tum romana vetabat quemquam de die mensæ accumbere, at prandebant. N.

9. *Edit.* Aulul. III, 2, 16. — *Nostra gratia*, junge hæc cum « incedere sessum inpransum ». N.

Nimia 'st stultitia, sessum inpransum incedere.
Exsurge, præco, fac populo audientiam.
Jamdudum exspecto, si tuum officium scias.
Exerce vocem quam per vivis et colis.
Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames.
Age, nunc reside, duplicem ut mercedem feras.
Bonum factum 'st, edicta ut servetis mea.
Scortum exoletum nequis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virgæ mutiant,
Neu designator præter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scena siet.
Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo æquo nunc stent, vel dormire temperent.

10. *Incedere.* Aulul. III, 6, 43.

11. *Exsurge, præco.* Asin. Prol. 4.

13. *Quam per.* Epid. II, 1, 4. — *Vivis et colis*, victum cultumque paras. SCHMIED.

15. *Duplicem*, scilicet pretium operæ, dein quietis fructum. N.

16. *Bonum factum 'st!* Formula solennis, edictis præfigi solita, boni ominis causa. BRISSON. — *Ut servetis*, impero; vs. 5, 29, 45.

17. *Scortum nequis.* Licet neutrius sit generis nomen scortum, tamen in eo dominatur notio mulieris, quæ trahit femininum *nequis*. Vid. Aulul. II, 1, 16. Hujusmodi enallage frequens. Horat. I, 37, 21: « fatale monstrum, quæ ». Tit. Liv. XXI, 40: « effigies imo umbræ hominum..... squalore enecti. » Id. X, 1: « capitaque conjurationis..... virgis cæsi. » — *In proscenio.* Nostrate olim theatro haud absimilis mos viguit, positis utrimque in scena subselliis, quæ trossuli et elegantiores homines sibi occuparent. Sed Romæ ea licentia fuit meretricularum, non populi ritus. N.

18. *Neu lictor*, etc. Quemadmodum dissignatores in funere publico lictores comitabantur severioris imperii causa et ordinis servandi, sic in theatris. Nam qui hoc refert ad lictores magistratuum, errat: nullæ in hac histrica provincia eorum partes. LIPS.

19. *Præter os obambulet. Obambulare*, ultro citroque ambulare est hoc loco. Neque Douzæ sententia audienda. *Præter os*, intellige histrionis. BOXHORN. — Imo præter os spectantium, nam inter subsellia, non in proscenio designatores cursitabant, ut sequente versu monstratur. N.

21. *Diu qui domi otiosi*, etc. Solebant enim spectatores summo mane, imo etiam vel nocte occupare locum. Suetonius Caligula, cap. 26: « Inquietus fremitu gratuita in circo loca de media nocte occupantium ». GRUTER.

22. *Animo æquo stent*, non ægre

Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel æs pro capite dent. Si id facere non queunt,
Domum abeant, vitent ancipiti infortunio,
Ne et heic varientur virgis, et loris domi,
Si minu' curassint, quum veniant heri domum.
Nutrices pueros infanteis minutulos
Domi ut procurent, neu quæ spectatum adferant,
Ne et ipsæ sitiant, et pueri pereant fame,
Neve esurienteis heic quasi hœdi obvagiant.
Matronæ tacitæ spectent, tacitæ rideant,
Canora heic voce sua tinnire temperent.
Domum sermones fabulandi conferant,
Ne et heic viris sint et domi molestiæ.
Quodque ad ludorum curatores adtinet,
Ne palma detur quoiquam artifici injuria,
Neve ambitionis causa extrudantur foras,
Quo deteriores anteponantur bonis.

ferant, si stare nunc opurteat; nam omnibus non datum considere. Vid. Captiv. Prol. 12.—*Dormire temp.* Citius a lecto surgere discant.

23. *Obsideant*, occupent præ liberis subsellia.

24. *Æs pro capite.* Cf. Pers. I, 1, 37.

26. *Varientur.* Cf. Mil. II, 2, 61. — *Virgis.* Vid. vs. 18.

27. *Si minu' cur.* Vid. Menæchm. V, 6, 5 sqq.

29. *Ut proc.* vers. 16. — *Neu quæ*, neque quæquam.

33. *Tinnire temper.* Has facetias Cl. *Lemercier* ingeniose laudavit in suis prælectionibus de poetica dramaticæ rei t. II, p. 275-280. Scilicet non solus Plautus oblocutiones matronarum in ludis tinnulas elusit. Novius Exodio apud Nonium voc. *Argutari:* « Quando ad ludos venit, alii quum tacerent, totum diem argutatur, quasi cicada ». N.

34. *Domum sermones fabulandi.* Quam proclive est rescribere *fabulando*, aiunt. Certe, si *domi* legeretur. Sed differunt *conferre sermones fabulando*, et *domum conferre sermones fabulandi.* Nam est alius sermo fabulandi, alius objurgandi, alius orandi, alius deprecandi, alius literarum, ut Pseud. I, 1, 98. Gronov. — *Conferant.* Curcul. II, 3, 11. N.

36. *Ludorum curatores.* Vide quæ adnotavimus ad Asin. Prol. vs. 3.

37. *Palma detur.* Amph. Prol. 69-75.

38. *Ambitionis causa.* Amph. Prol. 71, 74, 76. — *Extrudantur*, boni histriones. N.

Et hoc quoque etiam, quod pæne oblitus fui:
Dum ludi fiunt, in popinam, pedisequi,
Inruptionem facite; nunc dum obcasio 'st,
Nunc dum scribilitæ æstuant, obcurrite.
Hæc inperata quæ sunt pro inperio histrico,
Bonum, hercle, factum, pro se quisque ut meminerit.
Ad argumentum nunc vicissatim volo
Remigrare, æque ut mecum sitis gnarures.
Ejus nunc regiones, limites, confinia
Determinabo; ei rei ego sum factus finitor.
Sed nisi molestum 'st, nomen dare vobis volo
Comœdiai: sin odio 'st... dicam tamen,
Siquidem licebit per illos, quibus est in manu.
Carchedonius vocatur hæc comœdia,
Latine Plautus: Patruus pultiphagonides.

43. *Scribilitæ. Scribilita* vel *scriblita*, genus placentæ. *Scriblita* eo fortasse appellata est, quod qui eam fingit, tanquam scribit: aut quod esset notis quibusdam signata, et tanquam scripta videretur. TURN.

44. *Pro inperio.* Amph. Prol. 21.

45. *Bonum*, etc. Vid. vs. 15.

47. *Gnarures.* Vulgo *ignarures*, quod sic explicat Turnebus: Istud *ignarures* ἀπροσδιόνυσον risum excitavit, quum contrarium ejus exspectaret populus. Et verum tamen dixit: nam sane non minus ignorabat regiones, limites, confinia, quam ignarissimus de populo. Cf. Mostell. I, 2, 17. *Ignarures* turbat metrum et, venia Turnebi dixerim, sententiam. N.

48. *Ejus*, argumenti; ellipsis pro « regiones in quibus fabula geritur, cujus argumentum edisseram ».

49. *Finitor.* Dicitur proprie qui, colonia deducta, agris in novos colonos divisis et adsignatis, fines constituit. Sic et Cic. Orat. II de lege agrar. « Finitorem mittant, ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus sit, renuntiaverit ». Ibid. « Decemviri cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum juventute ». GRON.*

51. *Dicam tamen*, lusus præter exspectatum post « sin odio 'st », cujusmodi sexcenties vidimus. N.

52. *Illos*, ædiles. — *Quibus est in manu.* Amph. Prol. 80.

54. *Patruus Pultiphagonides.* Latine inscripsit Pœnulum: ergo *Pultiphagus* Carchedonius est, seu Pœnus. Pœnos pultiphagos fuisse, argumento est puls, quæ a Pœnis Punica vocata est, cujus faciendæ rationem docet Cato. Non ergo *Pultiphagus* pro Romano intelligendus (quod vult doctiss. Turn.), sed Pœnus, ut dictum. SCALIG. — Mureto et aliis quibusdam placebat legi: « Latine Plauti patruus

Nomen jam habetis; nunc rationes cæteras
Adcipite: nam argumentum hoc heic censebitur.
Locus argumento'st suom sibi proscenium.
Vos juratores estis; quæso, operam date.
Carthaginienseis fratres patrueleis duo
Fuere, summo genere et summis divitiis:
Eorum alter vivit, alter est emortuus.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi seni, qui mortuus est, filius
Unicus qui fuerat, abditivus a patre,
Puer septuennis subripitur Carthagine,
Sexennio priu' quidem, quam moritur pater.
Quoniam periisse sibi videt gnatum unicum,
Conjicitur ipse in morbum ex ægritudine.
Facit illum hæredem fratrem patruelem suum.

pultiphagonidæ ». Quam lectionem nec probare possum, quum nimis longe abeat a scripta lectione omnium codicum. Idem sensus manet ex vulgata : « Latine Plautus, patruus pultiphagonides ». Carchedonius Græce vocatur hæc comœdia, Latine Plautus, inscripsit scilicet, « patruus pultiphagonides », i. e. « patruus Pœnulus ». Non enim soli pultiphagi Romani, sed etiam Pœni. Unde pultis genus apud Catonem, cui nomen *Punica*. Salm.

55. *Rationes cæteras.* Quod restat de rationibus declarandis, ut fit in censu. Sic Augustus conscripsit « rationarium imperii ». Hoc loco metaphoram poeta sumsit a censu, ut Cistell. I, 3, 40, a computandi more. N.

57. *Proscenium.* Ita Lucret. IV, 1180: « Postscenia vitæ », eleganti tralatione appellat actiones quas celant homines. Vox Romana civitate donata, ut *Prologus*, *antelogium*, *elogium*. Gifan. —*Suom sibi.* Captiv. Prol. 5. Gifanius intelligit *proscenium* per catachresin illud quod datur ante (πρὸ) fabulam in scena agendam; duriusculum. An poeta voluit: « ut apud tribunal censorum bona civium censeri solent, sic argumento censendo locus est idoneus proscenium » ?

58. *Vos juratores estis.* Non testes, sed censores dicti juratores, qui jurejurando adigebant in censu cives. Vide quæ diximus Observ. IV, 3. Pessime Dissaldæus *viatores*. Gron. — *Operam dat.* Curcul. II, 2, 9.

65. *Abditivus*, qui crevit a patre separatus. N.

70. *Fratrem*, qui mox veniet Calydonem et suas sibi filias filiumque fratris agnoscet. N.

Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico.
Ille qui subripuit puerum, Calydonem avehit.
Vendit eum domino heic diviti quoidam seni,
Cupienti liberorum, osori mulierum.
Emit hospitalem is filium inprudens senex
Puerum illum, eumque adoptat sibi pro filio;
Eumque hæredem fecit, quom ipse obiit diem.
Is illeic adulescens habet in illisce ædibus.
Revortor rursus denuo Carthaginem:
Si quid mandare voltis, aut curarier,
Argentum nisi qui dederit, nugas egerit;
Verum qui dederit, magi' majores egerit.
Sed illi patruo hujus, qui vivit senex,
Carthaginiensi duæ fuere filiæ;
Altera quinquennis, altera quadrimula,
Cum nutrice una periere. A Megaribus

71. *Sine viatico.* Jocatur. Solebant enim tumbis mortuorum imponere viaticum, aurum, et pretiosa vasa, putantes sine his animas nusquam posse diverti. Aristoph. in Ran. 141 duorum obulorum meminit, qui essent πορθμήϊον Charontis : postea ad triobulum excrevit. GOLDAST.

75. *Hospitalem*, hospitis sui, hominis quocum erat hospitio conjunctus. Vid. infra V, 1, 25. Eodem modo dicitur « filia herilis » Cistell. IV, 2, 83. N.

78. *Habet.* Cf. Aulul. Prol. 5. Vulgo *habitat*, metro minus commodum. — *In illisce ædibus*, demonstrat Agorastoclis domum. N.

79. *Revortor rursus.* Ita Sueton. Cæsare : « Rursus repetita Bithynia ». Ita alibi : « Ergo igitur » : πάλιν αὖ, ὕστερον αὖθις, etc. Quæ licet speciem habeant βαττολογίας, atque ἐκ παραλλήλου dicantur, usitatissima tamen sunt. CASAUB.

80. *Si quid mandare*, etc. Ludit hac reversione Carthaginem, quasi vers esset, et se offert, qui mandata procuret, si quis curandum habeat in hac urbe negotium. Sed officiosam ita pollicetur operam, ut argenti, seu mercedis, seu sumtus necessarii causa, postulet. Denique vs. 83 ultro denudat jocose conscientiam; namque spectatores monet futurum ut, si quis dederit argentum, frustra dederit. Quid ita? hic nunc qui loquitur prologus, servus est, furax, rapax, fugax. N.

86. *Una*, simul. — *Periere.* Cf. Captiv. III, 4, 5. — *A Megaribus.* Appianus Punicis, lib. I : « locus est peramplus in urbe (Carthagine) Megara, mœnibus contiguus... Megara consita erant hortis

Eas qui subripuit, in Anactorium devehit,
Venditque has omneis, et nutricem et virgines,
Præsenti argento, homini, si leno'st homo,
Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo.
Vosmet nunc facite conjecturam cæterum,
Quid id sit hominis, quoi Lyco nomen siet.
Is ex Anactorio, ubi prius habitaverat,
Huc conmigravit in Calydonem haud diu,
Sui quæsti causa : is in illis habitat ædibus.
Earum hic adulescens alteram ecflictim perit.
Suam sibi congnatam inprudens, neque scit, quæ ea
Sit, neque unquam tetigit; ita eum leno macerat:
Neque quidquam cum ea fecit etiamnum stupri,
Neque duxit unquam; neque ille voluit mittere;
Quia amare cernit, tangere hominem volt bolo.
Illam minorem in concubinatum sibi
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.
Sed pater illarum Pœnus, postquam eas perdidit,
Marique terraque usquequaque quæritat.
Ubi quamque in urbem est ingressus, inlico
Omneis meretriceis, ubi quisque habitant, invenit;

et arbustis, distincta etiam maceriis et sepibus vivis aliisque sentibus, rivis quoque flexuosis interfluentibus ». N.

87. *Anactorium*, oppidum Acarnaniæ. LAMB.

90. *Sacerrumo*, i. e. exsecrabili, ut hoc Virgiliano : « auri sacra fames ». LAMB.

92. *Quid id sit hominis.* Vid. Amph. II, 2, 137. — *Lyco*, i. e. lupo. Non plane intelligebant, qui literas græcas, ut postea Marius, nunquam didicerant. N.

94. *Haud diu*, haud ita pridem.

95. *Quæsti*, ut *senati*; vetus.

96. *Hic.* Vid. Cistell. I, 2, 14.

97. *Inprudens*, idem valet quod quæ sequuntur, « neque scit, etc. »

100. *Duxit.* Vid. Bacchid. IV, 10, 6. — *Ille*, Lycus. — *Mittere.* Cf. Asin. I, 3, 19. N.

101. *Tangere hominem volt bolo.* « Tangere bolo » dictum ut illud apud Nonium : « patrem argenti talento tetigi », i. e. circumveni. Tangere enim hic fallere est. Trucul. Argum. « ingenti militem tangat bolo ». Tralatio ducta a piscatoribus. TURN.

107. *Quisque.* Vid. Aulul. II, 1, 16. — *Invenit*, adit. N.

Dat aurum, ducit noctem; rogitat postibi,
Unde est, quojatis, captane an subrepta sit,
Quo genere gnata, qui parenteis fuverint.
Ita docte atque astu filias quærit suas.
Et is omneis linguas scit; sed dissimulat sciens
Se scire: Pœnus plane est. Quid verbis opu'st?
Is heri huc in portum navi venit vesperi.
Pater harum idem huic patruus adulescentulo'st.
Jamne hoc tenetis? si tenetis, ducite:
Cave, dirumpatis. Quæso, sinite transigi.
Eheu! pene oblitus sum reliquom dicere.
Ille qui adoptavit hunc pro filio sibi,
Is illi Pœno hujusce patruo hospes fuit.
Is hodie huc veniet, reperietque heic filias;
Et hunc sui fratris filium, ut quidem didici ego.
Ego ibo, ornabor; vos æquo animo gnoscite.
Hic qui hodie veniet, reperiet suas filias,
Et hunc sui fratris filium. Dehinc cæterum
Valete, adeste. Ibo: alius nunc fieri volo.
Quod restat, restant alii qui faciant palam.
Valete, atque adjuvate, ut vos servet Salus.

112. *Sciens*, prudens, de industria. N.

116. *Tenetis*. Ambigue luditur, significatione *intelligere* et dominante sensu. Cf. Curcul. I, 1, 45, et infra III, 1, 62. Alludit hoc loco ad ludum puerorum qui ducebant sparteam restem, et tamdiu trahebant, donec aut rumperent, aut alteruter, amissa funis prehensione, in nates caderet. SCALIG.

117. *Dirumpatis*, similiter jocus anceps in illo, quod si referas ad *ducite*, pergit quasi de reste loqueretur, si ad sequens, sonat quasi nolit actionem abrumpi, antequam finita sit. GRON. — *Transigi*, finiri, credo, hunc prologum qui cœptus est agi. Vid. Amph. III, 1, 8. N.

121. *Is*, Pœnus.

123. *Ornabor*, personam et ornamenta ad tuendas quas habeo in fabula partes induam. Cf. Amph. Prol. 116. — *Gnoscite*. Spectantes, quasi judices, sedebant. Vid. Amph. ibid. 16, 65-74. N.

126. *Adeste*, sitis propitii et faventes. I. q. vs. 128, « adjuvate ».

128. *Salus*, dea; cf. Mostell. II, 2, 80.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

PŒNULUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

AGORASTOCLES, MILPHIO.

AGOR. Sæpe res multas tibi mandavi, Milphio,
Dubias, egenas, inopiosas consili,
Quas tu sapienter, docte, et cordate, et cate
Mihi reddidisti opiparas opera tua,
Quibus pro benefactis fateor deberi tibi,
Et libertatem et multas grateis gratias.
MILPH. Scitum 'st, per tempus si obviam it, verbum vetus:
Nam tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet,
Gerræ germanæ, atque, edepol, liroe liroe.

7. *Scitum 'st*, etc. Verbum vetus illud est: *Gerræ et liroe.* Quod aperte ostendunt illa: *quod dici solet.* Et quamvis illud, *Gerræ, liroe,* etc. tam magni momenti non sit, ut tanta cum præfatione proferri debuerit, apparet tamen servum jocari; et quod magno conatu cœperat, in risum desinere: non aliter atque ipse æstimabat orationem adolescentis. Jam, « per tempus si obviam it », est, si suo loco et tempore in mentem venit: aut si opportune objicitur in responsionibus. PISTOR.

9. *Liroe liroe.* Plautus scripserat, λῆροι λῆροι, vel *leroe, leroe. Delirus* autem et *delirare*, quod hic appli-

Nunc mihi blandidicus es, heri in tergo meo
Treis facile corios contrivisti bubulos.
AGOR. At amans per amorem si quid feci, Milphio,
Ingnoscere id te mihi æquom 'st. MILPH. Haud vidi magis.
Et nunc ego amore pereo : sine te verberem,
Item ut tu mihi fecisti, ob nullam noxiam :
Post id locorum, tu mihi amanti ingnoscito.
AGOR. Si tibi lubido 'st aut voluptati, sino,
Suspende, vinci, verbera, auctor sum, sino.
MILPH. Si auctoritatem postea defugeris,
Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.
AGOR. Egone istuc ausim facere præsertim tibi?
Quin si feriri video te, extemplo dolet.
MILPH. Mihi quidem, hercle. AGOR. Imo mihi. MILPH. Istuc mavelim.
Sed quid nunc tibi vis? AGOR. Cur ego apud te mentiar?
Amo inmodeste. MILPH. Meæ istuc scapulæ sentiunt.
AGOR. At ego hanc vicinam dico Adelphasium meam,
Lenonis hujus meretricem majusculam.
MILPH. Jampridem equidem istuc ex te audivi. AGOR. Disferor

cant, aliam originem habet, et credendum Velio Longo et Plinio, XVIII, 20, id a lira rustica esse deductum. Vide G. Vossium in Étymologico. GRON.

12. *Per amorem.* Sic Aulul. IV, 10, 15, excusat se « vini vitio atque amoris ».

13. *Haud vidi magis.* Genus quoddam loquendi ironicum, quo utebantur, quum ostendere volebant, id quod dixisset alius, sibi non probari : neque ita esse, ut ille dixisset. Hic quidem perinde est, ac si diceret irridens servus : « Nihil vidi unquam æquius ». Quum ex contrario intelligi velit, iniquissimum esse. Dixerat quippe adolescens, quod per amorem servum verberasset pridie : « Id sibi ignosci æquum esse ». MURET.

16. *Post id locorum.* Cf. Casin. I, 1, 32.

19. *Auctorit, def.* Si nolueris te auctorem rei præstare, respondere vadimonio. Conf. Terent. Eunuch. II, 3, 97. N.

20. *Dissolutus* a vinculo susceptæ auctoritatis. N.

25. *Inmodeste,* insane, ultra modum.—*Scapulæ sentiunt.* Vid. v. 11.

27. *Majusculam.* Majorem natu, sed ipsam quoque adolescentulam. N.

Cupidine ejus: sed lenone istoc Lyco,
Illius domino, non lutum 'st lutulentius.
MILPH. Vin' tu illi nequam dare nunc? AGOR. Cupio. MILPH. En! me dato.
AGOR. Abi, dierectus. MILPH. Dic mihi vero serio:
Vin' dare malum illi? AGOR. Cupio. MILPH. Hem! eumdem me dato.
Utrumque, faxo, habebit, et nequam et malum.
AGOR. Jocare. MILPH. Vin' tu illam hodie sine damno et dispendio
Tuo, tuam libertam facere? AGOR. Cupio, Milphio.
MILPH. Ego faciam ut facias: sunt tibi intus aurei
Trecenti numi Philippei. AGOR. Sexcenti quoque.
MILPH. Satis sunt trecenti. AGOR. Quid facturus? MILPH. Tace.
Totum lenonem tibi cum tota familia
Dabo hodie dono. AGOR. Quid facturus? MILPH. Jam scies.
Tuus Collybiscus nunc in urbe 'st villicus,
Eum hic non gnovit leno: satin' intellegis?
AGOR. Intellego, hercle: sed quo evadas nescio.
MILPH. Non scis? AGOR. Non, hercle. MILPH. At ego jam faxo scies.
Ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat,
Dicatque se peregrinum esse ex alio oppido;

30. *Lutum 'st.* Pers. III, 2, 10; impurus dicitur pro nequam. N.

31. *Vin' tu illi nequam dare.* *Nequam* veteres usurpabant pro nequitiâ et malo, quum etiam in homine malo et improbo poneretur, unde jocus hic ex ambiguo: quum enim dixisset: « Vin' illi dare malum », i. e. incommodare, ut, qui respondet, intellexit: quasi tamen de se improbo servo loquutus, præter exspectationem subjecit: « En! me dato »; qui nequam sum. TURNEB.

32. *Dierectus.* Bacch. IV, 1, 7.

41. *Quid facturus?* Jam dixerat Milphio quid esset facturus, nempe se totum lenonem cum tota familia hodie daturum dono. Sententia ergo et ordo poscunt, ut hic scribatur: « qui id facturus? » quomodo id effectum dabis? BOXH. —

Se amare velle, atque obsequi animo suo.
Locum sibi velle liberum præberier,
Ubi nequam faciat clam, ne quis sit arbiter.
Leno ad se adcipiet auri cupidus inlico :
Celabit hominem et aurum. AGOR. Consilium placet.
MILPH. Rogato, servos veneritne ad eum tuus.
Ille me censebit quæri : continuo tibi
Negabit : quid tu dubitas, quin extempulo
Dupli tibi auri et hominis fur leno siet ?
Neque id unde efficiat, habet : ubi in jus venerit,
Addicet prætor familiam totam tibi :
Ita decipiemus fovea lenonem Lycum.
AGOR. Placet consilium. MILPH. Imo etiam, ubi expolivero,
Magis hoc tum demum dices : nunc etiam rude 'st.
AGOR. Ego in ædem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio.
Aphrodisia hodie sunt. MILPH. Scio hoc. AGOR. Oculos volo
Meos delectare munditiis meretriciis.
MILPH. Hoc primum agamus, quod consilium cepimus.
Abeamus intro, ut Collybiscum villicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.
AGOR. Quamquam Cupido in corde vorsatur, tamen
Tibi auscultabo. MILPH. Faciam ut facto gaudeas.

Tace. Conf. Curcul. I, 1, 84.

48. *Se amare velle.* Quid hoc sit locutionis et sententiæ mirum videtur novis, sed antiquis non videbatur. Cf. Asin. Arg. acrost. 1. — *Obsequi animo.* Cf. Bacch. III, 3, 12. N.

49. *Locum sibi velle liberum. Locus liber*, ubi remotis interpellatoribus et arbitris, aliquis voluptati operam dare potest. TURNEB. — Vide et notas Asin. V, 2, 17.

50. *Arbiter.* Captiv. II, 1, 24.

51. *Ad se*, apud se.

56. *Dupli tibi auri.* Dupli pœna in eum constituatur, et auri, et hominis, id est, servi surrepti nomine. LAMB. — Fur publicus quadrupli, privatus dupli damnabatur. N.

57. *Efficiat*, tantum pecuniæ colligat. N.

59. *Decipiemus fovea lenonem.* Sumtum a rusticis, qui cæca fovea facta, lupos capere solent. ERN.

60. *Expolivero.* Mil. IV, 4, 37.

62. *Nisi quid vis.* Conf. Asin. I, 1, 95.

Inest amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam potest.
Itaque hic scelestus est homo leno Lycus,
Quoi jam infortuni intenta balista 'st probe,
Quam ego haud multo post mittam e balistario.
Sed Adelphasium, eccam, exit, atque Anterastilis.
Hæc est prior, quæ meum herum dementem facit.
Sed evocabo : heus, i foras, Agorastocles!
Si vis videre ludos jucundissumos.
AGOR. Quid istuc tumulti 'st, Milphio! MILPH. Hem amores tuos,
Si vis spectare. AGOR. O multa tibi di dent bona,
Quom mihi hoc obtulisti, tam lepidum spectaculum!

SCENA SECUNDA.

ADELPHASIUM, ANTERAST. MILPHIO, AGORASTOCLES, ANCILLA.

ADELPH. Negoti sibi qui volet vim parare,
Navem et mulierem, hæc duo conparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negoti
Habent, forte si obceperis exornare.
Neque unquam satis hæ duæ res ornantur,
Neque eis ulla ornandi satis satietas est.

71. *Damno*, jactura pecuniæ. Curcul. IV, 1, 11.

72. *Scelestus*, ambigue et improbus et infelix. N.

74. *Balistario.* Balistarium locus est unde balistæ mittebantur. Turnebus, lib. V, 6. Vid. not. Captiv. IV, 2. Lipsius in Poliorc. lib. III, cap. 2, non pro loco, sed pro machina ipsa. TAUBM.

76. *Hæc est prior.* Vult dicere : Adelphasium, quam priorem nominaverat, amari ab hero suo Agorastocle. MRUNA.

78. *Ludos.* Gallice, *spectacle.*

1. *Negoti vim*, multum negotii. Hoc et seqq. vss. more Plautino mulier de se loquitur ipsa quæ ab alio dici deceat. Verius Terentius Heaut. II, 2, 11. Vid. inf. vs. 40. N.

4. *Habent*, præbent, ἔχουσι. N.

Atque hæc ut loquor, nunc modo docta dico.
Nam nos usque ab aurora ad hoc quod diei'st,
Ex industria ambæ nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi : et una
Binæ singulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos lavando, eluendo, operam dederunt :
Adgerundaque aqua sunt viri duo defessi.
Apage, sis, negoti quantum in muliere una est!
Sed vero duæ, sat scio, maxumo uni
Populo quoilubet plus satis dare potis sunt :
Quæ nocteis diesque omni in ætate semper
Ornantur, lavantur, tergentur, poliuntur.
Postremo, modus muliebris nullus est,
Neque unquam lavando et fricando scimus

7. *Modo.* Acidalius *domi*, melius. Cf. Cistell. II, 1, 2. N.

8. *Ad hoc quod d.* ad hanc diei horam. N.

9. *Ex industria*, volentes, imo intenta cura. N.

11. *Poliri, expoliri.* Lucil. « Sador, subellor, desquamor, punicor, ornor, Expilor, pingor ».

14. *Adgerundaque aquo*, etc. Viri illi qui lavantibus meretricibus aquam aggerebant, Latine *aquarii* vel *aquarioli* vocitabantur. Spartian. in Comment. « aquam gessit, ut lenonum minister », i. e. aquarius fuit. Festus : « aquarioli dicebantur mulierum impudicarum sordidi asseclæ ». *Bocariones* etiam appellati isti aquarioli, a bacarione, quod vasis erat genus aquarii, longiore manubrio : « trullam quidam appellabant », inquit Festus. Eo aquam in balneis hauriebant mediastini, quam super lavantes jactarent et funderent, ad eos perfundendos et eluendos. Hinc *bocariones* aquarioli dicti, qui hujusmodi munus obibant in domo lenonia, et lavantibus meretriculis ministrabant. Glossæ : *bacario*, πορνοδιάκονος. Vas huic rei serviens in balneis, ἀρύταινα Græce, et ἀρύβαλλος dicebatur, ἀπὸ τοῦ ἀρύειν καὶ βάλλειν ὕδωρ, ut censet Pollux : inde et βαλλάδες et βαλλίωνες. SALM.

17. *Potis sunt.* Lego *potessunt*, ut Ennius, Annal. XVII : « Spero, si speres quidquam prodesse potessunt ». Nam *potessunt*, sunt potes. MERULA.—At *potis* grammatici docent id fuisse et indeclinabile. N.

21. *Scimus facere.* Scripti omnes libri habent, *facere enniam*, vel *en iom*. Scripsit proximo præcedente versu : « Postremo modus muliebris nullus est ». Sequitur : « neque unquam lavando et fricando scimus facere em. Nam quæ elauta est ». Ubi *em* posuit ἀρχαϊκῶς pro eum, ut *ibus* pro iis. « Modus, in-

Facere*. Nam quæ elauta est, nisi
Perculta est, meo quidem animo, quasi inlauta est.
ANT. Miror equidem, soror, te istæc sic fabulari,
Quæ tam callida et docta sis et faceta.
Nam quom sedulo munditer nos habemus,
Vix ægreque amatorculos invenimus.
ADELPH. Ita est : verum hoc unum tamen cogitato :
Modus omnibus in rebus, soror, optumum 'st habitu.
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.
ANT. Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi,
Quasi falsa muriatica esse autumantur
Sine omni lepore, et sine suavitate,
Nisi multa aqua usque et diu macerantur;
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis : item nos sumus.
Ejus seminis mulieres sunt; insulsæ
Admodum, atque invenustæ sine munditia et sumtu.
MILPH. Coqua est hæc quidem, Agorastocles, ut ego
opinor :
Scit muriatica ut maceret. AGOR. Quid molestus?
ADELPH. Soror, parce, amabo; sat est istuc alios dicere
nobis,
Ne nosmet nostra etiam vitia loquamur.

quit, nullus est muliebris, neque enm scimus facere fricando et lavando ». Plautinum est, modum lavando facere, pro *modum lavandi*. Ita enm alibi sciu loquutum. Sequitur : « Nam quæ elauta est ». Nam nisi modus adhibeatur lavandi, ea quæ nimis elauta est, nec tamen se perfectam putat, pro illauta est habenda. SALMS.—Meursius pro *scimus facere* legit *sumus saturæ*. Alii retinent *facere*, addito *pausum*, vel *modum*. Salmasii conjectura probabilior. N.

23. *Nisi perculta 'st*. Hoc quid sit ipsa mihi videtur explicare vs. 88 seqq. N.

32. *Muriatica*. Aliud est *muria*, aliud *garum*. Nam *muria* ex thynnurum, *garum* ex scombrorum tabe conficiebatur : quæ et liquaminis nomine, et liquoris sociorum vocabatur. Et *muria* pauperum tantum erat : contra *garum* divitum : unde et *fastosum* a Martiale, XIII, epigr. 102, vocatur. A muria arida ταρίχη piscium vocarunt Romani, quæ omnino uno nomine Septemtrionalium lingua hodie dicuntur *stockfish*. Nam nisi diu aqua mace-

ANT. Quiesco. ADELPH. Ergo amo te : sed hoc nunc responde mihi.
Sunt heic omnia quæ ad deûm pacem oportet adesse?
ANT. Omnia adcuravi. AGOR. Diem polchrum et celebrem et venustatis plenum!
Dignum Veneri, pol, quoi sunt Aphrodisia hodie!
MIL. Ecquid gratiæ, quom huc foras te evocavi? jam non
Me decet cado donari vini veteris? dic dari.
Nihil respondes? lingua huic excidit, ut ego opinor : quid heic, malum,
Adstans obstupuisti? AGOR. Sine amem : ne obturba, ac tace.
MILPH. Taceo. AGOR. Si tacuisses, jam istuc, Taceo, non gnatum foret.
ANT. Eamus, mea soror. ADELPH. Eho, amabo : quid illo nunc properas? ANT. Rogas?
Quia herus nos apud ædem Veneris mantat. ADELPH. Maneat, pol : mane.
Turba'st nunc apud aram : an te ibi vis inter istas vorsarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,
Miseras, schœno delibutas, servolicolas sordidas?

rata, non coquuntur. SCALIGERUS.

42. *Amo te*, mihi gratum facis.

45. *Veneri*, p. Venere. Captiv. IV, 2, 27.

46. *Ecq. gratiæ, quom*. Qualem gratiam mihi referes ob id, quia, etc. N.

47. *Dic*, jube.

48. *Malum*. Amph. I, 1, 247.

54. *Prosedas*. « A prosedendo in meritoriis vel fornicibus », Isid. « Prostibula » alibi hæ meretrices dicuntur, « quod ante stabulum stant, quæstus diurni ac nocturni gratia », ut ait Nonius : tametsi non semper steterint meretrices, interdum enim sellis insidebant : ut vel ex hoc Plauti loco liquet. Juven. Sat. VI : « Et dubitas alta Chionem deducere sella? » Ubi commentator : « Inde sellariæ dicuntur, etc. » WOUW. — *Alicarias*. « Alicariæ meretrices appellabantur in Campania, solitæ ante pistrina alicariorum versari, quæstus gratia ». Festus. Idem ibidem : « Alica dicitur, quod alit corpus ». GRON.

55. *Schœno delibutas, servolicolas*. *Scœno* sine aspiratione scriben-

Quæ tibi olant stabulum statumque, sellam et sessibulum merum :
Quas adeo haud quisquam unquam liber tetigit, neque duxit domum :
Servolorum sordidulorum scorta diobolaria.
MILPH. (hæc mulieribus non auditus). I in malam crucem : tun' audes etiam servos spernere,
Propudium ? quasi bella sit, quasi eampse reges ductitent.
En monstrum mulieris ! tantilla tanta verba funditat,

dum : nam Sabini dicebant *scænum* pro *cænum* : ut *scælum* pro *cælum*, et *scæna* pro *cæna* : hinc *obscænus*, scœno sive cœno obnoxius : manifesto retentus in composita voce Sabinismus. Quin imo et hoc argumento esse potest, quod eruditi lectores dictionem æquipollentem, sed notiorem (*cæno*) substituerunt. Jam autem illa de *schæno*, unguento nescio quo, meræ nugæ sunt. Sane ut hic « scœno delibutas », ita alibi *lutulentas* et *immundas* nominat. Trucul. IV, 4 : « Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam ». Et Syncerastus de lenone inferius : « neque tam luteus, neque tam cœno collitus ». Non vero mirum voce Sabina eum uti, quum ex Macrobio discamus, Romanos multa Tuscorum, Oscorum, Sabinorumque finitimorum vocabula usurpasse. MEURS. — Vid. fr. Astrabæ.

56. *Stabulum.* Vide ad vs. præced. Isidori enarrationem. — *Statumque.* Simplex pro composito, i. e. actionem prostandi, bis idem nunc dicit loco et habitu personæ, ut duobus post « sellam et sessibulum ». N.

57. *Duxit domum.* Bacchid. IV, 10, 6.

58. *Servolorum sordidul. scorta diobolaria.* Meretriculæ diobolares, vilissimi generis, quæque merebant binos obulos, hoc est, dupondium : id enim, ut opinor, declamator apud Senecam innuit, VI Controversiarum : « Itane decem juvenes perierunt propter dupoudios duos ? » J. GUL.

59. *I in malam crucem.* Aulul. III, 3, 11.

60. *Reges*, sæpe opulentissimi homines, non solum ii qui regnent. Sic Rud. IV, 2, 26 : « mercaturam faciam; apud reges rex prohibebor ». Terent. Eunuch. I, 2, 88 : « reges et regiuæ ». Phorm. I, 1, 20 : « regem me esse oportuit », i. e. divitem. — *Ductitent.* Fere semper frequentativo notio inest cupientis, conantis aliquid facere magis quam facientis. Amph. II, 2, 175, *dormitare*. Asin. I, 1, 20, *pransitant*. Cistell. IV, 2, 14, *gnoscitabo*. Curcul. IV, 4, 12, *territes*. Mil. II, 3, 41, *venditat*. Virg. Æn. II, 444, *prensant*. N.

61. *Monstrum.* Aliquid præter naturam, hoc loco pulchritudinis sensu. Nempe quod monstretur admirando. — *Tantilla tanta*, etc. Adeo ferox est muliercula, tantilla mulier tanta verba funditat. N.

Quojus ego nebulæ cyatho septem nocteis non emam.
AGOR. Di immortaleis omnipotenteis, quid est apud vos polchrius?
Quid habetis, quî mage immortaleis vos credam esse, quam ego siem,
Qui hæc tanta oculis bona concipio? nam Venus non est Venus.
Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet posthac propitia.
Milphio, heus Milphio, ubi es! MILPH. Assum apud te, eccum. AGOR. Ego elixus sis volo.
MILPH. Enim vero, here, facis delicias. AGOR. De te quidem hæc didici omnia.
MILPH. Etiamne ut ames eam quam nunquam tetigeris? nihil illuc quidem 'st.
AGOR. Deos quoque, edepol, et amo et metuo; quibus ego tamen abstineo manus.
ANT. Heu, ecastor, quom ornatum adspicio nostrum ambarum, pœnitet
Exornatæ ut simus. ADELPH. Imo vero sane conmode.
Nam pro herili et nostro quæstu satis bene ornatæ sumus.

62. *Quojus ego nebulæ cyatho.* *Nebulam* pro re nihili ponebant : unde et *nebulones*. Persius : « Grande loquuturi nebulas Helicone legunto », id est, nugas et inania et nugacia poetarum figmenta, fumis et nebulis simillima. TURN.

65. *Venus non est Venus.* Comparandi per hyperbolen formula. Sic Asin. I, 2, 8 : « nam mare haud est mare; vos mare acerrumum ». N.

66. *Venerabor.* Bacch. II, 1, 4. —*Amet* h. l. non sensu voluptario, sed religioso, ut hac formula : « te di ament! » N.

67. *Assum.* Consulendum est auribus et materiæ : ita hic Plautus, quando jocatur, maluit *assum* dicere quam *adsum* : ut subinferret, *elixum volo*. SCALIG. — Cf. Most. V, 1, 66.

68. *Facis delicias*, τρυφᾷς, rebus secundis elatus, jocaris. LAMB. — Ingeniose argutaris, scurram geris. Casin. III, 1, 14.

69. *Illuc*, i. q. illud. Vulgo, « nihil illic quidem est », nullo sensu, nisi velis Milphionem hæc aversum ad spectatores de hero dicere. Tum *illic* i. q. ille. N.

71. *Pœnitet.* Aul. III, 2, 20.

Non enim potest quæstus consistere, si eum sumtus superat, soror.
Eo illud satiu'st satis quod satis est habitu, quam quod plus sat est.
AGOR. Ita me di ament, ut illa me amet malim, quam di, Milphio.
Nam illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest.
MILPH. Pol, id quidem haud mentire : nam tu es lapide silice stultior,
Qui hanc ames. AGOR. At vide, sis, cum illa nunquam limavi caput.
MILPH. Curram igitur aliquo ad piscinam, aut lacum, limum petam.
AGOR. Quid eo opu'st? MILPH. Ego dicam : ut illi et tibi limem caput.

74. *Consistere*, stare, bene fieri.

75. *Eo illud*, etc. Vulgo, « Eo illud satiu'st satis quod satis est, habitus plus quam sat est », intricatissima sententia, quam facile non satis intellectam transpositis verbis librarii conturbaverint. Acidalius, Salmasius, Douza, denique Bothius pauca dissentientes nobis auctores fuere, ut locum sanaremus, cujus hic sensus : Illud satis quod vere satis est mihi videtur satius habitu, quam quod plus quam satis est. Bothius, « satis quod satis est », absonum censet, priusque igitur delevit. Sed Gronovius illud tuetur : « interdum τὸ *satis* minuit rem, et est quodammodo non satis. Ut quum Catoni de Re Rust. cap. 137, *bonus locus* est primus, *satis bonus* secundus, inde *tertius*. Quum eidem et Ciceroni in secundo de Officiis extremo « satis bene pascere » est non tantum, quantum bene pascere, sed mediocriter, ut interpretatur Columell. præf. lib. VI. Et ad Atticum, II, ep. 19, *satis boni*, non tam boni quam boni simpliciter, et in III de Orat. 22 : « Orator *sat bonus* intra bonum ». Intelligendum igitur : « Illud *satis*, quod est, non minus justo, ut interdum est, sed *satis*, id est, omnino sufficiens ». N.

78. *Lapide stult.* Mil. II, 2, 82.

79. *Limavi caput. Limare caput*, conjungere, Nonius interpretatur. Sed *conjungere* ex eo significat, quod qui amatores cum amica caput jungunt, tanquam terunt et limant sese mutuo fricando, dum osculantur. Vetus Lex. *sociare* explicat. TURN.

81. *Ut illi limem caput.* Jocatur ex ambiguo, quasi Agorastocles *limare*, pro limo inquinare et conspurcare accepisset.

AGOR. I in malam rem. MILPH. Ibi sum equidem. AGOR. Pergis? MILPH. Taceo. AGOR. At perpetuo volo.
MILPH. Enimvero, here, meo me lacessis ludo, et delicias facis.
ANT. Satis nunc lepide ornatam credo, soror, te tibi viderier:
Sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi
Erit cordolium, si quam ornatam melius forte conspexeris.
ADELPH. Invidia in me nunquam ingnata 'st, neque malitia, mea soror:
Bono ingenio me esse ornatam, quam auro multo mavolo.
Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
Bonam ego quam beatam me esse nimio dici mavolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram:
Magisque meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet.
Polchrum ornatum turpes mores pejus cœno conlinunt:
Lepidi mores turpem ornatum facile factis conprobant.
AGOR. Eho tu, vin' tu facinus facere lepidum et festivom? MILPH. Volo.
AGOR. Potesne mihi auscultare? MILPH. Possum. AGOR. Abi domum, ac suspende te.
MILPH. Quamobrem? AGOR. Quia jam nunquam audibis verba tot tam suavia.

82. *Ibi sum*. Sum apud malam rem, nempe te, vel tua facta. — *At perpetuo volo*. Perpetuam taciturnitatem, cum aliqua argutia interpreteris *mortem*. Alias nullas video delicias, quas facere dicitur Agorastocles. ACIDAL.

90. *Quam beatam*. *Beatos* olim vocabant, qui abundarent opibus. Et Græci nonnunquam homines copiosos εὐδαίμονας vocant. Catullus Carm. « O quantum est hominum beatiorum! » MURETUS.

91. *Pudorem*. Quis sit meretricius pudor satis priora expeditum faciunt. Nam pudor est modus in rebus, certi denique fines. Virgil. Ecl. VII, 44: « Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci ». Græce ἀναιδὴς (Iliad. E, 593) significat i. q. justo major, modum excedens. N.

94. *Conprobat*, probabilem, acceptum faciunt. N.

Quid tibi opu'st vixisse? ausculta mihi modo, ac supende te.
MILPH. Siquidem tu es mecum futurus pro uva passa pensilis.
AGOR. At ego amo hanc. MILPH. At ego esse et bibere. ADELPH. Eho tu, quid ais? ANT. Quid, rogas?
ADELPH. Viden' tu, pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mihi?
ANT. Imo etiam in medio oculo paulum sordi 'st. ADELPH. Cedo, sis, dexteram.
AGOR. Ut tu quidem hujus oculos iulotis manibus tractes ac teras?
ANT. Nimia nos socordia hodie tenuit. ADELPH. Qua de re, obsecro?
ANT. Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Primæ ut inferremus ignem in aram. ADELPH. Ah! non facto 'st opus:
Quæ habent nocturna ora, noctu sacruficatum ire obcupant:
Priusquam Venus expergiscatur, prius deproperant sedulo
Sacruficare: nam vigilante Venere si veniant eæ,
Ita suut turpeis, credo, ecastor, Venerem ipsam e fano fugent.

99. *Pro uva passa pensilis.* Alludil ad uvas, quæ sæpe suspenduntur, ut passæ fiaut. Horat. Sat. II, 2: « ... tum peusilis uva secuudas Et uux oruabat uienses ». TURN. — Sic auclor Priap. « Uvis aridior puella passis ». Et Græci hominem exsuccum ἀςαφίδα vocaut. Lucill. *passos senes* dixil, Persius *apricos.* SCALIG.

100. *Esse et bibere* amo. — *Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7.

104. *Ut tu*, etc. Indiguans hæc dicit Auterastili, at seorsim et inauditus. Istæne manus diguæ sunt quæ illius oculos contrectent? N.

105. *Ante lucem.* Et *officii* et *sacri* causa mature evigilaudum fuit. CASAUB.

107. *Nocturna ora.* Malim legere *noctuina ora*, a noctuis avibus deformibus et inauspicatis ita appellata; quomodo Curcul. I, 4, 3, *noctuini oculi* dicuntur. BOXHORN. — *Nocturna*, i. e. quæ claram lucem reformidant, qua turpitudo sua illustretur. N.

110. *Ita.* Captiv. III, 5, 16.

AGOR. Milphio. MILPH. Edepol, Milphionem miserum! quid nunc vis tibi?

AGOR. Obsecro, hercle, ut mulsa loquitur! MILPH. Nihil nisi laterculos,

Sesamum, papaveremque, triticum, et frictas nuceis.

AGOR. Ecquid amare videor? MILPH. Damnum, quod Mercurius minume amat.

AGOR. Namque, edepol, lucrum amare nullum amatorem addecet.

ANT. Eamus, mea germana. ADELPH. Age, sis, ut lubet: sequere hac. ANT. Sequor.

AGOR. Eunt hæ: quid si adeamus? MILPH. Adeas. AGOR. (Adelphasio.) Primum prima salva sis:

(Anterastili.) Et secunda tu secundo salve in pretio: (ancillæ) tertia

Salve extra pretium. ANC. Tum, pol, ego et oleum et operam perdidi.

112. *Laterculos. Laterculus* genus pistorii operis, a forma, in quam fingitur, vocati. Sic Apul. X: « hic panes, crustula, lucunculos, hamos, latereulos: plura scitamenta mellita ». TURN.

113. *Sesamum*, etc. Sesamum, vel principem locum obtinebat inter bellaria. Papaverem quoque ex eodem numero fuisse, patet vel ex Petronio: « Mellitos verborum globulos, et omnia dieta faetaque tanquam papavere et sesamo aparsa ». Jam ex tritico multa placentarum genera et olim fiebant, et hodie fiunt; et ut amygdalæ, sic et nuces frictæ ex melle in secundis mensis apponebantur. Sic cicer frictum, sic fabam frictam ex melle edebant. MURET. — *Frictas*. Hoc a *frigo*, *is*.

114. *Damnum*. Sic fundi calamitatem servus vocat herilem amicam, Terent. Eunuch. I, 1, 34. — *Mercurius*. Quippe qui lucris præest, et mercatorum deus. Cf. Amphit. Prolog. init.

115. *Namque, edepol, lucrum*, etc. Amantem enim oportet esse munificum, atque adeo profusum. GRONOV.

116. *Age, sis, ut lubet*. Locutio consentientis. Age, eamus, ut lubet tibi.—*Sis*. Amph. I, 1, 130. N.

119. ANC. *Tum, pol, ego et oleum et operam perdidi*. De ornatu intelligo, quo se in festo Aphrod. procul dubio ancilla non minus esse pulchram voluit, quam hera. Ideo ait, si tam extra pretium sum, operam perdidi, quum me ornavi. PISTOR. — Proverbialis locutio ab opificibus sumta, qui ad lucernam operantur. N.

AGOR. Quo te agis? ADELPH. Egone? in ædem Veneris. AGOR. Quid eo? ADELPH. Ut Venerem propitiem.
AGOR. Eho, an irata'st? propitia, hercle, est: vel ego pro illa spondeo.
ADELPH. Quid tu agis? quid mihi molestus, obsecro? AGOR. Ah! tam sæviter.
ADELPH. Mitte, amabo. AGOR. Quid festinas? turba nunc illei est. ADELPH. Scio.
Sunt illei aliæ, quas spectare ego, et me spectari volo.
AGOR. Quî lubet spectare turpeis, polchram spectandam dare?
ADELPH. Quia apud ædem Veneris hodie est mercatus meretricius.
Eo conveniunt mercatores: ibi ego me ostendi volo.
AGOR. Invendibili merce oportet ultro emtorem adducere,
Proba merx facile emtorem reperit, tametsi in abstruso sita 'st.
Quid ais tu? quando illei apud me mecum caput et corpus copulas?
ADELPH. Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiserit.
AGOR. Sunt mihi intus nescio quot numi aurei lymphatici.
ADELPH. Deferto ad me, faxo actutum constiterit lymphaticum.

122. *Quid tu agis?* Ita Camerariana. Amantum enim more eam attrectando morabatur. LAMB. — Dixisset, ut aliæ multæ ea mente: « ne me attigas » : sed ironice nunc solennem compellandi formulam adhibet (cf. Aulul. I, 2, 39). Sic respondet, quomodo fere ipsam ille compellavit vs. 120. Neque Agorastocles tantum audebat. Vid. vs. 136, 137. N.

123. *Amaba.* Casin. I, 1, 49.

124. *Illei.* Amph. Prol. 133.

125. *Quî lub. polchr. spect. dare.* Hæc explicantur vss. 128, 129. N.

130. *Quid ais tu?* Aul. IV, 9, 7.

131. *Orcus ab Acheronte.* Vide Mostell. II, 2, 68.

132. *Numi lymphatici.* Antiquis *lymphare* idem quod *oblucinare* erat, utrumque ἐνθουσιάζειν et furore corripi. Ergo *numos lymphaticos* dixit Plautus νυμφιῶντας, qui in bulga continere se non possunt: quales prodigorum esse solent. HEINS.

133. *Deferto ad me.* Furiosi in medici domum deferebantur qui eos curaret. Vid. Menæchm. V, 5,

MILPH. Bellula, hercle! AGOR. I, dierecte, in maxumam malam crucem.

MILPH. Quam magis adspecto, tam magis est nimbata, et nugæ meræ.

ADELPH. Segrega sermonem : tædet. AGOR. Age, sustolle hoc amiculum.

ADELPH. Pura sum : conperce, amabo, me adtrectare, Agorastocles.

AGOR. Quid agam nunc? Si sapias, curam hanc facere conpendi potes.

ADELPH. Quid ego nunc te curem? AGOR. Quid agis, Milphio? MILPH. Ecce odium meum.

44-53. — *Constiterit lymphaticum.* Adelphasium pollicetur medicinam, seque effecturam, ut si ad se deferantur lymphatici nummi, consistant, quietique reddantur, sanato furore et lymphatico morbo. Sic Cicero dicit : « Ejus mentem non consistere », qui furore et vecordia percitus est : qui enim furiosi sunt, jactantur et agitantur, neque vel corpore vel animo conquiescere possunt. TURN.—Forsan et similitudine nominis lymphatici cum lympha currente luserit, quum dicat se facturam ut consistat. N.

135. *Est nimbata.* Nimbus erat fascia frontalis : nam quum frons parva inter formæ decora reputaretur, ut magnitudinem dissimulare possent, nonnullæ formæ studiosæ nimbis eam imminuebant. Arnob. lib. II : « Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis, fuligine oculos inumbrarent ». Et hos ipsos nimbos tam callide dissimulabant, ut ægre cognosci possent. Inde est, quod dicat hic Milphio, meretricem quo attentius intueretur, eo magis videri nimbatam. Imbuebant enim colore eodem, qui esset capillorum : unde fasciæ coloriseæ osce a vetere poeta nuncupantur, i. e. *coloriæ.* MEURS. — Docte, ni fallor ipse, errat Meursius. Nam quid ad hanc rem frontales nimbi? sed Milphio meretricem spernere voluit, et nimbo, scilicet vanæ rei, eam assimilavit, quam modo noluerat vel nebulæ cyatho emtam, vs. 62. N.

137. *Pura sum.* Dum jubet Agorastocles, ut amiculum, quod humum verrebat sustollat; et ipse illud tollere annitens, paullo licentius Adelphasium attrectabat : quod ægre ferens puella, rogat, id ne faciat, quum sit a viro pudica. LAMB. — Cf. Asin. IV, 1, 61.

139. *Quid ego nunc te curem?* Hæc quæ vulgo Agorastocli dantur, sic videntur absona. Itaque mutare docti laborarunt vel « Quid ego nunc curem? » vel « Quid? ego non te curem? » quia *nunc* et *non* facile MSS confunduntur. Sed hæret oratio, si et antecedentibus et sequentibus eam concinnare ten-

Quid me vis? AGOR. Cur mihi hæc irata est? MILPH. Cur hæc irata est tibi?
Cur ego id curem? namque istæc magis tua 'st curatio.
AGOR. Jam, hercle, tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis,
Quam mare est olim, quom ibi alcedo pullos educit suos.
MILPH. Quid faciam? AGOR. Exora, blandire, expalpa. MILPH. Faciam sedulo.
Sed vide, sis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea.
AGOR. Non faciam. ADELPH. Nos eamus nunc: (ad Agorastoclem) etiam morare? male facis.
Bene promittis multa, ex multis omnia incassum cadunt.
Liberare juravisti me haud semel, sed centies.
Dum te exspecto, neque usquam aliam mihi paravi copiam,
Neque istuc usquam adparet: ita nunc servio nihilo minus.
I, soror: (ad Agorastoclem) abscede tu a me. AGOR. Perii, eho! quid agis, Milphio?
MILPH. Mea voluptas, meæ deliciæ, mea vitia, mea amœnitas,
Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum savium,
Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus.
AGOR. Mene ego illæc patiar præsente dici? discrucior miser,
Nisi ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnuficem rapi.

taveris. Nodus solvitur, si præscribis AD. pro AG., et Agorastoclis partes a verbis « quid agis? » rursus incipere facis. Nam sic fastidium et repulsam amicæ passus ad servum convertitur. N.

143. *Alcedo.* Cf. Casin. Prol. 26.

151. *I, soror.* Veni, abeamus.

152-53. *Mea voluptas.* Cf. Asin. III, 3, 74-77, 101-104. N.

154. *Colostra.* « Colostra sive Colostrum, lac novum in mammis ». Nonius. Martial. lib. XIII, 38 : « Subripuit pastor quæ nondum stantibus hædis De primo matrum lacte colostra damus ».

155. *Illæc patiar dici?* Vid. inf. 174-79. — *Discrucior miser*, *Nisi*, etc. Formula jurandi, quasi dicat : volo me in crucem agi, nisi. Sic Pers. IV, 9, 1 : « nisi ego illunc hominem perdo perii ». N.

156. *Quadrigis.* Forma proverbialis quæ summam celeritatem significat. Cf. Amph. I, 1, 294, et Asin. II, 2, 13. N.

MILPH. Noli, amabo, subcensere hero meo causa mea.
Ego faxo, si non irata es, nimium pro te dabit;
Atque te faciet ut sis civis Attica atque libera.
ADELPH. Quin abire sinis? quid vis tibi? qui bene volunt, bene visitem.
MILPH. Si ante quidem mentitus est, nunc jam dehinc erit verax tibi.
ADELPH. Abscede hinc, sis, sycophanta. MILPH. Pareo: at scin' quomodo?
Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem savium.
Jam, hercule, ego faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam.
Atque hic me ne verberet (illud faciet, nisi te propitio)

157. *Causa mea.* Id gratia mea concede, ut illi non succenseas.

158. *Ego faxo*, etc. Vulgo, « Si non ego faxo, irata es, nimium pro te dabit », perperam, repugnantibus MSS, qui exhibent « Ego faxo, si non irata es nimium (vel ninnium) pro te dabit ». Unde docti lectionem quam reddimus effecerunt. Turnebus pro *nimium* posuit *numulum*, quod ingeniose Lambinus explicat quasi servus mulierem irrideat quam tantuli æstimet. At Gronovius censet retinendam MSS lectionem *nimium* i. q. multum, latine quidem et scripto obsequenter, ac minus comice. N.

160. *Bene visitem.* Veterum librorum et vera scriptura est: *Bene visitem.* Benevolentes mihi bene et blandis oculis aspicio. Cum bonis et faventibus mihi bene ago. *Visito* idem est quod *video.* « Visere, visitare, videre, cupide intueri ». Ita Glossæ Papiæ. BOXHORN. — Recta est scriptura librorum. Nec scribendum cum Turnebo, *bene vis item*, aut cum Lipsio, *benefici sient.* SALMAS. — De frequentativo vide I, 2, 60.

162. *Sycophanta.* Amph. I, 3, 8. — *Scin' q.* Aulul. II, 4, 28.

163. *Prendam auric.* Inter ceteras antiquæ vetustatis blanditias, observandum est hoc osculi genus, quo solebant pueri parentes aut alios, vel amantes inter se, alterius auribus apprehensis, osculari. Id illi χύτραν sive *ollam* vocabant: credo quod in eo gestu, ut caput ollæ, ita aures ansarum formam referre videbantur. Pollux, lib. X: Λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν. « Ollam prehensis osculare auribus, etc. » Inter Latinos hoc osculi genus primum expressit Plautus hoc loco, et Asin. III, 3: « prehende auriculis: compara labella cum labellis ». CANTER.

165. *Ne verberet (illud faciet).* Et hic Muretum secuti sunt: atque ita sane in codice Academico video. Non temere tamen est, quod Turnebi, Lambini, Camerariani

Male formido: gnovi ego hujus mores morosi malos.
Quamobrem, amabo, mea voluptas, sine te exorarier.
AGOR. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiæ
Exturbo oculos atque denteis: hem voluptatem tibi,
Hem mel, hem cor, hem labellum, hem salutem, hem savium!
MILPH. Impias, here, te: oratorem verberas. AGOR. Jam istoc magis.
Et jam ocellum addam, et labellum, et linguam. MILPH. Ecquid facies modi?
AGOR. Siccine ego te orare jussi? MILPH. Quomodo ergo orem? AGOR. Rogas?
Sic enim diceres, sceleste: hujus voluptas, te obsecro:
Hujus mel, hujus cor, hujus labellum, hujus lingua, hujus savium,
Hujus colostra, hujus salus amœna, hujus festivitas,
Hujus colostra, hujus dulciculus caseus, mastigia,
Hujus cor, hujus studium, hujus savium, mastigia;
Omnia illa quæ dicebas tua esse, ea memorares mea.
MILPH. Obsecro, hercle, te, voluptas hujus, atque odium meum,
Hujus amica mammeata, mea inimica et malevola,

codices consentiunt exhibendo *illum faciat:* non quasi hoc explicandum censeam, ut illi tentarunt, et infeliciter: sed quod sub hoc corrupto putem longe aliud latere. Vide an sit: « Atque hic me ne verberabilem faciat, nisi te propitio, male formido ». Utitur eadem voce in Aulularia. GRUNUV. — Bothius vult, « Atque hic me ne verberullum faciat nisi t. p. », conficto joci causa nomine ut homullus ab homo, catullus a catus, etc. N.

168. *Homo triboli*, nihili.

169. *Hem voluptatem. Hem* i. q. ecce, vel sequente casu accusandi, vel nullo, est sæpe ictum impingentis, Asin. II, 4, 25. N.

171. *Oratorem.* Orator hic pro legato ponitur, qui sacrosanctus et inviolabilis jure gentium est. Ideo ait *impias te*, i. e. piaculo obstringis te, grande nefas facis. GRON.* — *Jam istoc magis*, eo magis te verberabo ob id quod dicis, quia orator datus a me lusorem gessisti, vide vs. 273. N.

174. *Diceres*, ut inf. vs. 179, *memorares*. Cf. Pers. IV, 6, 26.

Oculus hujus, lippitudo mea, mel hujus, fel meum,
Ut tu huic irata ne sis; aut, si id fieri non potest.....
Capias restim, ac te suspendas cum hero et vostra familia.
Nam mihi jam video propter te victitandum sorbilo,
Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito,
Propter amorem vostrum. ADELPH. Amabo, men' prohibere postulas,
Ne te verberet, magis quam ne mendax me advorsum siet?
ANT. Aliquid huic responde, amabo, conmode, ne inconmodus
Nobis sit : nam detinet nos de nostro negotio.
ADELPH. Verum. Etiam tibi hanc amittam noxiam unam, Agorastocles.
Non sum irata. AGOR. Non es? ADELPH. Non sum. AGOR. Da ergo, ut credam, savium.
ADELPH. Mox dabo, quom ab re divina rediero. AGOR. I ergo strenue.
ADELPH. Sequere me, soror. AGOR. Atque audin' etiam? Veneri dicito

184. *Copias restim*, etc. Vulgo hæc attribuunt Adelphasio, quod lusum comicum perturbat, atque orationem. Et enim sic nullum habent sensum : « nam mihi jam, etc. » sed ridiculum elicitur e joco præter exspectatum. Quippe postquam servolus procax submisse incepit orare, et addidit : « Aut si fieri non potest », exspectatur aliqua vel despondentis animi, vel querentis misere deprecatio, sed in maxumam malam crucem jubet eam ire cum lenone importuno. N.

185. *Victitandum sorbilo.* Video mihi propter te vapulandum et gemendum. Suspiria enim et gemitus vapulantium imitantur spiritum sorbentium. TURNEB.—Rectum est, *victitandum sorbilo :* a verbo sorbeo, *sorbilo*, sorbilare. Unde et nomen *sorbilum* pro sorbitione, ut a *monstro* monstrum, et similia. SALMAS.

191. *Verum.* Adsentientis particula passim est, *verum.* Terent. Eun. II, sc. 3 : « Comites sequnti scilicet sunt virginem? CH. Verum ». Ubi Donatus notat, inceptivam esse particulam, non relativam : at, melius dicerent, affirmativam esse. Frequens illi Comico : et valet idem prorsus, quod *imo.* ACIDAL. — Conf. Menæchm. V, 7, 35.

193. *Mox dabo.* Si nunc daret, non esset pura. Cf. supra vs. 137. — *Quom ab re divina r.* Vid. sup. vs. 137.

194. *Audin'.* Menæch. II, 2, 36.

Multam meis verbis salutem. ADELPH. Dicam. AGOR. Atque hoc audi. ADELPH. Quid est?
AGOR. Paucis verbis rem divinam facito : atque audin'? respice.
ADELPH. Respexi. AGOR. Idem, pol, Venerem credo facturam tibi.

SCENA TERTIA.

AGORASTOCLES, MILPHIO.

AGOR. Quid nunc mihi es auctor, Milphio? MILPH. Ut me verberes,
Atque auctionem facias : nam impunissume
Tibi quidem, hercle, vendere hasce ædeis licet.
AGOR. Quid jam? MILPH. Majorem partem in ore habitas meo.
AGOR. Supersede istis verbis. MILPH. Quid nunc vis tibi?
AGOR. Trecentos Philippos Collybisco villico
Dedi dudum, priusquam me evocasti foras.
Nunc obsecro te, Milphio, hanc per dexteram,
Perque hanc sororem lævam, perque oculos tuos,
Perque meos amores, perque Adelphasium meam,
Perque tuam libertatem. MILPH. Hem nunc nihil obsecras.
AGOR. Mi Milphidisce, mea conmoditas, mea salus,

197. *Idem, pol, Venerem.* Cf. Captiv. IV, 2, 54.

2. *Auctionem* ædium tuarum.

4. *M. part. in ore habit. meo.* Ita cum ore meo tuæ manus consueverunt, ut quasi ea sit illis habitatio. N.

9. *Sororem lævam.* Lepida figura. Omnia enim paria vocabant *fratres* aut *sorores.* Martial. l. XIV, epigr. 148 : *lodices sorores.* Auctor Moreti : « Interdum fessæ succedit læva sorori, Alternaque vices ». Tertull. de Anima, cap. 51 : « Corpus et anima sorores substantiæ ». GRUTER.

11. *Nihil obsecras.* Servus eam obtestationem vanam dicit, quia liber nunquam sit futurus, et perpetuam sibi servitutem ominatur. *Nihil*, i. e. rem quæ nulla est. ACID.

12. *Milphidisce.* Diminutivum

Fac quod facturum te esse promisisti mihi,
Ut ego hunc lenonem perdam. MILPH. Perfacile id quidem 'st.
I, adduce testeis tecum; ego intus interim
Jam et ornamentis meis et sycophantiis
Tuum exornabo villicum; propera atque abi.
AGOR. Fugio. MILPH. Meum 'st istuc magis opficium, quam tuum.
AGOR. Egone, egone, si istuc lepide ecfexis..... MILPH. I modo.
AGOR. Ut non ego te hodie..... MILPH. Abi modo. AGOR. Emittam manu.....
MILPH. I modo. AGOR. Non, hercle, meream..... MILPH. Vah! abi modo.
AGOR. Quantum Acheronte 'st mortuorum. MILPH. Etiamne abis?
AGOR. Neque quantum aquæ est in mari. MILPH. Abiturusne es?
AGOR. Neque nubis quantum. MILPH. Pergin' pergere?
AGOR. Neque stellæ in cælo. MILPH. Pergin' aureis tundere?

blaudiloquom, ut a Lampadiooe Lampadiscus Cistell.—*Mea conmoditas.* Cf. Epid. V, 1, 8, et Asin. III, 3, 65. N.

16. *Ornamentis meis*, scilicet de meo, non mutuo sumtis. Pers. I, 3, 79. Forsan hoc loco metaphorice usurpatom vocabolum. N.

18. *Istuc*, quod dicis, facere me magis decet. Cf. Asin. II, 2, 113.

19-22. *Egone, egone*, etc. Largus verborum, operæ parcus adolescens servo grandia velle polliceri videtur, cujus, quum vaniloquum expertus eum ooverit, sermonem fastidiose ioterrumpit. Hic est uno tenore sermo: egone, ut non te emittam manu, si hoc effeceris, nou, hercle, velim accipere, etc. Cf. Asin. V, 2, 36, et Meoæchm. I, 3, 34. — *Quantum Ach.* Scilicet rem magni pretii nominare debuit, sed perjursm mentem ultro ipse arguit vanitate rerum quas sibi mercedis loco propositas imaginatur. Etenim mortuorum thesaurus, quantos quantus est, quid est? pulvis et umbra. Neque plus sigoificant nubes et stellæ. N.

24. *Pergin' pergere?* Ergone obstinate pergis loqueudo nogas? Battologia. N.

AGOR. Neque hoc, neque illuc, neque.... enim vero serio.
Neque, hercle, vero: quid opus est verbis? quippini!
Quod uno verbo dicere heic quidvis licet....
Neque, hercle, vero serio: scin' quomodo?
Ita me dii amabunt.... viu' bona dicam fide?
Quod heic inter nos liceat.... ita me Jupiter....
Scin' quam? vide tu: crediu', quod ego fabuler?
MILPH. Si nequeo facere ut abeas, egomet abiero.
Nam isti quidem, hercle, orationi OEdipo
Opus est conjectore, qui sphingi interpres fuit.
AGOR. Illic hinc iratus abiit: nunc mihi cautio'st,
Ne meamet culpa meo amori objexim moram.
Ibo atque arcessam testeis, quando amor jubet
Meo obedientem me esse servo liberum.

26-32. *Enim vero, serio. Neque, hercle, vero.* Affirmat, negat, delirat. Nam delirantes amatores fingere Plauto haud semel placuit. Conf. Cisteilar. II, 1, 36-45, et Mercat. V, 2, vs. 94-110. N.

36, 37. *Nunc mihi cautio 'st,* etc. Nunc agam quod mihi agendum est. Cavere debeo, ne ipse mihi amanti morando obsim. N.

ACTUS SECUNDUS.

LYCUS, ANTHEMONIDES.

LYC. Di illum infelicent omneis, qui post hunc diem
Leno ullam Veneri unquam inmolarit hostiam,
Quive ullum turis granum saerufieaverit.
Nam ego hodie infelix, dis meis iratissumis,
Sex inmolavi agnos, nec potui tamen
Propitiam Venerem facere uti esset mihi.
Quoniam litare nequeo, abii illinc inlico
Iratus, vetui exta prosecarier;
Neque ea adspicere volui, quoniam non bona
Aruspex dixit; deam esse indignam credidi.
Eo pacto avaræ Veneri polchre adii manum.

4. *Dis meis irat.* Ablativo, non dativo casu positum.

7. *Litare*, καλλιερεῖν, vel, nt ait Macrob. lib. III, cap. 5, « facto sacrificio numen placare ». Veteres eo verbo nai, quum grata acceptaqne diis sacra fnisse intelligerent. *Sacrificare* igitur est offerre sacrum, et veniam poscere : *litare* est propitiare, et votum impetrare : non qnidem ἀπὸ τῶν λιτῶν, id est, *a precibus* : sed a *luere*, id est, solvere. Varro Hecatombe : « In quo ego, ut puto, quoniam est lnere, solvere, lutavi ». TURNEB.—Conf. Sueton. Cæs. 81.

8. *Prosecarier.* Exta cocta solebant prosecare : unde et *prosecta* dicebantur, ac partem adolebant, partem consecrabant, sacerdotibusque dabant : partem sibi apponebant. Sic lnstralibua extis vescuntur ap. Virg. Æn. VIII. Suet. in Ang. 1 : « semicrnda exta rapta foco prosecuit ». Ovid. Fast. VI : « Inde nbi libavit, prosecta snb æthera ponit, etc. » TURNEB. — Nonius : « Prosecta, exta quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta ». Facete autem dictum : quasi probe sese nltus sit leno; quod, quum non litasset, exta deo non reddiderit, vel ibi frandulentus. TAUBM.

11. *Adii manum.* Mihi videtur *adire manum alicui*, dici si quis alteri aliqnid, tanquam in manum traditurus, ostentet, qunmqne ille manum ad id capiendum porre-

Quando id quod sat erat, satis habere noluit,
Ego pausam feci : sic ago, sic me decet.
Ego faxo posthac, di deæque cæteri
Contentiores mage erunt, atque avidi minus,
Quom scibunt, Veneri ut adierit leno manum.
Condigne aruspex, non homo trioboli,
Omnibus in extis aibat portendi mihi
Malum damnumque, et deos esse iratos mihi.
Quid ei divini aut humani æquom 'est credere?
Mina mihi argenti dono postilla data 'st.
Sed, quæso, ubinam illic restitit miles modo,
Qui hanc mihi donavit? quem ego vocavi ad prandium.
Sed eccum incendit. ANT. Ita ut obcepi dicere,
Lenulle, de illac pugna ptenornithica,
Qua sexaginta millia hominum uno die
Volaticorum manibus obcidi meis.
LYC. Eh! volaticorum hominum? ANT. Ita dico quidem.

xerit, suam ipse manum retro trahat, eumque inanem atque hiantem destituat. Hoc loco autem leno: Venus, inquit, ut avara est, plures assidue a me hostias exspectabat, ideoque litare me nolebat : at ego, ne prosecari quidem exta volui, eamque hiantem reliqui, et sic ei adii manum. MURET.

13. *Paus. feci.* Desii sacrificare.

17. *Condigne aruspex.* Qui jungendum censent : « Veneri ut adierit leno manum condigne. Aruspex » : et explicant, prout irata vel infesta Venus de me merebatur; ostendunt se nondum observasse, quomodo Plautus hac voce soleat uti, quod et supra jam prodiderunt. Juxta futilis et pari vanitate aruspex, inquit. GRON.—*Non homo trioboli*, quem vel triobolo non æstimem. Supra I, 2, 68.

25. *Lenulle.* Isidorus in Glossis : *lenullus parvus læcator. Læcare* idem quod scortari et lenocinari, a Græco λαικᾶν et λαικάζειν. SALMAS. — — *De illac pugna ptenornithica.* Leno *lenullus*, ut homo *homullus*. Deinde scribendum non, ut vulgo, *pentethronica*, neque *pelethronica* cum Stephano, sed vel *pterornithica* cum Heraldo, vel nobiscum *ptenornithica*. Composuit vocem ex πτηνὸς et ὄρνις ὄρνιθος. GRON.

27. *Volaticorum hom.* Vide hujusmodi militares nugas, Mil. act. I, sc. 1.

28. *Eh! volaticorum.* Sic Gruterus, quum in MSS esset, ut et in nostro Acad. *evolaticorum* : pro *eu*, i. e. *eheu*; quam non modo lamentantis, sed et admirantis esse jam notarunt in hac fabula, V, 2, 147, et Rud. II, 4, 2. GRON.

LYC. An, obsecro, usquam sunt homines volatici?
ANT. Fuere; verum ego interfeci. LYC. Quomodo
Potuisti? ANT. Dicam : viscum legioni dedi,
Fundasque; eo præsternebant folia farferi.
LYC. Quoi rei? ANT. Ne ad fundas viscus adhæresceret.
LYC. Perge : optume, hercle, perjuras : quid postea?
ANT. In fundas visci indebant grandiculos globos,
Eo illos volantes jussi funditarier.
Quid multa verba? quemquem visco obfenderant,
Tam crebri ad terram adcidebant quam pira.
Ut quisque adciderat, eum necabam inlico
Per cerebrum pinna sua sibi, quasi turturem.
LYC. Si, hercle, istuc unquam factum'st, tum me Jupiter
Faciat, ut semper sacruficem, nec unquam litem.
ANT. An mihi hæc non credis? LYC. Credo, ut mihi'st æquom credier.
Age eamus intro, dum exta referuntur. ANT. Volo
Narrare tibi etiam unam pugnam. LYC. Nihil moror.
ANT. Ausculta. LYC. Non, hercle. ANT. Tuum jam elidam caput,
Nisi auscultas, aut is in malam crucem.
LYC. Malam crucem ibo potius. ANT. Certumne 'st tibi?
LYC. Certum. ANT. Tum tu igitur die bono Aphrodisiis

32. *Eo*, ideo.—*Præstern.* Folia farferi sternebant in cavis fundis, priusquam viscum inderent. N. — *Farferi.* Festus : « Farferum, virgulti genus ». Farferum herba est nymphex non dissimilis, tussilago nostra, βήχιον, populi albæ folio, sed ampliore : quæ ferranum etiam et farfugium vocemus. Apul. « Folia sunt farferi et nugæ meræ ». TURN.

34. *Perjuras.* Perjurare, pro mentiri simpliciter, ut infra act. V, 4 : « ac. Da pignus, ni nunc perjures, etc. » Mil. IV, 2 : « Hem, ecastor, hominem perjurum! » Merc. III, 1. ACIDAL.

40. *Turturem.* Solet enim turdus, ut et attagen, aliæque aves, pennæ suæ acumine per cerebrum, qua cervix capiti committitur, ex disciplina venatoria, adacto necari.

43. *Ut mihi 'st æquom credier.* Dubium fuit semper apud veteres utrum perjurior leno an avarior esset. N.

49. *Die bono*, felici, præsertim

Addice tuam mihi meretricem minusculam.
LYC. Ita res divina mihi fuit : res serias
Omneis extollo ex hoc die in alium diem.
ANT. Profestos festos habeam decretum'st mihi.
LYC. Nunc hinc eamus : sequere hac me. ANT. Sequor.
In hunc diem jam tuos sum mercenarius.

in hujusmodi rebus contrahendis.

50. *Addice*, vende, et trade venditam. *Addicere* hic est venditoris, interdum est prætoris. LAMB.

51. *Ita res div.* Quia hodie sacrificavi, nolo serias res agere, nempe venditionem. *Ita* causalis. Vide Captiv. III, 5, 16. N.

53. *Profestos*, Vulgo, *Profecto festos*, quod dant Lyco, sed reddendum est militi, et legendum *Profestos*, quando MSS *Profectos* : quod et alibi Plauto pro illo subjectum in scripto animadvertimus. Mihi,, inquit Anthemonides, non est illa religio, sed decretum, ut festos habeam profestos, id est, pro profestis. Inde leno : « Nunc eamus intro : sequere hac me ». GRONOV.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

AGORASTOCLES, ADVOCATI.

AGOR. Ita me di ament, tardo amico nihil est quidquam iniquius,
Præsertim homini amanti, qui quidquid agit, properat omnia.
Sicut ego hos duco advocatos, homines spissigradissumos,
Tardiores quam corbitæ sunt in tranquillo mari.
Atque equidem, hercle, dedita opera amicos fugitavi senes.
Scibam ætate tardiores, metui meo amori moram.
Nequidquam hos procos mihi elegi loripedeis, tardissumos.
Quin si ituri estis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucem.

3. *Spissigradissumos*. Cf. Cistell. I, 1, 77.

4. *Corbitæ*, naves onerariæ, tardæ et grandes : sic dictæ, quod earum malos præferebat corbem in summo fastigio, ut etiamnum usus obtinuit. Cf. Casin. IV, 1, 20. TAUBM. — Est autem hæc differentia inter *onerarias* et *actuarias*, quod hæ remis agerentur, ille tantum velis instruerentur. Liv. lib. XXVI : « Onerarias quoque, non solum quæ remis agerentur ». Hæc igitur est causa tarditatis in corbitis a tranquillo mari. GRON.*

7. *Procos*. Procorum nomine intelligo adolescentes ea ætate, ut de uxore ducenda cogitare possint. Adolescens enim, qui properat, senes sibi advocare noluerat : adolescentes sumserat ; sed id sibi nihil profuisse dicit, quum, præ mollitia et deliciis (ob id enim eos *procos* vocat), nihilo celerius incederent, quam senes. Idque ipse ita perspicue dicere videtur : ut mirer, non dico Turnebum, hominem perspicacissimum, sed quemquam omnino fuisse, qui aliter accipere potuerit. MURET.

Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iste quidem gradus subcretu'st cribro pollinario,
Nisi cum pedicis condidicistis sic hoc grassari gradu.
ADV. Heus tu, quamquam nos videmur tibi plebei et pauperes,
Si nec recte dicis nobis, dives de summo loco,
Divitem audacter solemus mactare infortunio.
Nec tibi nos obnoxii sumus, istuc quid tu ames aut oderis:
Quom argentum pro capite dedimus, nostrum dedimus, non tuum.
Liberos nos esse oportet : nos te nihili pendimus.
Ne tuo nos amori servos tuos esse addictos censeas.
Liberos homines per urbem modico magis par est gradu
Ire : servoli esse duco festinantem currere :

10. *Subcretu'st cribro pollinario.* Quod σακκίζειν dicebantur asturcones et tolutares equi, quorum gradus in ambulando perinde minutus et creber, quasi sacco colatus esset et eliquatus (liquores enim per saccum dum exprimuntur, crebris et minutis guttis eunt), prorsus eadem metaphora, de minutissimo ac spississimo gradu, dixit hoc loco Plautus, eum succretum esse cribro pollinario. Vegetius de Persicis equis, qui nostris haquenariis similes erant : « Persici statura et positione a cæteris equorum generibus non plurimum differunt, sed solius ambulaturæ quadam gratia discernuntur a cæteris. Gradus est minutus et creber; et qui sedentem delectet et erigat, nec arte doceatur, sed naturæ veluti jure præstetur ». SALM. — *Subcretu'st cribro pollinario.* Errant, qui non ex seta confectum incerniculum, quo vibratur sive excutitur pollen, intelligi volunt, sed cribrum hic esse ipsam pollinem sive farinam, quæ inter depsendum sive subigendum lentissimæ sit materiæ, humecta præsertim, et in fermento jacens : ut mola dicitur pro farre molito. Imo « gradus succretus cribro pollinario », est tam lentus ac spissus, quam tarde e cribro tali excernitur vel excretus et percolatus excidit flos ille tritici, pollen : quod videre licet quotidie in pistrino fieri quam tardissime. GRON. — Quod si inter tantos dijudicare liceat, litem Salmasio addicam. H. e. minutissimis passibus. N.

14. *Mactare infortunio.* Amph. IV, 2, 14.

15. *Obnox. ist. quid tu ames.* Vid. vs. 18.

16. *Argentum pro cap. dedimus.* Vid. Prol. 24.

19. *Liberos homines.* Viden' hesternos cives, virga prætoris in jus ascitos, quantopere timeant, ne non satis emtitia dignitate palam fruantur. N.

20. *Servoli esse duco*, etc. Conf.

Præsertim in re populi placida, atque interfectis hostibus,
Non decet tumultuari. Sed si properabas magis,
Pridie nos te advocatos huc duxisse oportuit.
Ne tu opinere, haud quisquam hodie nostrum curret per vias.
Neque nos populus pro ceritis insectabit lapidibus.
AGOR. At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis cervom cursu, vel clavatorem gradu.
Nunc vos quia mihi advocatos dixi, et testeis ducere,
Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.
ADV. An vero non justa causa'st, quo curratur celeriter,
Ubi bibas, edas de alieno, quantum velis usque adfatim,
Quod tu invitus nunquam reddas domino, de quo ederis?

Terent. Heaut. Prol. 37, et Lamprid. in Sever. p. 128, E, ed. Salm. «cursorem, dixit, nunquam nisi servum; ingenuum currere, nisi in sacro certamine, non debere». N.

21. *In re populi plac. atq. int. h.* Videlicet hæc fabula debellatis Carthaginiensibus acta fuit. Ita victorias recentes Romanis gratulatur poeta in Trucul. I, 1, 55. N.

22. *Tumultuari.* Proprie dixit *tumultuari. Tumultus* enim quasi *tumor multus.* Et attende poetæ comicum artificium, quam dissimulanter, et quasi aliud agens, Romanorum res gestas victoriasque de Pœnis victis quæsitas, hic attigerit. DOUZA.

25. *Pro ceritis.* Cf. Amphit. II, 2, 144.

26. *Ædem.* Ædem hic accipio sacram, ex antiquorum ritu, qui sacrificantes ad templa amicos vocare solebant convivatum. Exemplum est initio Rud. Et alias in templis convivia agitabantur: ut quum cœna popularis celebraretur: de qua Trin. «... quid tu, si in ædem ad Cœnam veneris, etc.» ACIDAL.—Mil. III, 1, 118.

27. *Clavatorem gradu.* Omnes grammatici veteres citant: «et grallatorem gradu». Sed minime dubium est, quin antiqui alicujus grammatici interpretamentum in textum irrepserit, pro vero verbo Plautino: nam qui *clavatorem* grallatorem esse erat interpretatus, ansam dedit huic mutationi faciendæ. *Clava* igitur calobatbrum vel gralla, et *clavator* grallator. Postea *clava*, vel κλάπα, ut recentiores Græci dixere, pro quovis ligneo calceo dici cœpta est. SALMAS.

30. *Quo*, i. e. cur. Captiv. II, 3, 70. — *Causa quo*, ut vers. 44, *rem quod.* N.

32. *Quod tu invitus.* Ad quod reddendum domino, a quo opipare exceptus es, nunquam cogaris. Ludit in vocabulo *alienus.* Qui aliena utenda accepit, ad reddendum cogi potest. Qui vero de alieno bibit et edit, aliena plane facit sua, et ad reddendum cogi non potest. BOXHORN.

Sed tamen quomodocunque, quamquam sumus pauperculi,
Est domi, quod edimus : ne nos tam contemtim conteras.
Quidquid est pauxillulum illuc nostrum, illud omne intus est :
Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat.
Tua causa nemo nostrorum est suos rupturus ramices.
AGOR. Nimis iracundi estis : equidem hæc vobis dixi per jocum.
ADV. Per jocum itidem dictum habeto, quæ nos tibi respondimus.
AGOR. Obsecro, hercle, operam celocem hanc mihi, ne corbitam date :
Adtrepidate saltem, nam vos adproperare haud postulo.
ADV. Si quid tu placide otioseque agere vis, operam damus:
Si properas, cursores meliu'st te advocatos ducere.
AGOR. Scitis, rem narravi vobis, quod vostra opera mihi opus siet,
De lenone hoc, qui me amantem ludificatur tam diu,
Ei paratæ ut sint insidiæ de auro et de servo meo.
ADV. Omnia istæc scimus jam nos, si hi spectatores sciant.
Horunc heic nunc causa hæc agitur spectatorum fabula :

35. *Quidquid est pauxillulum.* Quidquid nobis est, id omne domi est, nec aliunde petimus, ut quidem Lamb. explicat. Sed id non satis. Etiam suum id esse totum, quod habeant quantillum habeant, affirmant. Interpunges igitur : « Quidquid est pauxillulum illuc, nostrum illud ». ACIDAL.

36. *Neque nos*, etc. Neque egentes opem alienam rogamus, neque quisquam debitum a nobis reposcit. N.

37. *Rupturus ramices.* Cf. Merc. I, 2, 27.

40. *Operam celocem.* Allusio ad celocem et corbitam ; quarum hæc tarda, illa celeris est. Cf. Curcul. V, 2, 47, et Epid. V, 1, 11.

41. *Adtrepidate.* Scriverius, *Adrepitate.* Senum est attrepidare, ac senili gradu approperare. Aulul. act. II, 3. GRON.

44. *Rem ..... quod*, i. e. rem ob quam. Enallage in genere perquam familiaris, æque ac in numero. Captiv. « ex *miseriis* me exemerunt ...*quæ* sustentabam ». Casin. II, 5, 3 : « istam operam inpetres quod a me postulas ». N.

Hos te satius est docere, ut, quando agas, quid agant, sciant.
Nos tu ne curassis, scimus rem omnem : quippe omneis simul
Didicimus tecum una, ut respondere possimus tibi.
AGOR. Ita profecto'st : sed agite igitur, ut sciam vos scire rem
Expedite, et mihi quæ dudum vobis dixi, dicite.
ADV. Itane tentas an sciamus? non meminisse nos ratus,
Quomodo trecentos Philippos Collybisco villico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem inimicum tuum;
Isque se ut adsimularet peregrinum esse aliunde, ex alio oppido.
Ubi is tetulerit, tu eo quæsitum servom adventes tuum
Cum pecunia. AGOR. Meministis memoriter : servastis me.
ADV. Ille negabit, Milphionem quæri censebit tuum :
Id duplicabit omne furtum : leno addicetur tibi.
Ad eam rem nos esse testeis vis tibi. AGOR. Tenetis rem.
ADV. Vix quidem, hercle, ita pauxilla est, digitulis primoribus.

49. *Quid agant*, i. e. quid spectent, nam id illis agendum est. Forsan melius Acidalius : « quid agas ». N.

51. *Didicimus tecum*. Fabulam poeta docet, discunt actores; et discunt simul, dum actionem periclitantur; quo facete hic allusit Plautus. J. GUL.

54. *Non meminisse nos ratus*, etc. Lepide commentum, qua iterum res paulo implicatior enarretur, quæ ne parum attentos vel haud strenue intelligentes, spectantium animos præterfugeret, poeta timuit. N.

58. *Eo*, sic.

61. *Duplicabit omne furtum*. Sup. I, 1, 56.—*Addicetur* a prætore.

63. *Vix quidem, hercle. Res* significat aliquando negotium, aliquando pecuniam familiarem, patrimonium, ut *rem habere, rem confringere*. Introducuntur autem ubique hi advocati pauperes libertini. Itaque quum rogasset Agorastocles : « tenetis rem ? » quod est, scitis quid agendum sit : illi respondent, quasi rogasset de statu illorum et pecunia : Tenemus quidem, sed vix hercle : ut tenentur, quæ minimi modi sunt, digitulis primoribus : ita pauxilla, tenuis, exigua est. Similiter ludit Curcul. V, 2 : « Magna res est. PH. Nulla est mihi : nam quam habui, absumsi celeriter ». GRON. — Cf. Curcul. I, 1, 45.

AGOR. Hoc cito et cursim est agendum : propera jam quantum potest.

ADV. Bene vale igitur : te advocatos melius celereis ducere :

Tardi sumus nos. AGOR. Optume itis, pessume, hercle, dicitis.

Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.

ADV. At, edepol, nos tibi in lumbos linguam, atque oculos in solum.

AGOR. Eia, haud vostrum 'st, iracundos esse, quod dixi joco.

ADV. Nec tuum quidem est, amicis per jocum injuste loqui.

AGOR. Mittite istæc. Quid velim, vos scitis? ADV. Callemus probe :

Lenonem perjurum ut perdas, id studes. AGOR. Tenetis rem.

Ecce obportune egrediuntur Milphio una et villicus.

Basilice exornatus incedit, et fabre ad fallaciam.

SCENA SECUNDA.

MILPHIO, COLLYBISCUS, AGORASTOCLES, ADVOCATI.

MILPH. Jam tenes præcepta in corde? COLL. Polchre. MILPH. Vide, sis, calleas.

66. *Optume itis*, etc. Contra plane vult Plautus. Itaque traducit Acidalius : « AG. Pessime itis, optume, hercle, dicitis ». Quasi dicat : Lingua celeres, pedibus inertissimi estis. Sed Acidalius audiendus non est. Ironice loquitur Agorastocles. Optime itis, scil. qui tardi estis, certe pessime dicitis.

69. *Vostrum 'st*. Cf. Asin. I, 3, 38. Hoc loco gallice : *vous ne devriez pas*. N.

74. *Basilice*. Quidquid magnum, plenum, integrum dicebatur regium, basilicum. Hoc est nunc, egregie. N.

COLL. Quid opu'st verbis? callum aprugnum callere æque non sinam.

MILPH. Fac modo ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam.

COLL. Quin, edepol, condoctior sum, quam tragœdi aut comici.

MILPH. Probus homo es. AGOR. Adeamus propius : adsunt testeis. MILPH. Tot quidem

Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Nam istorum nullus nefastu'st, comitialeis sunt meri;
Ibi habitant; ibi eos conspicias, quam prætorem sæpius;
Hodie juris coctiores non sunt, qui liteis creant,
Quam sunt hi, qui, si nihil est litium, liteis serunt.

ADV. Di te perdant. MILPH. Vos quidem, hercle, conmendo, quom quiqui tamen,

2. *Collum oprugnum collere.* Cf. Pers. II, 5, 4.

3. *Condocto.* In utroque versu *condoctum* lego, non *conductum*, et membranis adstipulantibus et favente sensu. Conducti autem comici sunt, qui fabulam, quam acturi sunt, una fideliter addidicerunt, gestumque agere sciunt. Oportet enim histriones peritos esse, et fabulam simul edidicisse, antequam in prosceuium prodeant: quo, nisi fallor, respexit. Vid. sc. sup. 51. TURNEB.

7. *Comitialeis.* Ut comitialis dies dicitur, qui agendis rebus idoneus est, nefastus, quo agi res non licet, joculo ad homines prave negotiosos hanc notionem transtulit. Nempe vitium civitatis taxat, ubi opificinæ et quæstus genus quodlibet probro erat, otiosis perjuriis et calumniis vivebatur non indecore. Audi Plutarchum Paul. Æmil. qui narrat Scipionem, quum censuram peteret, ad comitia, comitantibus multis deterrimæ conditionis hominibus, venisse, plerosque libertinos, qui optime qua arte talem ambitum tuerentur, callerent. N.

8. *Ibi.* Ad vocem *comitium* intellectam refertur.

9. *Coctiores. Coctiores* legendum et ridiculum dictu, « juris coctiorem » pro « juris doctiorem » dicere: quod urbanitate comica conditum protulit, ambigui occasione usus : nam et jus culinarium coquitur; et *coctus* ac *recoctus* dicitur, qui in aliqua re tiro non est. SALMAS. — *Qui liteis creant.* De iis, credo, loquitur, qui formulas actionum scribebant, ipsis juris conditoribus, jureconsultis, vel prætoribus quoque qui lites in albo proponebant. N.

10. *Liteis serunt.* Scripti habent *liteis emunt.* Et recte ita reposuit Turnebus. Litium redemtores intelligit, ac depectores litium. Horum in jure fit mentio. SALMAS.

11. *Conmendo.* Non opus legere

Et bene et benigne facitis; quom hero amanti operam datis.
Sed isti jam sciunt, negoti quid sit? AGOR. Omnem rem ordine.
MILPH. Tum vos animum advortite igitur : hunc vos lenonem Lycum
Gnovistis. ADV. Facile. COLL. At ego, pol, eum qua sit facie nescio.
Eum volo mihi demonstretis hominem. ADV. Nos curabimus.
Satis præceptum. AGOR. Hic trecentos numos numeratos habet.
ADV. Ergo nos inspicere oportet istuc aurum, Agorastocles,
Ut sciamus quid dicamus mox pro testimonio.
AGOR. Agite, inspicite : aurum 'st. COLL. Profecto, spectatores, comicum :

eum eo pro *commendo.* Ambigne lusit servus. Dixerant advocati : *Di te perdant.* Servulus nequam ut in eorum caput hoc maledictum regereret, ita respondit, ut simul hanc imprecationem in eos retorqueret, et tamen illi hoc intelligere non possent id dici, aut saltem ipse excusare posset nihil tale a se dictum. Prima verba responsionis eo trahi possunt, *vos quidem, hercle*, nempe dii perdant; sed statim subjungit, *conmendo*, ut intellectus defeudere posset, se aliud dixisse. Quiqui, inquit, estis, certe vos commendo, utpote peritos et doctos juris, et litium creandarum. Deinde quod et bene ac benigne facerent, qui hero amanti hanc operam darent. SALMAS. — *Conmendo.* Sane in Acad. « conmeudo quiqui tamen ». Sed in neutro est Pall. qui haud dubie meliores. Sic enim prior, « hercle, quo meo quin quiqui tamen » : alter, « hercle, quo meo quam quiqui tamen ». Unde videtur scribendum : « Vos quidem, hercule, æquum, quom quiqui tamen ». Quæ verba non carent ea ambiguitate, quam certum est captasse Milphionem. Nam τὰ *Vos quidem, hercule, æquum*, si referantur ad priora, intelligitur sub his, *deos perdere :* si ad posteriora, intelligitur *facitis*, quum quicumque facitis et bene et benigne, quumque hero amanti datis operam. GRON. — Audentius Bothius: « ADV. Di te perdant! MIL. Vos quidem, hercle! ADV. Quomodo? MIL. Quin, quiqui, tamen et bene, etc. » Sic *quomodo* est iratorum formula, et liberi homines sibi servum maledicere indignautur. At hanc vocem refingit ex MS : « quo m̄ ». Si non vera, at saltem ingeniosa emendatio. N.

20. *Comicum.* Comicum aurum hic lupini sunt. Et sicut in comœdia pro aureis nummis annume-

Macerato hoc pingueis fiunt auro in barbaria boves.
Verum ad hanc rem agundam Philippum'st. ADV. Ita nos adsimulabimus.
COLL. Sed ita adsimulatote, quasi ego sim peregrinus. ADV. Scilicet,
Et quidem quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris,
Liberum ut conmonstraremus tibi locum et voluptarium,
Ubi ames, potes, pergræcere. MILPH. Heu, edepol, mortaleis malos!
AGOR. Ego enim docui. MILPH. Quis te porro? COLL. Agite, intro abite, Agorastocles:
Ne hic vos mecum conspicetur leno; neu fallaciæ
Præpedimentum objiciatur. MILPH. Hic homo sapienter sapit.
Facite, quod jubet. AGOR. Abeamus : sed vos! satis dictum'st? COLL. Abi.
AGOR. Abeo, quæso, di inmortaleis..... COLL. Quin abis? AGOR. Abeo. MILPH. Sapis.
COLL. St! tace. ADV. Quid est? COLL. Foreis hæ fecerunt magnum flagitium modo.
ADV. Quid id est flagiti? COLL. Crepuerunt clare. ADV. Di te perduint!
Pone nos recede. COLL. Fiat. ADV. Nos priores ibimus.
COLL. Faciunt, scurræ quod cousuerunt : pone sese homines locant.

rantur lupini, sic et pueri lupini grana pro nummis soliti sunt habere, atque numerare, et inter æs et lupinum parum distinguere : atque idem hodieque in Italia lusitantes pueri, ementiri et æmulari lupinis nummos constat. MURET. — Horat. Epist. « quid distent æra lupinis ».

21. *Macerato hoc*. Maceratum calida aqua homini quoque in cibo est : nam bovem unum singuli modii satiant validumque præstant. Plin. XVIII, 14. — *In barbaria*. Asin. Prol. 11. N.

24. *Nobiscum oraveris*. Cf. Bacch. III, 3, 90.

26. *Ames*. Asin. Argum. acrost. 1.—*Pergræcere*. Bacch. IV, 4, 91. — *Malos*. Mil. III, 3, 7. N.

33. *Crepuerunt*. Alludit ad crepitum ventris, qui non sine flagitio in cœtu hominum editur. LAMB. —Cf. Aulul. IV, 5, 5.

35. *Scurræ*. Vid. Epid. I, 1, 3. — *Pone sese homines*. Qui antece-

ADV. Illic homo est qui egreditur leno. COLL. Bonus est; nam similis malo est.
Jam nunc ego illi egredienti sanguinem exsugam procul.

SCENA TERTIA.

LYCUS, ADVOCATI, COLLYBISCUS.

LYC. Jam istuc ego revortar, Miles: convivas volo
Reperire nobis conmodos, qui una sient;
Interibi adtulterint exta; atque eadem mulieres
Jam ab re divina, credo, adparebunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquidnam adferunt?
Et ille chlamydatus quisnam 'st, qui sequitur procul?
ADV. Ætoli civeis te salutamus, Lyce:
Quamquam hanc salutem ferimus inviti tibi,
Et quamquam bene volumus leviter lenonibus.
LYC. Fortunati omneis sitis, quod certe scio

dunt, et alios sequi se jubent. Scurræ hic sunt homines urbani (quos *assiduos cives* in Trin. vocat) militari hominum generi opponi antiquitus soliti: ut et inferius, act. V, 5. LINDENBR. — Rusticus cavillator nescio an aliquid parum verecundum sub his intellexerit et voluerit intelligi. N.

36. *Bonus est; nam similis*, etc. Hæc quid sibi vellent, videntur ignorasse interpretes. Ideo tacent. Sententia est: Bonus leno est. Nam, quantum ex vultu ejus colligo, similis malo, malus est. Bonus leno esse non potest, nisi sit malus. Bonus leno ergo dicitur, ut bonus sutor, miles. Bonus enim non tantum est, qui virtute excellit, sed qui in eo quod facit, sive malum id, sive bonum sit, virum sese et eximium præstat. Ex ambigua significatione τοῦ *bonus* captatur jocus. Subintelligitur autem *leno*. BOXHORN. — Conf. Asin. I, 3, 22: « Nam neque usquam fictum, neque pictum, neque scribtum in poematis, Ubi lena *bene* agat quæ *frugi* esse volt ». N.

37. *Procul.* Scen. seq. 6.

2. *Conmodos*, facetos, urbanos. Vide Lambin. ad Hor. Od. IV, 8.

3. *Adtulerint*, adferent. Cf. Mil. I, 1, 50. — *Exta.* Supra, II, 1, 8. — *Eadem.* Bacch. I, 1, 15. N.

6. *Procul.* Captiv. IV, 2, 8.

7. *Ætoli civeis*; nam servis parum haberetur fides.

Nec fore, nec fortunam id situram fieri.
ADV. Istic est thesaurus stultis in lingua situs,
Ut quæstui habeant male loqui melioribus.
LYC. Viam qui nescit, qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem sibi.
Ego male loquendi vobis nescivi viam:
Nunc vos mihi amneis estis; vos certum 'st sequi.
Si benedicetis, vostra ripa vos sequar:
Si maledicetis, vostro gradiar limite.
ADV. Malo benefacere, tantumdem 'st periculum,
Quantum bono malefacere. LYC. Quî vero? ADV. Scies.
Malo si quid benefacias, id beneficium interit.
Bono si quid malefacias, ætatem expetit.
LYC. Facete dictum: sed quid istuc ad me adtinet?
ADV. Quia nos honoris tui causa huc ad te venimus.
Quamquam bene volumus leviter lenonibus.
LYC. Si quid boni adportatis, habeo gratiam.
ADV. Boni de nostro tibi nec ferimus, nec damus,
Neque pollicemur, neque adeo volumus datum.
LYC. Credo, hercle, vobis, ita vostra 'st benignitas.
Sed quid nunc voltis? ADV. Hunc chlamydatum quem vides,
Ei Mars iratus est. COLL. Capiti vostro istuc quidem.

13. *Ut quæstui habeant*, etc. Quo procacius maledictis bonos ipsi nequam lacessunt, eo se beatos magis et auctos putant; hic est illis thesaurus. N.

15. *Amnem quærere*. Amnes enim et flumina ut ex mari nasci, ita in mare velut reverti et exonerare se creduntur. BOXHORN.

20. *Tantumdem 'st peric.* « Tantumdem, idem ipsum, similitudo, figura ejusdem rei, de qua agitur ». Ita Papias in Glossis. Et forte huc respexit. BOXHORN.

23. *Ætatem expetit*, id est, diu durat illud: nam vir bonus injuste læsus non facile placatur, quin sui doloris pœnas repetiverit. LAMB.

28. *Boni*, supple *quidquam*.

30. *Benignitas*, liberalitas: εἰρωνικῶς dictum. LAMB.

32. *Ei Mars iratus est.* Neque Lambinus, neque Acidalius hic audiendi. Mars iratus illi dicitur, qui adversam bello fortunam expertus est. Talis hic fingitur, et apud lenonem describitur Collybiscus. Mox enim fingitur et dicitur, militem eum fuisse in Sparta; inde aufugisse, quia oppidum capiebatur.

ADV. Hunc nunc, Lyce, ad te diripiendum adducimus.
COLL. (ita ne Lycus audiat.) Cum præda hic hodie incedet venator domum.
Canes conpellunt in plagas lepide Lycum.
LYC. Quis hic est? ADV. Nescimus nos istum quidem, qui siet;
Nisi dudum a mani, ut ad portum processimus,
Atque istunc e navi exeuntem oneraria
Videmus; adiit ad nos extemplo exiens,
Salutat, respondemus. COLL. Mortaleis malos!
Ut ingrediuntur docte in sycophantiam!
LYC. Quid deinde? ADV. Sermonem nobiscum ibi copulat.
Ait se peregrinum esse hujus ignarum oppidi.
Locum sibi velle liberum præberier,
Ubi nequam faciat : nos hominem ad te adduximus.
Tu, si te di amant, agere tuam rem obcasio 'st.

BOXHORN. — *Ei Mars irat.* Magno multabitur infortunio, scilicet vs. 33, « ad te diripiendum adducimus ». Mars auctor mali ejus dicitur, quod Collybiscus miles esse fingitur. Simillimus locus est Trucul. III, 1, 11 seq. « fuit Mars meo periratus patri, Nam oves illius non longe absunt a lupo ». SCHM.

34. co. *Cum præda.* Venationem ex sententia sibi successuram ait, semet δειχτιχῶς venatorem faciens; advocatos, canes. PISTOR. — *Incedet*, redibit.

35. *Lycum.* Ludit in paronomasia: sed nimis græcissat.

36. *Quis hic est?* Hoc de Collybisco ad advocatos.

37, 38. *Nisi dudum*, etc. Hic ordo est : nihil aliud de homine scimus, nisi quod nuper hodie mane, postquam ad portum venimos, statim hunc videmos.—*Atque.* Cf. Bacch. II, 3, 45. N.

39. *Extemplo exiens*, statim ot exiit.

45. *Nequam.* Sup. I, 1, 31, 34.

46. *Tu, si te di amant. Tu*, si non habet, quo referatur, non est novum. Sæpe Plautus orditur iis casibus nominis vel pronominis orationem, ut aliud verbum destinasse responsurum videatur, quam quod postea reddit. In quo imitatur sermonem quotidianum, non tam negligenter, quam subito, ut res fert, ex tempore et non ex præparato loquentium. Id hic tamen haudquaquam tam dure, quam interdum alibi. Nam quid proclivius, quam illud *tu* ita exaudire, quasi sit, Heus tu : vel audi tu : vel Tu memento : vel Tu vigila et vide quid agas. Hæc interpretes jam viderunt: itaque sero apparent cum suo *tum* e Papiæ Glossis. GRON. — *Agere tuam rem*, utilem tibi rem, quæstum facere.

LYC. Itane ille est cupiens? ADV. Aurum habet. LYC. (secum.)
Præda hæc mea'st.
ADV. Potare, amare volt. LYC. Locum lepidum dabo.
ADV. At enim hic clam furtim esse volt, ne qui sciant,
Neve arbiter sit : nam hic latro in Sparta fuit,
Ut quidem ipse nobis dixit, apud regem Attalum.
Inde uunc aufugit, quoniam capitur oppidum.
COLL. Nimis lepide de latrone, de Sparta optume.
LYC. Di deæque vobis multa bona dent, quom mihi
Et bene præcipitis, et bonam prædam datis.
ADV. Imo, ut ipse nobis dixit, quo adcures magis,
Trecentos numos Philippos portat præsidi.
LYC. Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me adlexero.
ADV. Quin hic quidem tuus est. LYC. Obsecro, hercle,
hortamini,
Ut devortatur ad me in hospitium optumum.
ADV. Neque nos hortari, neque dehortari decet
Hominem peregrinum : tuam rem tu ages, si sapis.
Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus :
Nunc te illum melius capere, si captum esse vis.
LYC. Jamne itis? COLL. Quid, quod vobis mandavi, ho-
spites?

48. *Amare.* Asin. Arg. acr. 1.

50. *Arbiter.* Captiv. II, 1, 24. — *Latro.* Curcul. IV, 3, 16.

51. *Ap. reg.* i. e. a rege conductus, in regis militia.

53. *De Sparta optume.* Latronis nomen hic pro milite, ut alibi passim in comœdia romana. Latronem, id est, militem in Sparta fuisse significat, capto eo oppido ad Attalum regem profugisse. Et *peregrinus Spartanus* infra vocatur, act. III, sc. 5. SALM.

57. *Præsidi.* Præsidium eleganter pro commeatu sive viatico positum, quod fami arcendæ est : ut Persa, I, 3, 45. *Portare* igitur *nummos præsidii*, est in commeatum et sumtum secum ferre. J. GUL.

62. *Si sapis.* Formula hoc loco admonentis, alias minantis, par illi gallicæ, *je te le conseille.* Conf. Amph. I, 1, 155; Aulul. II, 8, 5, et Bacch. IV, 9, 104. N.

63. *Aream.* Asin. I, 3, 64.

64. *Te illum*, etc. Malus ille amphiboliam ex industria nectit, eo fere modo quo oraculum : « Aio, te, Æacida, Romanos vincere posse ».

65. *Jamne itis?* Formula dimit-

ADV. Cum illoc te melius tuam rem, adulescens, loqui.
Illic est ad istas res probus, quas quæritas.
COLL. Videre equidem vos vellem, quom huic aurum darem.
ADV. Illinc procul nos istuc inspectabimus.
COL. Bonam dedistis mihi operam. LYC. (secum, sed Collybisco auditus.)
It ad me lucrum.
COLL. Illud quidem, quorsum asinus cædit calcibus.
LYC. Blande hominem conpellabo. Hospes hospitem
Salutat; salvom te advenire gaudeo.
COLL. Multa tibi di dent bona, quom me salvom esse vis.
LYC. Hospitium te aiunt quæritare. COLL. Quærito.
LYC. Ita illi dixerunt, qui hinc a me abierunt modo,
Te quæritare a muscis. COLL. Minume gentium.
LYC. Quid ita? COLL. Quia a muscis si mihi hospitium quærerem,
Adveniens huc irem in carcerem recta via.
Ego id quæro hospitium, ubi ego curer mollius,
Quam regi Antiocho oculi curari solent.

tendi. Illi longa mora est, donec cum homine ipse transigat. N.

68. *Videre vos vellem*, vos testes adesse.

69. *Procul*, vs. 6.

70. *Bonam ded. mihi operam.* Formula gratiarum agendi.

71. *Quorsum asinus cædit calcibus.* Asinus ferociens retro jactat calces. Significat igitur, lucrum non proversum ad Lycum iturum, sed verius retrorsum ab eodem abscessurum. TAUBM.

77. *A muscis.* Parasitos et ejusmodi nugas hominum, qui alienis conviviis non vocati superveniebant, facete *muscas* vocarunt. Ita interpretandi hi versus, qui plerisque ænigma videntur. Quærebat autem hospitium a muscis, id est, contra muscas, ut tutus a muscis foret, liber ab arbitris et adventoribus, ut supra *advocati* dixerant vs. 50. LIPSIUS.—Δειπνεῖν ἄκλητος, μυῖα, apud Antiphonem. BOTH.

78. *Quia a muscis si*, etc. Cavillator ludit alio eadem verba detorquens, abusus ancipiti: « si petiissem a muscis hospitium, quæ nihil præter alienum et flagitium habent, irem ess comitatum in carcerem ». N.

81. *Antiocho oculi.* Græca fabula eo tempore scripta est, quo Antiochus regnabat. Oculis fortasse ægrotabat. Quod ex historia illorum temporum notum tunc poetæ fuit. SALMAS. — Asiaticus rex molliuscule vivebat, et oculos caros habuit quisque suos, si quid unquam; unde *oculitus amare*. Alii explicant *oculi* qui sunt in Antiochana aula

LYC. Edepol, næ tibi possum illum festivom dare,
Siquidem potes esse pati te, in lepido loco,
In lecto lepide strato, lepidam mulierem
Conplexum contrectare te. COLL. Is, leno, viam.
LYC. Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo,
Vetustate vino edentulo ætatem inriges.
Ibi te replebo usque unguentum echeumatis.
Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam.
Sed hæc latrocinantur quæ ego dixi omnia.
COLL. Quid ita? LYC. Quia aurum poscunt præsentarium.
COLL. Quin, hercle, adcipere tu non mavis, quam ego dare.
LYC. Quin sequere me intro. COLL. Duc ergo me intro,
addictum tenes.

præcipui, auctore Polluce, II, 7, ἐκαλοῦντο δέ τινες ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ Βασιλέως, et Apuleio, « inter eos (Persarum regis ministros) aures regiæ et imperatoris oculi quidam homines vocabantur ». N.

85. *Is viam.* Amph. I, 1, 273, et Asin. I, 1, 39.

86. *Ubi tu*, etc. Hæc pendent a vs. 83, *in lepido loco.*

87. *Vino edentulo.* Lepide dictum, *vinum sine dentibus;* quasi nimia vetustate: iisdem verbis Alexis comicus: Ἔστι γ' ὅσον ἂν βουλώμεθ', ἔστι καὶ μάλα. Ἡδύς γ' ὀδόντας οὐκ ἔχων ἤδη σαπρός. LIPS. — *Ætatem inriges*, ætas pro persona. Cf. Asin. I, 3, 39.

88. *Unguentum*, unguentorum. — *Echeumatis*, profusionibus; vox græca ἐκχεύματα. Utriusque declinationis fuerunt hujusmodi nomina, e. g. poematibus, poematis. N.

89. *Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris, ibi.* Ita unguentis balneum, in quo lavabis, effluere faciam, ut non balneum verum, unguentarii officina potius videri possit. Et ἀποκοπὴ sermonis usitata est. « Quid multa verba? » Porro, *facere unguentariam*, ea ipsa lege dictum, qua et *argentariam*, *topariam*, *vellaturam*, *medicinam facere*, et *pullariam:* denique et *scrutariam* dictitabant. DOUZA.

91. *Latrocinantur.* Latrocinari interdum dicebant veteres sine probro, pro mercede mereri, in militia præsertim. GRON.* — Conf. Mil. I, 1, 74. Alludit ad hominis quam credit esse conditionem.

94. *Duc ergo me.* Argute alludit ad judiciorum consuetudinem, in quibus damnatus, si solvendo non sit, addicitur adversario, et ab illo domum abducitur. Asinar. V, 2: « Judicatum me uxor abducit domum ». Nam *abducendi* verbum in ea re proprium. J. GUL. — *Addictum tenes*, me tibi trado quo velis ducendum. Metaphora a judiciis sumta. Vide vero sensu IV, 2, 11.

ADV. Quid si evocemus huc foras Agorastoclem,
Ut ipse testis sit sibi certissumus?
Heus tu! qui furem captas, egredere ocius,
Ut tute inspectes aurum lenoni dare.

SCENA QUARTA.

AGORASTOCLES, ADVOCATI, COLLYBISCUS, LYCUS.

AGOR. Quid est? quid voltis, testeis? ADV. Specta ad dexteram.
Tuos servos aurum ipsi lenoni datat.
COLL. Age, adcipe hoc, sis : heic sunt numerati aurei
Trecenti numi, qui vocantur Philippei.
Hinc me procura, propere hosce absumi volo.
LYC. Edepol, fecisti prodigum promum tibi.
Age, eamus intro. COLL. Te sequor. LYC. Age, age, ambula;
Ibique reliqua alia fabulabimur.
COLL. Eadem narrabo tibi res Spartiaticas.
LYC. Quin sequere me ergo. COLL. Abduc intro : addictum tenes.
AGOR. Quid nunc mihi auctores estis? ADV. Ut frugi sies.
AGOR. Quid si animus esse non sinit? ADV. Esto, ut sinit.
AGOR. Vidistis, leno quom aurum adcepit? ADV. Vidimus.
AGOR. Eum vos esse meum servom scitis? ADV. Scivimus.
AGOR. Rem advorsus populi sæpe leges? ADV. Scivimus.

97. *Captas*. Sup. I, 2, 60.

2. *Tuos servos*. Vid. Præf. prim. volum. p. VII, not. 2. N.

5. *Hinc*, horum sumtu.

6. *Prodigum promum*. Non potuisti eligere promum largiorem, quam ego sum. LAMB.

8. *Eadem*. Bacch. I, 1, 15.

12. *Animus*. Bacch. III, 3, 12.

15. *Populi sæpe leges*. Non opus alia correctione hic versus habet, sed lectio tantum vetus reponi debet, quæ in meo Cantabrico codice habetur : *Rem adversus populi esse leges*. SALMAS. — *Sæpe leges*, leges multas sæpe renovatas. *Sæpe leges*

AGOR. Hem istæc volo ergo vos commeminisse omnia,
Mox quom ad prætorem usus veniet. ADV. Meminerimus.
AGOR. Quid si recenti re ædeis pultem? ADV. Censeo.
AGOR. Si pultem, non recludet. ADV. Panem frangito.
AGOR. Si exierit leno, censetis hominem interrogem,
Meus servos si ad eum venerit, nec ne? ADV. Quippini?
AGOR. Cum auri ducentis numis Philippis? ADV. Quippini?
AGOR. Ibi extemplo leno errabit. ADV. Qua de re? AGOR. Rogas?
Quia centum numis minus dicetur. ADV. Bene putas.
AGOR. Alium censebit quæritari. ADV. Scilicet.
AGOR. Extemplo denegabit. ADV. Juratus quidem.
AGOR. Homo furti sese adstringet. ADV. Haud dubium id quidem 'st.
AGOR. Quantum quautum ad eum erit delatum. ADV. Quippini?
AGOR. Diespiter vos perduit. ADV. Te quippini?
AGOR. Ibo et pultabo januam hanc. ADV. Ita quippini?

i. q. « olim furores, semper lenitas, antemala ». Vide Vulpium ad Catull. eleg. ad Manl. vs. 129. N.

17. *Usus veniet*, quum tempus veniet, quo opus sit, ut commemineritis.

18. *Quid si*, etc. Locutio consultantis. — *Ædeis* lennnis.

19. *Panem frangito.* Jocus est in voce *pultem*. Quamvis dixisset Agorastocles : « Si pultem, nou recludet », advocati, tanquam *pultem* accusandi casu dixisset adolescens, et de pulte loqueretur, excipiunt : *panem frangito*. Id est, pedibus et pultandn fores frangito, haud aliter quam panis frangitur, ubi puls non datur. Mns enim veterum, *panem frangere*. Quod in Brixieusi editione legitur : *pede ædes frangito*, glossa est, sive interpretantis τοῦ *panem frangito*, quomodo disertim legunt MSS Pall. BOXHORN.

20. *Si exierit leno.* Videtur moris fuisse, ut quem quis furem esse sciret, eum testibus præsentibus interrogaret : Numquid illa res apud illum esset, aut, Numquid eam contrectasset? Si negaret, res testibus iisdem præsentibus comperiebatur, ut hoc loco, item sc. sq. « AG. Hoc age sis l. etc. » item aliquanto post : « AG. Negasne apud te esse aurum, etc. » HOTNM.

24. *Quia centum numis minus.* Etenim dictum fuit illi trecentos portare secum latronem Spartiaticum. N.

28. *Quantum quant. ad eum erit del.* Obnoxius furti crimini erit pro summa, quanta ad eum delata fuerit. N.

AGOR. Tacendi tempus est : nam crepuerunt foreis.
Foras egredier video lenonem Lycum.
Adeste, quæso. ADV. Quipini ? quin si voles,
Operire capita, ne nos leno gnoverit,
Qui illi malæ rei tantæ fuimus inlices.

SCENA QUINTA.

LYCUS, AGORASTOCLES, ADVOCATI.

LYC. Suspendant omneis nunc jam se haruspices.
Quid ego illis posthac quod loquantur creduam,
Qui in re divina dudum dicebant, mihi
Malum damnumque maxumum portendier?
Is explicavi meam rem postilla lucro.
AGOR. Salvos sis, leno. LYC. Di te ament, Agorastocles.
AGOR. Magis me benigne nunc salutas, quam antidhac.
LYC. Tranquillitas evenit, quasi navi in mari :
Utcunque est ventus, exin velum vortitur.
AGOR. Valeant apud te quas volo, atque haud te volo.
LYC. Valent ut postulatum 'st, verum non tibi.

35. *Inlices. Illex* κατ' ἐξοχὴν in aucupio dicitur avis, qua ad alias illiciendas auceps utitur, quæ Græcis est παλεύτρια. Plin. lib. X, 33: « Contra aucupis illicem exeunte in prælium duce totius gregis ». GRON.*—Conf. Asin. I, 3, 68.

1. *Suspend. se.* Aliis verbis i. q. eant in malam crucem.

5. *Is*, idem ego cui male canebant.—*Explicavi*, id est, extendi et quasi dilatavi atque auxi. Sic Prolog. Amph. dixit, *expedire rationes.* DOUZA. — Explicare simile est atque expedire, sed differt ab *augere*. Ex implicata, impedita, ut autumabant, explicatam, expeditam feci, successu prosperam, lucro comparato. Pseudol. IV, 1, 18 : « pulchre ego hanc explicatam tibi rem dabo ». N.

9. *Utcumque est ventus.* A quacumque parte ventus flat, ad eam velum vertitur. Ita qualis est Fortuna, talis est hominum animus, vultus, oratio. Conf. Epid. I, 1. GRONOV.

10. *Atque haud te volo.* Salutem puellis, non tibi opto.

11. *Non tibi.* Chlamydato enim hospiti has puellas jam pretio destinarat. LAMB.

AGOR. Mitte ad me, sodes, hodie Adelphasium tuam,
Die festo celebri nobilique Aphrodisiis.
LYC. Calidum prandisti prandium hodie? dic mihi.
AGOR. Quid jam? LYC. Quia os nunc frigefactas, quom rogas.
AGOR. Hoc age, sis, leno : servom esse audivi meum
Apud te. LYC. Apud me? nunquam factum reperies.
AGOR. Mentire : nam ad te venit, aurumque adtulit.
Ita mihi renunciatum'st, quibus credo satis.
LYC. Malus es, captatum me advenis cum testibus.
Tuorum apud me nemo'st, nec quidquam tui.
AGOR. Mementote illuc, Advocati. ADV. Meminimus.
LYC. Ha ha he! jam teneo quid sit, perspexi modo.
Hi, qui illum dudum conciliaverunt mihi

13. *Die festo celebri*. Non est ab interprete τὸ *festo*, ut putarunt. Sallustius in Bello Jugurthino : « in diem tertium constituunt, quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis quam formidinem ostentabat ». GRONOV.

15. *Nunc os frigefact.* « Qui calidum prandet prandium, avide captata aura libenter os frigefactat, qui vero auram captat, nihil agit : sic Agorastocles nihil agit rogando ad se mitti Adelphasium ». Sic putant se acute rem expedisse. Sane qui auram captat pro corpore, is nihil agit : sed qui auram captat, ut auram, nempe refrigerandi et recreandi sui causa, is profecto aliquid agit, et se restitui sentit. Alio et commodius respicit Plautus. *Frigida* dicuntur, in quibus parum est gratiæ, salis, facetiarum : sic *frigidum schema*, *frigida urbanitas*. Sic igitur et *frigida* quæ sine gratia excipiuntur, pro fatuis, insulsis, inficetis audiuntur. Tam frigida, inquit, loqueris, ut si calido cibo raptim gustato guttur adussisses, ad hæc verba id refrigerare posses. Sic et Rud. V, 2, 39 : « Os calet tibi : nunc id frigefactas ». Similiter ludit Martial. III, 25 : « Si temperari balneum cupis fervens, Roga, lavetur, rhetorem Sabineium : Neronianas id refrigerat thermas ». Et Guathæna Diphilo, Ψυχρόν γ' ἔχεις τὸν λάκκον ὁμολογουμένως, dicenti sic respondit : τῶν σῶν δραμάτων γὰρ ἐπιμελῶς εἰς αὐτὸν ἀεὶ τοὺς προλόγους ἐμβάλλομεν, apud Athen. lib. XIII. GRONOV. — *Frigefactas*. J. Gul. et Douza probant *frigidefactas* : qua voce, eodem plane sensu, usus in Rud. act. V, 2, vs. 39 : « Os calet tibi! num git frigidefactas? » ERNEST.

24. *Hi, qui illum*, etc. Ii, quorum opera hic Spartanus ad me venit, moleste jam ferunt, me hos 300 Philippos lucrifacturum esse.

Peregrinum Spartanum, id nunc his cerebrum uritur,
Me esse hos trecentos Philippos facturum lucri.
Nunc hunc inimicum quia esse sciverunt mihi,
Eum adlegaverunt, suom qui servom diceret
Cum auro esse apud me: conposita 'st fallacia,
Ut eo me privent, atque inter se dividant.
Lupo agnum eripere postulant, nugas agunt.
AGOR. Negasne apud te esse aurum, nec servom meom?
LYC. Nego, et negando, si quid refert, ravio.
ADV. Peristi, leno: nam iste est hujus villicus,
Quem tibi nos esse Spartiatem diximus,
Qui ad te trecentos modo Philippos detulit.
Idque adeo in istoc aurum inest marsupio.
LYC. Væ vostræ ætati! ADV. Id quidem in mundo'st tuæ.
AGOR. Age, omitte actutum, furcifer, marsupium;
Manifesto fur es mihi: quæso, hercle, operam date,
Dum me videatis servom ab hoc abducere.
LYC. Nunc, pol, ego perii certo, haud arbitrario.
Consulto hoc factum 'st, mihi ut insidiæ fierent.
Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priusquam obtorto collo ad prætorem trahor?

Illud autem *hi* non habet quo referatur, more comico. TURN. — Cf. Mostell. I, 3, 93.

25. *Cerebrum uritur*, dolent, ægre ferunt.

31. *Nugas agunt*. Conf. Asinar. III, 6, 22.

33. *Ravio*. Hoc est, contenta voce ad ravim usque clamans pernego. TURN. — Isidorus: *Ravit*, *rauce loquitur*. GRONOV. — Aulul. II, 5, 10.

37. *Adeo*, etiam.

38. *Ætati*. Bacchid. I, 2, 51. —*Id*. Cf. Mil. II, 3, 55.—*In mundo 'st*. Asin. II, 1, 16.

39. *Age, omitte*. Hinc furem dici manifestum non posse, post rem in destinatum locum perlatam, quamvis cum ipsa re deprehendatur; imo ne furem quidem esse, quum dolo malo rem alienam non contrectarit, docet Hotomanus.

40. *Operam date*. Conf. Curcul. II, 2, 9.

42. *Haud arbitrario*. Non est, quod quisquam dicat se arbitrari me periisse, sed potest hoc liquido dicere. LAMB. — Sticho, III, 2, 41: « Perii plane, non obnoxie ». Cf. Amph. I, 1, 216. GRON.

45. *Obtorto collo*. Rapere ob-

Eheu! quam ego habui hariolos aruspices,
Qui si quid boni promittunt pro spisso evenit:
Id quod mali promittunt præsentarium 'st.
Nunc ibo, amicos consulam quo me modo
Suspendere æquom censeant potissumum.

SCENA SEXTA.

AGORASTOCLES, COLLYBISCUS, ADVOCATI.

AGOR. Age, tu progredere, ut testeis videant te ire istinc foras.
Estne hic servos meus? COLL. Sum, me hercle, vero, Agorastocles.
AGOR. Quid nunc, sceleste leno? ADV. Quicum litigas,
Abscessit. AGOR. Utinam hinc abierit malam crucem!
ADV. Ita nos velle æquom'st. AGOR. Cras subscribam homini dicam.
COLL. Numquid me? AGOR. Abscedas, sumas ornatum tuum.
COLL. Non sum nequidquam miles factus: paululum
Prædæ intus feci, dum lenonis familia
Dormitat: extis sum satur factus probe.
Abscedam hinc intro. AGOR. Factum a vobis comiter.
Bonam dedistis, Advocati, operam mihi.

torto collo, est veste ad collum prehensa gulam et fauces premere et angere, iisque adstrictis urgere et trahere. TURN. — Conf. Amph. III, 2, 72.

46. *Hariolos*, vera prædicentes. Cf. Cistell. II, 1, 31. Sic sup. III, 1, 3, « spissigradissumos ».

47. *Pro spisso evenit*, id est, per quam tarde et sero. Turn. XXXIX, 2. Cistell. I, 1, 77.

50. *Suspendere*. Non quærit remedium mali, sed suspendii genus; quasi re omni jam desperata. GRON. — Vulgo in re trepida aut difficili consilium ab amicis petere solebant. Mos ridicule hoc loco adfictus. Cf. Terent. Phorm. II, 4.

5. *Subscribam dicam*. Cf. Aulul. IV, 10, 30.

6. *Numquid me* vis? Cistell. I, 1, 119, 121. — *Ornatum tuum*, villici, deposito hoc militari.

9. *Extis*. Supra III, 3, 3.

11. *Bonam dedistis operam*. Sup. III, 3, 70.

Cras mane, quæso, in Comitio estote obviam.
Tu sequere me intro : vos valete. ADV. Et tu vale.
Injuriam illic insignite postulat;
Nostro servire nos sibi censet cibo.
Verum ita sunt isti nostri divites :
Si quid benefacias, levior pluma 'st gratia,
Si quid peccatum 'st, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus nostras, soltis, nunc jam,
Quando id, quoi rei operam dedimus, inpetravimus,
Ut perderemus conruptorem civium.

12. *Estote obviam*, estote mihi præsto : ἐμοὶ ἀπαντᾶτε. Notat Donatus in Phormion. Terent. II, 3, item II, 1, *Adesse causæ*, proprie dicuntur patroni et amici. Veteres enim *amicos* pro testibus et advocatis posuerant. Vide supra I, 1, 7. Et Epid. III, 3. De *comitio*, Menæchm. IV, 2. GRON. — Cf. sup. III, 4, 17.

14. *Injuriam postulat*, vult facere nobis, nos injuste habet. Scilicet nos dimittit sine mercede, qui ei serviimus. — *Insignite*. Mil. II, 6, 77, et Casin. V, 2, 31. N.

21. *Conruptorem*. Pers. V, 2, 3.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

MILPHIO.

Exspecto quo pacto meæ techmæ processuræ sient.
Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miserum macerat:
Is me autem porro verberat, incursat pugnis, calcibus:
Servire amanti, miseria'st, præsertim qui, quod amat, caret.
Attat! e fano recipere video se Syncerastum
Lenonis servom: quid habeat sermonis, auscultabo.

SCENA SECUNDA.

SYNCERASTUS, MILPHIO.

SYNC. Satis spectatum'st deos atque homines cjus negligere gratiam,
Quoi homini herus est consimilis, velut ego habeo nunc hujusmodi.
Neque perjurior, neque pejor alter usquam'st gentium,

2. *Velut*, quia, quum. Cf. Epid. II, 2, 87.

3. *Is*, Agorastocles. Vid. I, 1, 12-16, 2, 171.

2. *Quoi homini herus.* Oratio non satis accurata; utpote quæ pueri est parum attendentis, qui loquatur. Hoc tamen voluit: Notum est, deos atque homines ei infestos esse, qui herum habeat hero meo consimilem. Lamb.

3. *Perjurior.* Mil. I, 1, 21.

Quam herus meus est : neque tam luteus, neque tam cœno conlitus.
Ita me di ament, vel in lautumiis, vel in pistrino mavelim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea,
Quam apud lenonem hunc servitutem colere : quid illuc est genus!
Quæ illeic hominum conruptelæ fiunt! di vostram fidem,
Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem veneris :
Equitem, peditem, libertinum, furem, ac fugitivom velis,
Verberatum, vinctum, addictum : qui habet quod det, ut homo 'st,
Omnia genera recipiuntur : itaque in totis ædibus
Tenebræ, latebræ : bibitur, estur, quasi in popina, haud secus.
Ibi tu videas literatas fictileis epistulas,

4. *Luteus ... cœno conlitus.* Supra I, 2, 55; Mostell. I, 3, 133, et Pers. III, 3, 2, 10.

5. *Ita me di ament.* Bacch. I, 2, 3. — *Lautumiis.* Recte *lautumias;* quasi λαστομίας. LAMB. — *Lautumiæ* sunt loca lapidibus cæsis exsecta, in quæ noxii damnari solebant. Cujusmodi erant lapidicinæ Syracusis in Sicilia. ASC. PÆDIAN. — *Lautumiis.* Captiv. III, 5, 78.

8. *Conruptelæ*, pernicies. Vid. III, 6, vs. ultimo.

20. *Equitem, peditem.* Tum civilis vitæ ordo militari discrimine distinctus fuit. — *Velis.* Quemcumque velis videre, seu equitem, seu peditem, etc. N.

11. *Vinctum*, qui obnoxius alicui ob æs alienum factus est, nervo vinctus, si liber fuerat, vel qui compedes passus est, si servus. Cf. Asin. II, 2, 19. — *Addictum*, qui, quum resolvendo impar esset, judicio prætoris in creditoris vel ejus cui reus erat, in ditionem cessit. — *Ut homo 'st*, qualiscumque est homo. N.

12. *Omnia genera*, post « qui habet quod det », enallage. Conf. Amph. III, 3, 11, et Terent. Eun. I, 2, 38.

14. *Epistulas.* Testas seu amphoras literis inscriptas, *epistolas fictiles* appellat. Rud. *Urna literata*, et *ensiculus literatus.* Vide interpretes ad illud Arbitri : « statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa ». Idem : « Scedium affixum ampullis, cui inscripta ætas vini ». Quas igitur noster hic *epistolas* vocat : ille πιττάκιον et *scedium :* Glossæ, *breves*, item *epistolas breves* et *modicas.* Horat. Sat. I, 10, *notas.* Ego *literatas*

Pice signatas; nomina insunt cubitum longis literis.
Ita vinariorum habemus nostræ delectum domi.
MILPH. Omnia, edepol, mira sunt, nisi herus hunc hæredem facit,
Nam is quidem illi, ut meditatur, verba facit emortuo.
Et adire lubet hominem, et autem nimis eum ausculto lubens.
SYNC. Hæc quom heic video fieri, crucior pretiis emtos maxumis,
Apud nos expeculiatos servos fieri suis heris.
Sed ad postremum nihil adparet. Male partum male disperit.

epistolas hic simpliciter intelligo, γραμματικὰ ποτήρια Athenæi, quæ et uno verbo ἐπιστολαὶ sint dictæ. MEURS.

15. *Pice signatas.* Quia ut epistolæ, sic amphoræ pariter clausæ et obsignatæ erant, hanc ridiculam excogitavit similitudinem. N. — *Nomina*, scil. consulum, quibus condita erant vina.

16. *Vinariorum*, est a re militari quæsita tralatio in voce *delectum*. Eo dico, ne quis forte de vasorum vinariorum multitudine Syncerastum loqui autumet, a Lambino inductus. DOUZA. — *Vinariorum*, œnopolarum delecta vina, quæcumque in œnopoliis venduntur. SCHM.

17. *Omnia ... mira sunt*, omnino mirum est. — *Nisi hunc hæredem facit.* Invehuntur in inscitiam illorum, qui ex hoc loco collegerunt, qui vivos laudant, ab iis hæredes plerumque scribi. Ipsi sic interpretantur: Mirum, si hujus herus leno Lycus, qui haud dubie fallaciis meis jam moritur et interit, hunc servum non facit hæredem: ita magnifica in hujus velut mortui laudem meditatur: credibile autem a nemine mortuum impensius laudari, quam ab eo, qui est hæres institutus. Et hoc parum scite. Non enim quasvis laudes et sermones honestos respicit auctor, sed proprie laudationes funebres, quæ defunctis honoratis viris fiebant pro Rostris, quod officium plerumque peragebant hæredes. Sic Tiberius novem annos natus defunctum patrem pro Rostris laudavit, Caligula Tiberium, Claudium Nero. Omnia mira sunt, inquit, nisi Lycus jam moriens (abierat enim cum his verbis: « amicos consulam, quo me modo suspendere æquum censeant potissimum »), eoque testamentum ordinans, hunc quum maxime hæredem facit: nam, ut loquitur, videtur secum meditari et commentari, quomodo mox eum, quum efferetur, laudaturus sit. GRON.

19. *Et autem nimis ausculto lub.* Tamen libentissime ausculto. — *Nimis.* Amphitr. I, 1, 58. Milphio Syncerastum, ut Euclio Megadorum, Aulul. III, 5, 22, vitia quæ odit ipse carpentem exaudit. N.

22. *Sed.* Bene peculiati fuerunt,

MILPH. Proinde habet hic orationem, quasi ipse sit frugi bonæ,
Qui ipsus, hercle, ignaviorem potis est facere ignaviam.
SYNC. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero vasa, ubi hostiis
Herus nequivit propitiare Venerem suo festo die.
MILPH. Lepidam Venerem! SYNC. Nam meretrices nostræ primis hostiis
Venerem placavere extemplo. MILPH. O lepidam Venerem denuo!
SYNC. Nunc domum ibo. MILPH. Heus, Synceraste. SYNC. Syncerastum qui vocat?
MILPH. Tuos amicus. SYNC. Haud amice facis, qui cum onere obferas moram.
MILPH. At ob hanc rem tibi reddam operam, ubi voles, ubi jusseris;
Habe rem pactam. SYNC. Si futurum'st, do tibi operam hanc. MILPH. Quomodo?
SYNC. Ut enim ubi mihi vapulandum'st, tu corium subferas.

sed omne in liberis lustris absumunt. — *Adparet*. Menæchm. II, 1, 14. Scilicet ut caput, sic peculium servi in domini mancupio erat. Igitur suum peculium dicuntur perdere dominis, non sibi. — *Male partum*, sæpe furto. N.

24. *Facere ignaviam*. Qui ipsam ignaviam id docere posset, quo ipsa fieri posset ignavior. BOXHORN. — Casin. II, 3, 28.

26. *Suo*, Veneris.

27. *Nam*. Cistell. IV, 1, 10. — *Primis hostiis*. Hoc vult dicere: Adelphasium et Anterastilem Aphrodisiis Venerem sibi fecisse volentem propitiam, id est, litasse, pacemque a patrona sua ac veniam impetrasse haud gravatim, idque *primis*, hoc est, *præcidaneis hostiis*, neque iis *succidaneas* subjici porro opus fuisse. Vide Festum. DOUZA.

30. *Cum onere*, nempe vasis et extis. Vid. sup. 25, et III, 3, 3.

31. *Reddam operam*. Conf. Asin. I, 1, 32.

32. *Habe rem pactam*, tibi pacto polliceor. — *Hanc*. Aulul. II, 2, 60, 89. — *Quomodo?* Pergit aversus abire alter; itaque Milphio: Quomodo, inquit, operam mihi das? » N.

33. *Ut enim*, etc. Syncerastus cavillatur, nam respondet τῷ *quomodo*, tanquam significaret: *qua ratione*. N. — *Corium* tuum, pro

MILPH. Apage. SYNC. Nescio quid viri sis. MILPH. Malus sum. SYNC. Tibi sis. MILPH. Te volo.

SYNC. At onus urget. MILPH. At tu adpone, et respice ad me. SYNC. Fecero:

Quamquam haud otium 'st. MILPH. Salvos sis, Syncerasto. SYNC. O Milphio,

Di omneis deæque ament! MILPH. Quemnam hominem? SYNC. Nec te, nec me, Milphio:

Neque herum meum adeo. MILPH. Quem ament igitur? SYNC. Alium quemlibet.

Nam nostrorum nemo dignus est. MILPH. Lepide loquere. SYNC. Me decet.

MILPH. Quid agis? SYNC. Facio quod manifesto mœchi haud ferme solent.

MILPH. Quid id est? SYNC. Refero vasa salva. MILPH. Di te et tuum herum perduint.

me tergum supponas. Ita Lambinus, et eum sequuti alii, sed pessime, interpretantur. Corius hic significat flagellum ex corio bubulo confectum. Ita supra, act. III: « Tres facile corios contrivisti bubulos ». Alibi: « Jam tibi tuis meritis crassus corius redditus est ». BOXHORN.—Docti viderint.

34. *Te volo.* Et hic jocus est ex ambiguitate, qua sæpe ludit Plautus. Hæc enim verba ad præcedentia relata, significant: Te volo tibi malum esse, tibi ipsum jumento tuo arcessere supplicium; et, ut solent, utque accipit servus alter; te volo conventum. GRON. — Nescio an nimium intelligendo faciat doctus vir ne intelligat, simplexque et plana sit orationis sententia.

36. *O Milphio.* Nempe versu præcedenti Milphio eum jussit respicere ad se. Quod autem tam multa inter se loquuti sint, antequam ad colloquentem Syncerastus respexerit, is est in scena antiqua lusus haud insolens. Vid. Trin. IV, 3, 52; Trucul. I, 2, 19. N.

39. *Nostrorum.* Sup. III, 1, 37.

40. *Quid agis?* Aulul. I, 2, 39. —*Manifesto mœchi*, i. e. deprehensi.

41. *Vasa.* Facete ludit in ambiguo: nam et *vasa* omne instrumentum et supellectilem significant, et eam partem, quæ honeste interque res serias nominari non potest; quamque Dea Bona a sacello suo exsulare voluit: hinc *bene vasatos* Lampridius dixit *probe mutoniatos.* In carmine libero: « Hic legimus Circen Atlandiademque Calypso, Grandia Dulichii vasa tulisse viri ». Plerumque autem accidebat, ut mœchis ἐπαυτοφώρῳ deprehensis virilia amputarentur. TURN. — Mil. act. V.

SYNC. Me non perdant : illum ut perdant facere possim, si velim,

Meum herum ut perdant ; ni mihi metuam, Milphío. MILPH. Quid id est? cedo.

SYNC. Malus es. MILPH. Malis sum. SYNC. Male mihi est. MILPH. Memoradum ; esse aliter decet.

Quid est quod male sit? quoi domi est quod edis, quod ames adfatim,

Neque triobulum ullum amicæ das, et ductas gratiis.

SYNC. Diespiter me sic amabit.... MILPH. Ut quidem, edepol, dignus es.

SYNC. Ut ego hanc familiam interire cupio! MILPH. Adde operam, si cupis.

SYNC. Sine pennis volare haud facile'st : meæ alæ pennas non habent.

MILPH. Nolito, edepol, devellisse; jam his duobus mensibus

42. *Me non perdant.* Hæc scriptura est veterrimorum librorum. Neque causa erat, cur eam sollicitarent eruditi. Dixerat Milphio : Dii te et herum tuum perdant. Respondet Syncerastus : Immo me dii non perdent, ut mea superstitis opera perdere possint herum meum. In mea enim manu est perdere posse herum, si velim. BOXHORN.

43. *Cedo*, dic.

44. *Malis sum.* Vulgo, *malus.* Si nugarum pœnitet, lege mecum : *Malis sum.* Dixerat ante idem Milphìo, vs. 34, *Malus sum;* quemadmodum in Cistellaria quoque de se servus, IV, 2 : « Bona femina et malus masculus volunt te ». Hoc nunc ei reddit alter : non audeo apud te confiteri, quia *malus es;* respondet ille : Sic *sum* malus, sed *malis :* non bonis sive omnino sive ad commodum mihi heroque meo negotium. Sic infra : « Potin' tu fieri subdolus? HA. Inimico possim ». GRONOV.—*Memoradum.* Qui legebant *memorandum*, non habebant assuetas aures ἰδιωτισμῷ romano, quem adamarunt comici. Hac ipsa fabula, V, 2 : « Memoradum mihi, si novi forte ». Ennius apud Ciceronem, Acad. IV : « Iteradum eademmet ista mihi ». Et Cic. Tusc. II : « Iteradum eadem ista mihi : non enim intelligo ». Habet et lib. XIV ad Attic. 14. GRON. — *Esse al. decet.* Ironia est.

45. *Quoi domi est, quod.* Habitabat enim Syncerastus apud lenonem. LIPS.

47. *Diespiter,* etc. Formula jurisjurandi, quæ seq. versu absolvitur. Captiv. III, 4, 89; IV, 2, 97.

48. *Adde operam*, ut hæc fiant, factis adjuva, non votis tantum.

50. *Nolito, edepol, devellisse.* Nequam plagitriba, præter omnem

Volucreis tibi erunt tuæ hirquinæ. SYNC. I in malam rem,
MILPH. I tu atque herus.
SYNC. Verum enim qui homo eum gnorit, cito homo pervorti potest.
MILPH. Quid jam? SYNC. Quasi tu tacere quidquam potis sis. MILPH. Rectius
Tacitus tibi resistam, quam quod dictum 'st malæ mulieri.
SYNC. Animum inducam facile, ut tibi istuc credam, ni te gnoverim.
MILPH. Crede audacter meo periculo. SYNC. Male credam, et credam tamen.
MILPH. Scin' tu herum tuum meo hero esse inimicum capitalem? SYNC. Scio.
MILPH. Propter amorem. SYNC. Omnem operam perdis. MILPH. Quid jam? SYNC. Quia doctum doces.
MILPH. Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo hero meus quod possiet
Facere, faciat male, ejus merito : tum autem si quid tu adjuvas,

exspectationem, ex docti dicti insolentia risum aucupatur, alludens ad pilos subalares. *Hircinas* contemtim appellat, ad *hircum subalarem*, i. e. axillarum fœtorem, oblique respiciens. DOUZA.

52. *Qui homo eum gnorit*, etc. Qui homo eum gnoverit, qualis sit, quidque ausus fuerit, is homo eum perdere potest. Vide infra vs. 70-76. N.

54. *Rectius tacitus*. Nec *tacitius* est legendum, nec in τῷ *tacitus* τὸ *magis* intelligendum, ut docti volunt : nam ejus vicem hic adest τὸ *rectius*, in quo adverbium illud continetur : est enim idem quod *magis recte*. *Resistam* etsi habent codices, et potest explicari, malo tamen cum Palmerio et Acidalio *rem sistam*, ut infra sct. V, 2 : « Suam rem sibi salvam sistam ». Rem, quamcumque credideris, tacitus tibi recte servabo (nam quod sisti et redhiberi potest, servetur necesse est) magis, hercle, quam quod dictum est malæ mulieri, servatur. GRON. — *Quod mulieri*, etc. Rem mihi creditam præstabo diligentius, quam præstatur quod dictum est mulieri malæ. Quid autem tali dicitur, nisi malum? N.

56. *Crede*. Ludit ambiguo sensu credendi arcani, et pecuniæ credendæ. Curcul. IV, 3, 9. — *Meo periculo*. Se sponsorem servandi arcani præbet. Conf. Casin. II, 4, 14. N.

Eo facilius poterit facere. SYNC. At ego hoc metuo, Milphio.

MILPH. Quid est quod metuas? SYNC. Dum hero insidias parem, ne a te perduar:

Si herus meus me esse locutum quoiquam mortali sciat,

Continuo is me ex Syncerasto crucifragium fecerit.

MILPH. Nunquam, edepol, mortalis quisquam fiet e me certior,

Nisi hero meo uni indicasso, atque ei quoque, ut ne enunciet

Id esse facinus ex te ortum. SYNC. Male credam, et credam tamen.

Sed hoc tu tecum tacitum habeto. MILPH. Fidei non melius creditur.

Loquere, locus obcasioque est, libere; heic soli sumus.

SYNC. Herus si tuus volet facere frugem, meum herum perdet. MILPH. Quî id potest?

SYNC. Facile. MILPH. Fac ergo id facile gnoscam, ut ille possit gnoscere.

SYNC. Quia Adelphasium, quam herus deamat tuus, ingenua est. MILPH. Quo modo?

62. *Perduar*, a vetere *perduo*, i. q. perdo. Bothiana est lectio quam a vett. edd. colligit. Vulgo: « ne a te perdeam ». Et de hac lectione Gronovius: Admitto Parei *paritem*, quam MSS ambo *parilem*. Et exstat hoc verbum Pseudolo, I, 5: « Per doctos dolos paritas, ut auferas a me ». Dein lego: *ne a te pendeam*. Id est, ne salus mea non sua nitatur vi, sed ex te suspensa sit: in tua potestate, in tuis manibus sit. Petronius: « Sine quo non potes vivere? ex cujus osculo pendes? » Simul alludit ad supplicium servorum, qui pendentes plectebantur. Ut sit, ne tua opera et beneficio, quoties tibi lubebit, pendeam, sive in cruce, sive ad vapulandum. GRON.

64. *Ex Syncerasto cruc.* Græcum συγκεραστὸν est mixta, præparata potio; quem ad sensum alludens, convertet me, inquit, ex potione in crucifragium, i. e. in fragmenta corporis in cruce contriti et confracti. — *Crucifragium*, vox eadem ratione qua *naufragium* conficta. N.

67. *Male credam*, etc. Scio me tibi haud taciturno crediturum, sed ea prurigine linguæ laboro, ut non possim reticere. N.

70. *Facere frugem*, probe rem gerere.

SYNC. Eodem, quo soror illius altera Anterastilis. MILPH. Sed quî id credam? SYNC. Quia
Illas emit in Anactorio parvolas, duodeviginti minis,
De prædone Siculo. MILPH. Quanti? SYNC. Duodeviginti minis.
MILPH. Duas illas? SYNC. Nutricem earum tertiam.
Et ille qui eas vendebat, dixit se furtivas vendere;
Ingenuas Carthagine aibat esse. MILPH. Di vostram fidem!
Nimium lepidum memoras facinus: nam herus meus Agorastocles
Ibidem gnatus, inde subreptus fere sexennis, postibi
Qui eum subripuit, huc devexit, meoque hero eum heic vendidit.
Is in divitias homo adoptavit hunc, quom diem obiit suum.
SYNC. Omnia memoras; quo id facilius fiat, manu eas adserat
Suas populareis, liberali causa. MILPH. Tacitus tace modo.
SYNC. Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.

76. *Tertiam.* Hoc sensu : Quod tu miraris, duas illas tam vili emtas; accessit etiam tertia : ita ut tres venierint octodecim minis; quum solenne alias pretium unius, ut minimum, triginta. ACIDAL.

79. *Nimium lepidum*, lepidissimum. — *Facinus*, rem. Id est, tua enarratio nobis contingit felicissima. Cf. Menæchm. III, 1, 2, et h. fab. V, 2, 126. N.

81. *Meoque hero*, cui olim serviebam, et qui me transmisit habendum Agorastocli, N.

83. *Omnia memoras.* Formula loquendi transitiva, fere similis huic gallicæ, *c'est très bien.* Omnia sane quæ ad rem pertinent memorasti; res sic habet. N.

84. *Liberali causa.* Adserat eas in libertatem causa liberali, id est, judicio seu actione de libertate. Terent. Adelph. act. II, scen. 1 : « Nam ego illam liberali assero causa manu » : ad quem locum Donatus : Ordo est : Ego liberali causa manu assero. Et sunt juris verba, a quibus etiam *assertores* dicuntur, vindices alienæ libertatis. GRONOV.

85. *Ad incitas.* Desumta loquendi ratio a ludo latrunculorum, quem nos vulgo *Scacchorum* vocamus. Ad incitas hodie dicimus *scacchum mattum.* Vide doctissimum Wernsdorfii Excursum de latrunculorum ludo, Poet. Minor. tom. III, p. 292-96. N.

MILPH. Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit.
Ita paratum'st. SYNC. Ita di faxint, ne apud lenonem hunc serviam.
MILPH. Quin, hercle, conlibertus meus, faxo, eris, si di volent.
SYNC. Ita di faxint: numquid aliud, ne morare, Milphio?
MILPH. Valeas, beneque ut tibi sit. SYNC. Pol, istuc tibi et hero tuo est in manu.
Vale, et hæc cura, clanculum ut sint dicta. MILPH. Non dictum'st, vale.
SYNC. At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur. MILPH. Lepidus, quom mones:
Et hoc ita fiet. SYNC. Proba materies data'st, si probum adhibes fabrum.
MILPH. Potin' ut taceas? SYNC. Taceo atque abeo. MILPH. Mihi commoditatem creas.
Illic hinc abiit: di immortaleis meum herum servatum volunt,
Et hunc disperditum lenonem; tantum eum instat exiti.
Satine, priusquam unum est injectum telum, tum instat alterum!
Ibo intro, hæc ut meo hero memorem: nam huc si ante ædeis sevocem,

86. *Unam calcem. Calcem* vocat hic *calculum*, alluditque ad proverbium quod usurpavit. Et ita Lucillius: « Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, Et calces »: nam *calces* hic *calculi* manifesto. Festus: « Calces, qui per diminutionem vocantur calculi ». Vides ergo, quomodo Plautus dixerit, *Ciere calces*: κινεῖν τοὺς πεσσούς. SCALIG.

91. *Non dictum 'st*, nihil dixisti. Formula pollicendi taciturnitatem.

92. *Dum calet*, dum recens est, et occasio præsto. Tralatio a ferro, quod, dum calet, tundendum est: ubi refrixit, frustra cuditur. LAMB. — *Lepidus, quom mones*, bene mones. N.

94. *Mihi conmodit. creas.* Commode facis; nam tua loquacitas mihi esse importuna cœperat.

97. *Satine.* Conf. Mostell. I, 1, 73.

Quæque audivistis modo, nunc si eadem heic iterem, inscitia 'st.
Hero uni potius intus ero odio, quam heic sim vobis omnibus.
Di inmortaleis, quanta advenit calamitas
Hodie ad hunc lenonem! Sed ego nunc est, quom me moror.
Id negotium institutum 'st, non datur cessatio.
Nam et hoc docte consulendum quod modo concreditum 'st,
Et illud autem inserviundum 'st consilium vernaculum.
Remora si sit, qui malam rem mihi det, merito fecerit.
Nunc intro ibo : dum herus adveniat a foro, obperiar domi.

100. *Odio.* Cf. Asin. II, 4, 40; V, 2, 71. Tædium movebit non re, sed multiloquio.

103. *Institutum 'st.* Metaphora ab operibus fabricisque, quarum primum compages statuitur, dein perficitur ædificatio.

104. *Docte.* Vulgo *nocte*, perperam.

105. *Vernaculum*, id est, domesticum illud et a nobis natum consilium, a me servo adjuvandum. Ita Cic. *crimen domesticum ac vernaculum.* Id. *sapor vernaculus.* Id. *vernacula festivitas*, id est, domestica. Varro : *verbum vernaculum ac domi natum.* Id. *vinum*, item *uva vernacula.* De dolo quem instruxerunt act. III, sc. 2, 3, 4, loquitur.

106. *Remora*, etc. Si per me mora consiliis perficiendis officiat, non recuso quin male mulcter. N.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

HANNO LOQUITUR PUNICE.

YTHALONIM, vualonuth si chorathisima comsyth,
Chym lachchunyth munys thalmyctibari imisci

1. *Ythalonim, vualonuth.* Punica hæc scripta erant sine punctis vocalibus, ut et Hebræa sive Phœnicia omnia. Librarii vero vocales pro ingenii et eruditionis suæ modulo substituerunt, falso sæpius quam factum vellem. Snut autem rescribenda latinis litcris, et distingucuda ad huuc modum: « Neth alonim, valonoth, secor eth isi macum soth: | Chyni lachchu, vultmimi, Sty almotb ibartbi mischi: | Liphoc ancthy hymi Thu ad aedin, bymi Thu, | Byrna roh, syllo hcm alonim, ubymi syr, tohu: | Bythym othyuosh athu: nelecb au, tu das machon? | E sod elle? brum tyfeloth cbyli, scontem li, phol | Eth banim. Ys diber noth co noth Agorastocles: | Uthemuua tehy chora: sed ucoch, soth nose, | Bynuu. Dchi li ihi gebulim, lasbit thumi: | Bady al ethc ra, cnnyn, uaflym mincoth nisim | Et alonim valonoth: seccarati misti attic, umasse, | Conco biti miabel lo cuti uibe ani: lo laccu tchiua, anus ia. | Hoi cesi, lec po, nasse athid amas, con al emum diber Tefelon, ob, uthume: | Cel tum: com ucra: lu euu: et oui manu ose: ubar banthy ach Aristoclem: | At, assena china sot, el ialeui, cosa lemum diber termi, cai: upsu aspoti: | E od eauec lictor bo desi assam limuim coles ». Latine ita reddas licet: « Incliuate et advortite, o Di Deæque, quorum sub numinc viri hujus civitatis sunt: | Deprecationcm et integritatem meam accipite. Duas filias generavi, rohur mcum: | Fato impulsus feci ut ireut singulis deorum diebus festis ad hortos, | Cum gaudio multo, quod conturbavit deus, et in die cantici fuit vacuitas: | Puellæ subreptæ obierunt: quonam ibo thalamos omucs calcans? | Ubi est qui illas rapuit? ut tollam ineptitudines doloris mei, quas quasi fructus producit mihi gignere et educare | Libcros. Dixerunt hic pro certo habitare Agorastoclem: | Est hospitalis tessera, Saturni imago (hanc fero), | Inter nos: Esto aliquis finis itineris mei, quo tandem integritati meæ requies conccdatur: | Ne solus, ct miser afflictusque

Lipho canet hyth bymithii ad ædin bynuthii.
Byrnarob syllo homalonin uby misyrthoho
Bythlym mothym noctothii nelechanti daschmachon
Yssidele brim tyfel yth chylys chon, tem, liphul
Uth bynim ysdibut thinno cuth nu Agorastocles
Ythe manet ihy chyrsæ lycoch sith naso
Byuni id chil luhili gubylim lasibith thim
Bodyalyt herayn nyn nuys lym moncoth lusim
Exanolim volanus succuratim misti atticum esse
Concubitum a bello cutins beant lalacant chona enns es
Huiec silec panesse arthidamascon alem induberte felono buthume
Celtum comucro lueni, at enim avoso uber bent hyach Aristoclem
Et se te aneche nasoctelia elicos alemus duberter mi comps vespiti
Aodeanec lictor bodes jussum limnimcolus.
Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt,
Ut, quod de mea re huc veni, rite venerim;
Measque ut gnatas, et mei fratris filium,

errem hue illuc, quin potius in liberis meis innover, et rependam dona et oblationes Dis deabusque, quos invocavi consultores et adjutores mihi, | Ad lustrandam domum meam a dolore, quo affectus sum quum illos laudarem. Sed orationem non acceperunt, afflictissimusque sum et animum despondeo. | O spes mea, huc veni: et qui me cumque manet labor, perferre facito, animos sume a veritate oraculi et responsorum Dei Taῦ, a divinationibus, et ostentis, prodigiisque: | Numero adimplere: erige te, et precare. Utinam exaudiant! facessat dolor a patre religioso, et dignoscam fratris filium Aristoclem: | Attente audi lamentationem istam, Deus mea potentia, festina ad veritatem verbi exaltationis meæ, o Deus, et cessabunt sterquilinia mea. | Ecce deinceps de meis facultatibus honorem habebo, sacrificans far dis omnibus, et laudans ». Ita Petitus lib. II Miscellaneorum, c. 2, quem interpretationis hujus suæ rationem reddentem vide.

17. *Veneror.* Cf. Bacch. II, 1, 4.

18. *Ut, quod*, etc. Ut res mea, cujus causa huc veni, prospere cedat. Ut feliciter venerim, quoad veni de mea re. N.

19. *Fratris filium*, quem mox agnoscet Agorastoclem.

Reperire me siritis, di, vostram fidem,
Quæ mihi subreptæ sunt, et fratris filium.
Sed heic mihi antehac hospes Antidamas fuit.
Eum fecisse aiunt, sibi quod faciundum fuit.
Ejus filium heic prædicant esse Agorastoclem.
Deum hospitalem ac tesseram mecum fero:
In hisce habitare monstratu'st regionibus.
Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.

SCENA SECUNDA.

AGORASTOCLES, MILPHIO, HANNO.

AGOR. Ain' tu tibi dixe Syncerastum, Milphio,
Has esse ingenuas ambas subreptitias
Cartaginienseis? MILPH. Aio, et, si frugi esse vis,
Eas liberali jam adseres causa manu.
Nam tuom flagitium'st tuas populareis te pati
Servire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ.
HAN. Pro, di inmortaleis, obsecro vostram fidem!
Creta est profecto horum hominum oratio.

23. *Fecisse, sibi quod faciundum fuit.* Græce κατ' εὐφημισμὸν pro mortuum esse. GRON.*

25. *Tesseram.* Apud antiquos hospitia eranl privata, quæ magna eral necessitudo. Proplerea *hospitium* persæpe pro *amicitia* ponitur. Fuil autem antiqui moris tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicumque altulisset ad hospitem, continuo agoosci possel et hospitio excipi, tanquam amicus et vetus hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posleros transibat: proplerea *tesseram hospitalem* diligenter adservabanl. Qui aulem jus hospilii violabat, is *tesseram hospitalem confregisse* dicebatur, ut Cislell. II, 1, 27. BUDÆUS.

8. *Creta.* Nego *cretam* per appositionem sumi pro sermone candido et fauslo. Arbilror potius Pœnum dicere, oralionem Agorastoclis el Milph. eamdem vim habere, quam cretam: nam ul ea emaculanlur vesles, sic illa omnes animo suo ablutas sordes. Jam crela sordidas vestes nitidari solitas, scitur ex Plin. XXXV, 15 el 17. GRUTER. — Sic Grnterus ex vs. 10 sententiam interpretalur. At qui hanc locutionem *creta est* audiebanl, poluil el notio felicitatis venire in menlem spectatoribus. « Illa prius

Quam orationem hanc aureis dulcem devorant!
Ut mi absterserunt omnem sorditudinem!
AGOR. Si ad eam rem testeis habeam, faciam quod jubes.
MILPH. Quid tu mihi testeis? quin tu insistis fortiter.
Aliqua fortuna fuerit adjutrix tibi.
AGOR. Incipere multo est, quam inpetrare, facilius.
MILPH. Sed quænam illæc avis est, quæ huc cum tunicis advenit?
Numnam it a balneis circumductus pallio?
Facies quidem edepol * * *
Servos quidem, edepol, veteres antiquosque habet.
AG. Quî scis? MIL. Viden' homineis sarcinatos consequi?
Atque, ut opinor, digitos in manibus non habent.
AGOR. Quid jam? MILPH. Quia incedunt cum anulatis auribus.
Adibo hosce, atque adpellabo Punice.
Si respondebunt, Punice pergam loqui:
Si non; tum ad horum mores linguam vortero.

ereta, mox hæc carbune notasti ». Persius, Sal. V, v. 108, ita bonis mala secernit. N.

9. *Devorant.* Cf. Asin. III, 3, 59, et Aulul. III, 6, 1.

14. *Inpetrare.* Impetrare, ad exitum perducere sive consummare est. *Inpetrare* et *perpetrare* ab antiquo verbo *patro* derivata sunt. DURAND.

15. *Avis. Avem* nominat Pœnum, ob manicas alarum instar utrinque pensiles libereque fluentes. *Manicatas* autem *tunicas* probro verti, diximus Pseudulo. TAUBM.

16. *Circumductus pall.* Cui furto pallium subreptum sit. Multi fuere in balneis fures.

18. *Veteres antiquosque.* Cf. Most. II, 2, 45.

19. *Quî scis?* Aiebat Milphio, servos illi Pœno vetulus esse: id unde sciat rogatus, ipsos homines commonstrat eum sarcinis sequentes. Jocatur autem in schema sarcinatorum, qui sub onere curvi incedentes, videntur senes assimulare ætatis pondere, quasi Ætna depressos. ACIDAL.

21. *Anulatis auribus.* Male audiebant apud Romanos barbari, præsertim Pœni, qui aures perforatas habebant; neque mediocriter eos aversabantur. Lucilius: « Nequam est, aurum aures cujus vehementius ambit ». Unde jocus Cic. in Afrum: « Atqui aurem foratam habes, etc. » ERN.

24. *Ad horum mores.* Ambigue dictum; namque palam significat se ad hospitum morem loquendi sermonem suum accommodatu-

Quid ais tu? ecquid adhuc conmeministi Punice?
AGOR. Nihil, edepol : nam quî scire potui, dic mihi,
Qui illinc sexennis perierim Carthagine?
HAN. Pro di inmortaleis! plurimi ad hunc modum
Periere pueri liberi Carthagine.
MILPH. Quid ais tu? AGOR. Quid vis? MILPH. Vin' ad pellem hunc Punice?
AGOR. An scis? MIPH. Nullus me est hodie Pœnus Punior.
AGOR. Adi atque adpella, quid velit, quid venerit,
Qui sit, quojatis, unde sit : ne parseris.
MILPH. Avo, quojates estis? aut quo ex oppido?
HAN. Hanno muthumballe bechadreanech.
AGOR. Quid ait? MILPH. Hannonem sese ait Carthagine,
Carthaginiensem Muthumballis filium.
HAN. Avo. MILPH. Salutat. HAN. Donni. MILPH. Doni volt tibi
Dare hinc nescio quid : audin' pollicerier?
AGOR. Saluta hunc rursus Punice verbis meis.
MILPH. Avo donni, hic mihi tibi inquit verbis suis.
HAN. Me bar bocca. MILPH. Istuc tibi sit potius quam mihi.
AGOR. Quid ait? MILP. Miseram esse prædicat buccam sibi.
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.
AGOR. Si ita est, nega esse, nolo ego errare hospitem.

rum. Quos vero Pœnos agnoverit, si ad eorum mores linguam accommodet, lingua sit falsidica. N.

25. *Quid ais tu?* Aul. IV, 9, 7.

27. *Perierim.* Captiv. III, 4, 5.

29. *Periere pueri*, etc. Crudele sane ludibrium; quippe quæ verba, coram Romanis, ad infortunia multarum gentium Punicarum alluderent, jam profligato secundo Punico bello. N.

40. *Verbis meis.* Conf. Amphitr. III, 3, 12.

43. *Miseram buccam.* Valde proprie *miseram buccam* dixit pro mala et ægrota : nam et *miser locus*, ὁ πεπονθὼς, et *miserum latus* Horatio : *dens miser* Marcello. *Miser* autem ex græco μογερὸς, quod Æoles μυγερὸς dicebant. Latini enim τὸ γάμμα in σίγμα frequenter vertebant in his vocibus quas ex græco mutuabantur. SALM.

44. *Fortasse arbitrarier*, pro, *fortasse arbitratur.* Hæc enim adverbia *scilicet*, *videlicet*, *fortasse*, veteres ponebant cum infinitivo. GRONOV.*

MILPH. (ad Hannonem.) Audi tu : rufen nuco istam. AGOR. Sic volo,
Profecto vera cuncta huic expedirier.
Roga, numquid opus sit? MILPH. Tu qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem; aut quid quæritis?
HAN. Muphursa. AGOR. Quid ait? HAN. Miuulechianna. AGOR. Quid venit?
MILPH. Non audis? mures Africanos prædicat
In pompam ludis dare se velle ædilibus.
HAN. Læch lachananim limi nichot. AGOR. Quid nunc ait?
MILPH. Ligulas canaleis ait se advexisse et nuces :
Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant.
AGOR. Mercator, credo, est. HAN. Isam aruinam. AGOR. Quid est?
HAN. Palum erga dectha. AGOR. Milphio, quid nunc ait?
MILPH. Palas vendundas sibi ait, et mergas datas,

48. *Qui zonam non habes*. *Zanam perdidit*, eastrense Proverbium in ἀχρηματους. Horat. « Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit ». Sed in his Planti verbis duplex est allusio : et ad vestem Pœnorum more distinetam, et ad peenniam, quæ in zona gestatur, eitra quam in urbe sumtuosa non sat commude vivitur. ERASM.

51. *Mures Africanos*. Romani illi veteres simplicesque *elephantem* vocarunt bovem lucam; *struthionem*, passerem marinum; *camelopardalim*, ovem feram; *pantheras*, mures Africanos; *leanes*, ursos Numidieos sive Libyeos. LIPS.

54. *Ligulas canaleis*. Pro *ligulas canales* non mihi reponendum videtur *ligulas venales*. Non enim hie alludit ad Punica quæ Pœnulus protulit, *Lalech lib cananili mi nichat*. Servus nequam qui Punice nesciebat, loquentis Pœni verba ex solo sono interpretatur. Distinguendum tantum puto ae legendum : « Ligulas, canales, ait se advexisse et nuces ». Qui sunt *canales?* Nempe id quod Latine dieuntur. Sed deridieuli gratia ex sono Punicæ vocis, canales etiam advexisse ait. Sie palas et mergas vendundas sibi datas dixisse ait Pœnum, quia punice dixerat *Palu merga dectha*. Punica illa adhue lucem desiderant, post virorum doctorum operam in his explieandis positam. Sed otium nunc non est ea refutare, quæ perperam ab illis exposita sunt, et dare simul meliora. SALM.—Potuisset seurra detorquere e punicis *ligulos canum*.

58. *Palas*. *Pala* interdum nomen est instrumenti rustici, quo terra fossa vel egeritur, vel aggeritur. TAUBM. — *Mergas*. « Mergæ, furculæ quibus acervi frugum fiunt : dietæ a volueribus mergis : quia ut

Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.
Ad messim credo missus hic quidem tuam.
AGOR. Quid istuc ad me? MILPH. Certiorem te esse volui,
Ne quid clam furtive adcepisse censeas.
HAN. Muphonnium sucorahim. MILP. Hem, cave si feceris,
Quod hic te orat. AGOR. Quid ait, aut quid orat? expedi.
MILPH. Sub cratim uti jubeas sese subponi, atque eo
Lapides imponi multos, ut sese neces.
HAN. Gunebel balsameniierasan. AGOR. Narra, quid est?
Quid ait? MILPH. Non, hercle, nunc quidem quidquam scio.
HAN. At ut scias nunc, dehinc Latine jam loquar.
Servom, hercle, te esse oportet et nequam et malum,
Hominem peregrinum atque advenam qui inrideas.
MILPH. At, hercle, te hominem et sycophantam, et subdolum,
Qui huc advenisti nos captatum migdilybs,
Bisulcilingua, quasi proserpens bestia.
AGOR. Maledicta hinc aufer: linguam conpescas face.
Maledicere huic tu temperabis, si sapis.
Meis consanguineis nolo te injuste loqui.
Carthagini ego sum gnatus, ut tu sis sciens.
HAN. O mi popularis, salve. AGOR. Et tu, edepol, quisquis es.

illi se in aquam mergunt, dum pisces persequuntur; sic messores eas in fruges demergunt, ut elevare possint manipulos ». FESTUS.

62. *Ne quid*, etc. Ne quid eum, si admiseris, furto cepisse credas.

65. *Sub cratim*. Supplicii genus Carthaginiensibus usitatum: quod Tacit. lib. De moribus German. ita commemorat: « Proditores et profugas arboribus suspendunt: ignavos et imbecilles et corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt, etc. » Livius, lib. IV: « Ad vociferationem eorum, quos sub crate necare jusserat, concursu facto ». LAMB.

73. *Migdilybs. Migdilybs*, mixtus Libys est, ut illum mixti generis significet, et bilinguem, id est, *δίγλωττον* et *μιγάδα*: quales erant Carthaginienses, qui utebantur et lingua Tyriorum et Afrorum. Virg. Æn. I: « Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilingues ». Duplici autem lingua qui utuntur, infideles et veteratores improbique habentur: itaque Hannonem, ut bilinguem, dicit esse *bisulca lingua quasi proserpentem bestiam*. TURN.

Et si quid opus est, quæso, dic atque inpera,
Popularitatis causa. HAN. Habeo gratiam.
Verum ego heic hospitium habeo : Antidamæ filium
Quæro, conmonstra, si gnovisti Agorastoclem.
Ecquem adulescentem tu heic gnovisti Agorastoclem?
AGOR. Siquidem tu Antidamæ heic quæris adoptatitium,
Ego sum ipsus, quem tu quæris. HAN. Hem! quid ego audio?
AGOR. Antidamæ gnatum me esse. HAN. Si ita est, tesseram
Conferre si vis hospitalem, eccam adtuli.
AGOR. Agedum, huc ostende: est par probe; nam habeo domi.
HAN. O mi hospes, salve multum : nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo, hospes Antidamas fuit;
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.
AGOR. Ergo heic apud me hospitium tibi præbebitur.
Nam haud repudio hospitium, neque Carthaginem;
Inde sum oriundus. HAN. Di dent tibi omneis quæ velis.
Quid ais? quî potuit fieri, ut Carthagini
Gnatus sis; heic autem habuisti Ætolum patrem?
AGOR. Subreptus sum illinc : heic me Antidamas hospes tuus
Emit, et is me sibi adoptavit filium.
HAN. Demarcho item ipse fuit adoptatitius.
Sed mitto de illo, et ad te redeo : dic mihi,
Ecquid meministi tuum parentum nomina?
AGOR. Patris atque matris memini. HAN. Memoradum mihi:
Si gnovi forte, aut si sunt congnati mihi.

81. *Popularitatis*, quia popularis es meus.

89. *Est par probe.* Vide not. 25 scen. præc.

91. *Pater tuus ergo*, id est, pater tuus, inquam : scilicet sunt quædam vocabula in comicis, qui negligentiorem vulgi sermonem imitantur, quorum via occulta γεωμετρικῶς ostendi non potest. Cujusmodi hic τὸ *ergo*. Mil. IV, 1, 77, *sicut*. Mercat. I, 2, 9, *autem*. Et ibid. II, 2, 39, *ergo*. Persa, II, 2, 39, *hodie :* et hujus generis alia. L.

AGOR. Ampsigura mater mihi fuit, Iachon pater.
HAN. Patrem atque matrem viverent vellem tibi!
AGOR. An mortui sunt? HAN. Factum, quod ægre tuli.
Nam mihi sobrina Ampsigura tua mater fuit.
Pater tuus is erat frater patruelis meus,
Et is me hæredem fecit, quom suum obiit diem.
Quo me privatum ægre patior mortuo.
Sed si ita est, ut tu sis Iaconis filius,
Signum esse oportet in manu læva tibi,
Ludenti puero quod momordit simia.
Ostende, ut inspiciam, aperi. AGOR. Vide, eccum adest?
Mi patrue, salve. HAN. Et tu salveto, Agorastocles.
Iterum mihi gnatus videor, quia te reperi.
MILPH. Pol, istam rem vobis bene evenisse gaudeo.
Et te moneri numne vis? HAN. Sane volo.
MILPH. Paterna oportet reddi filio bona.
Æquom 'st habere hunc bona quæ possedit pater.
HAN. Haud postulo aliter; restituentur omnia.
Suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit.
MILPH. Facito, sis, reddas, etsi heic habitabit tamen.
HAN. Quin mea quoque iste habebit, si quid me fuat.
MILPH. Festivom facinus venit mihi in mentem modo.
HAN. Quid id est? MILPH. Tua est opus opera. HAN. Dic
mihi, quid lubet?
Profecto uteris, ut voles, operam meam.
Quid est negoti? MILPH. Potin' tu fieri subdolus?
HAN. Inimico possum, amico insipientia 'st.
MILPH. Inimicus, hercle, est hujus. HAN. Male faxim
lubens.

106. *Patrem atq. matrem viver.* Hellenismus, qualis obviam fit passim. Asin. I, 1, 13.

123. *Si illo advenerit*, quum Carthaginem iverit.

125. *Si quid me fuat*, id est, si obiero mortem. Lucilius: « Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis ». Cic. « si quid mihi humanitus accidisset ». De hac loquendi formula vid. Trin. I, 2, 120.

126. *Facinus.* Supra IV, 2, 79.

MILPH. Amat a lenone hic. HAN. Facere sapienter puto.
MILPH. Leno heic habitat vicinus. HAN. Male faxim lubens.
MILPH. Ei duæ puellæ sunt meretrices servolæ
Sorores : earum hic alteram ecflictim perit;
Neque eam incestavit unquam. HAN. Acerba amatio'st.
MILPH. Nunc leno ludificatur. HAN. Suum quæstum colit.
MILPH. Hinc illi malam rem dare volt. HAN. Frugi, si id facit.
MILPH. Nunc hoc consilium capio, et hanc fabricam adparo,
Ut te adlegemus; filias dicas tuas,
Subreptasque esse parvolas Carthagine,
Manuque liberali causa ambas adseras,
Quasi filiæ tuæ sint ambæ : intellegis?
HAN. Intellego, hercle, nam mihi item gnatæ duæ
Cum nutrice una subreptæ sunt parvolæ.
MILPH. Lepide, hercle, adsimulas : jam in principio id mihi placet.
HAN. Pol, magis, quam vellem. MILPH. Heu! hercle, mortalem catum,
Malum, crudumque et callidum atque subdolum!
Ut adflet, quo illud gestu faciat facilius!
Me quoque dolis jam superat architectonem.
HAN. Sed earum nutrix, qua sit facie, mihi expedi.
MILPH. Statura haud magna, corpore aquilo. HAN. Ipsa ea'st.

132. *Amat a lenone*, amat puellam quæ in lenonia jure est. Conf. Curcul. V, 2, 20.

136. *Incestavit*, id est, vitium attulit. BOXH.

137. *Suum quæst. col. Il fait son métier.* Lenones perjuri. Cf. Capt. Prol. 57.

147. *Pol, magis quam vellem.* Certe, inquit, magis hæc assimulo, quam vellem: non enim tam assimulata hæc sunt, quam vera. Et utinam vera non essent! BOXH.

148. *Crudum.* Cruda Deo viridisque senectus.

149. *Gestum.* Supinum a *gerere.*

151. *Qua sit. Faciem* pro totius corporis colorisque habitu dixit : neque enim *facie* os tantum et oculi et genæ, id est, πρόσωπον notatur: sed forma omnis et modus et factura quædam totius corporis, a *faciendo*. De quo Gell. XIII, 28. GR.

152. *Corpore aquilo.* Aquilus co-

MILPH. Specie venusta, ore parvo atque oculis pernigris.
HAN. Formam quidem, hercle, verbis depinxti mihi.
MILPH. Vin' eam videre? HAN. Filias malo meas.
Sed i, atque evoca illam, si eæ meæ sunt filiæ.
Si illarum est nutrix, me continuo gnorit.
MILPH. Heus! ecquis heic est? nunciate ut prodeat
Foras Giddeneme : est qui illam conventam esse volt.

SCENA TERTIA.

GIDDENEME, MILPHIO, HANNO, AGORASTOCLES, PUER.

GIDD. Quis pultat? MILPH. Qui te proxumus est. GIDD. Quid vis? MILPH. Eho,
Gnovistin' tu illunc tunicatum hominem, qui siet?
GIDD. Nam quem ego adspicio! Pro supreme Jupiter!
Herus meus hic quidem est, mearum alumnarum pater,
Hanno Carthaginiensis. MILPH. Ecce autem mala!
Præstigiator hic quidem Pœnus probu'st,
Perduxit omneis ad suam sententiam.
GIDD. O mi here, salve, Hanno, insperatissume
Mihi tuisque filiis, salve: atque eho
Mirari noli, neque me contemplarier.
Cougnostin' Giddenemen ancillam tuam?
HAN. Gnovi : sed ubi sunt meæ gnatæ? id scire expeto.
GIDD. Apud ædem Veneris. HAN. Quid ibi faciunt? dic mihi.

lor, est fuscus et subniger : ab aqua nominatus, cujus color neque albus neque niger, sed incertus, vel etiam nigrior : unde Aquilii prænomen. Glossarium : μέλαν, ὡς Ακυκίλλιος. Varro : « Atque Ægeus fluctu quam lavit antc aquilo, Sævus ubi posuit Neptuni filios urbem ». *Aquilum fluctum*, μέλαν ὕδωρ, poetæ. SCALIG.

156. *Si*, etc. Sciam an eæ, etc.

1. *Te*. Quartum casum posuit, quasi esset *prope*.

9. *Filiis*, pro filiabus.

GIDD. Aphrodisia, hodie Veneris est festus dies:
Oratum ierunt deam, ut sibi esset propitia.
MILPH. Pol, satis scio inpetrarunt, quando hic heic adest.
AGOR. Eho, an hujus sunt illæ filiæ? GIDD. Ita ut prædicas.
Tua pietas nobis plane auxilio fuit,
Quom huc advenisti hodie in ipso tempore:
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæstum corpore.
PUER. Handones illi havon bene si illi in mustine.
GIDD. Me ipsi et eneste dum et alamna cestinum.
AGOR. Quid illi locuti sunt inter se? dic mihi.
MILPH. Matrem salutat hic suam, hæc autem hunc filium.
HAN. Tace atque parce muliebri suppellectili.
AGOR. Quæ ea est suppellex? HAN. Clarus clamor sine modo.
Tu abduc hos intro, et una nutricem simul
Jube abire hanc ad te. AGOR. Fac quod inperat.
MIL. Sed quis illas tibi monstrabit? AG. Ego doctissume.
MILPH. Abeo igitur. AGOR. Facias modo, quam memores, mavelim.
Patruo advenienti cœna curetur volo.
MILPH. Lachanam vos! quos ego jam detrudam ad molas.

20. *Mutarentur nomina.* Mulieres, quæ stupri licentiam apud ædiles professæ meretricium instituerent quæstum, nomen mutare consuevisse ex hoc Plauti loco constat. Præterea eæ quæ capturis quæstuique meretricio renuntiabant, liberum sibi ingenuumque nomen, priore illo cum persona deposito, assumere solitæ. Cellis etiam meretricum superimpositi erant tituli, et meretricis nomen in fronte pependit. Tertull. « Nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti, et manus, quæ diu datura erat sacra, capturas tulit, etc. » DOUZA.

26. *Parce mul. supp.* Parce loquacitati. Vid. vers. seq. et Prol. vs. 32-35.

33. *Lachanam.* Punica hæc sunt et in duas voces dividenda, *La Chanan* vos; et *Chanan* pro *Chanaan* לא בנעבו. Non vos, inquit, reducam in Chanan patriam vestram, sed hic jam detrudam ad molas. Pœni in Africa Chananæi atque ita etiam ibi se vocari volebant, qui ex Chananæa oriundi, quæ Græcis Φοινίκη. Græci enim

Inde porro ad puteum, atque ad robustum codicem.
Ego, faxo, hospitium hoc leviter laudabitis.
AGOR. Audin' tu, patrue? dico, ne dictum neges:
Tuam mihi majorem filiam despondeas.
HAN. Pactam rem habeto. AGOR. Spondesne igitur? HAN. Spondeo.
AGOR. Mi patrue, salve: nam nunc es plane meus.
Nunc demum ego cum illa fabulabor libere.
Nunc, patrue, si vis tuas videre filias,
Me sequere. HAN. Jamdudum equidem cupio, et te sequor.
AGOR. Quid si eamus illis obviam? HAN. At ne inter vias
Præterbitamus, metuo: magne Jupiter,
Restitue certas mihi ex incertis nunc opes.
AGOR. Ego quidem meos amores mecum confido fore.
Sed eccas video ipsas. HAN. Hæccine sunt meæ filiæ?

tam Phœnices Syriæ quam Africæ, qui eorum coloni, Φοίνικας appellabant, Romani hos *Pœnos* ex græco vocabulo Φοινίκης. Verum ipsi, ut dixi, ne in Africa quidem se vocabant *Phœnices* aut Pœnos, sed Chananæos. Testatur Augustinus in Epistola ad Romanos, Hipponenses rusticos, quum interrogabantur qui essent, aut quo nomine appellarentur, respondisse, *Cananæos*. Ex hoc loco apparet, ipsam Africam quam incolebant, voluisse esse *Chanan* vel *Chanaan*, eodem cum antiqua patria nomine: nam si ibi etiam *Chananæos* se vocabant, ipsa quoque regio *Chanaan* vocabatur. Puto itaque huic versui nomen Pœni præponendum esse non Milphionis. Stephanus: Χνὴ est Φοινίκης, quod pro *Chanan* intelligendum. SALMAS.

34. *Ad puteum.* Puteus est genus hypogæi seu subterranei carceris. Aulul. II, 5, 21, et 7, 3. Græci λάκκους et βάραθρα vocant. GRON.* — *Robustum codicem.* « Robur, in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robustis includebatur ». Festus. *Codicem* a robore diversum esse censeo, quum sit ligneus stipes, quem alligati servi, qui deliquerant, trahebant, cuique irridebant vincti, qui hodie apud nos appendi solet simiis. Propert. lib. IV, 7: « Codicis immundi vincula sentit anus ». TURN.

35. *Hospitium.* Sic *hospitium pugnæ* Amph. I, 1, 140.

36. *Audin' tu?* Formula antestationis.

38. *Spondesne*, etc. Aul. II, 2, 78.

43. *Inter vias*, id est, in via. Terent. Eun. IV, 2: « ... cœpi mecum inter vias Aliam rem ex alia cogitare ». Ad quod Donatus: *Inter vias*, figurate et nove. GRON.

Quantæ e quantillis jam sunt factæ? AGOR. Scin' quid est?
Græcæ sunt hæ columnæ; sustolli solent.
MILPH. Opinor, hercle, hodie quod ego dixi per jocum,
Id eventurum esse et severum et serium,
Ut hæc inveniantur hodie esse hujus filiæ.
AGOR. Pol, istud quidem jam certum'st: tu istos, Milphio,
Abduce intro; nos hasce heic præstolabimur.

SCENA QUARTA.

ANTERASTILIS, ADELPHASIUM, AGORASTOCLES, HANNO.

ANT. Fuit hodie operæ pretium ejus qui amabilitati animum adjiceret,
Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum eo visere venit.
Deamavi, ecastor, illeic ego hodie lepidissuma munera meretricum,

49. *Græcæ sunt hæ.* Placet omnino *Græcæ*, non quasi diversæ a nescio quibus Punicis: sed quia elegsna illarum structura tota est Græcorum: et hinc nomina sortiebantur. Plinius, XXXVI, 23: « Columellæ in æde deusius positæ crassiores videntur. Genera earnm quatuor. Quæ sextam partem altitudinis in crassitndine ima babent, Doricæ vocantur: qnæ nonam, Ionicæ. Præter bas sunt, quæ vocentur Atticæ columnæ, quaternis angulis, pari laterum intervallo ». Hæ solent sustolli, sive ligneolæ sint, sive saxeæ; sive basin habeant diversi generis, sive ejusdem: nam ideo fiunt columnæ, et nullnm in alium usum, quam ut erigantur. Itaque jocns est suavissimus. Miraris ex tam parvis, qunm eas ultimnm vidisti, nunc tam magnas esse? sunt instar, quibus vulgo utimur, Dorici aut Ionici operis columnarum: non finnt, ut non erigantur. GRON.

1, 2. *Fuit operæ*, etc. Ordo et sensus est: Hodie fnit commodum illi, quisquis studiosus amatoriæ elegantiæ esset, pascere ocnlos specie pulchra, si venit propterea ornatnm templnm visere. N.

2. *Oculis epulas dare.* Sic auricularnm escæ sunt οἱ λόγοι, poemata vel orationes tritissimæ Græcis εὐωχεῖσθαι λόγοις, et εὐωχίαι καὶ ἑστιάσεις ἀκοῶν· *colligere escas auribus.* CASAUB.—Vid. Aul. III, 6, 1.

Digna diva venustissuma Venere: neque contemsi ejus opus hodie;

Tanta ibi copia venustatum aderat, in suo quæque loco sita munde.

Arabius murrhinusque omneis odor conplebat: haud sordere visus est

Festus dies, Venus, nec tuum fanum: tantus ibi clientarum erat numerus,

Quæ ad Calydoniam venerant Venerem. Certo enim, quod quidem ad nos duas

Adtinuit, præpotenteis, polchræ, pacisque potenteis, soror, fuimus:

Neque ab juventute ibi inridiculo habitæ: quod, pol, soror, cæteris omnibus factum'st.

ADELPH. Malim istuc aliis ita videatur, quam uti tu te, soror, conlaudes. ANT. Spero equidem.

ADELPH. Et, pol, ego; quom, ingeniis quibus sumus atque aliæ, congnosco.

Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse a culpa castas.

HAN. Jupiter, qui genus colis alisque hominum, per quem vivimus vitalem ævum,

2. *Murrhinusque*. Recte: nam murrhata potio Deis ad pulvinaria addebatur, quum illorum festis delubrum ornaretur. Festus in *Murrhata*. GUTHER. — Vide Pseudol. II, 4, 51.

4. *Opus*. Lipsius *opes*, recte.

9. *Præpotenteis*, pro formosissimis: unde et *fortes* pro formosis, et contra *pulcher* pro forti: «Satus Hercule pulcro Pulcer Aventino». PASSER. — *Pacisque potenteis*, compotes votorum, favoris quem precatæ sumus. «Pacemque per aras exquirunt», Æn. IV.

12. *Et, pol, ego*, etc. Obscurius dictum. Sententia est: Et sane ego futurum confido, ut nos laudent atque commendent alii, præsertim quum recogito quibus nos simus ingeniis, hoc est, optimis, atque aliæ, nempe quibus sint ingeniis, quamque corruptis. Nam post illa, *atque aliæ*, subintelligendum, vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum, quibus sint ingeniis: ita omnia plana sunt. BOXHORN.

14. *Colis*. *Colere* veteres etiam dicebant, quum major minorem diligeret, ut Virgil. Bucol. III «Ille colit terras», scil. Jupiter. SERVIUS. — *Vitalem ævum*. *Ævus* dixit et Lucret. lib. III: «...non omnem posset durare per ævum».

Quem penes spes vitæ sunt hominum omnium, da diem hunc sospitem, quæso,
Rebus meis agundis. Quibus annos multos carui, quasque e patria
Perdidi parvas, redde his libertatem; invictæ præmium ut esse sciam pietati.
AGOR. Omnia faciet Jupiter, faxo: nam mihi est obnoxius, et me metuit.
HAN. Tace, quæso. AGOR. Ne lacruma, patrue.
ANT. Ut volupe'st homini, mea soror, si, quod agit, cluet victoria!
Sicut hodie nos inter alias præstitimus polchritudine.
ADELPH. Stulta, soror, es magis, quam volo: an vero pol-chra videre, obsecro,
Si tibi illei non os oblitum'st fuligine?
AGOR. O patrue, o patrue mi patruissume!
HAN. Quid est, fratris mei gnate? mi gnate, quid vis? expedi.
AGOR. At enim volo hoc agas. HAN. At enim ago istuc.
AGOR. Patrue mi patruissume.
HAN. Quid est? AGOR. Est lepida et lauta: ut sapit!

18. *Nam mihi est obnoxius.* Hoc loco interpretes intellexerunt *leno*, quem Agorastocles furti reum calumniatur. Sed ipso de Jove adolescentem jocari, non adeo incredibile est; quippe quum jam Deos haud verecunde traductos non semel apud Plautum viderimus, et Amph. et Casin. II, 5, 40. Præterea ipsum videbis inf. vs. 39 haud meticulosum Agorastoclem. N.

20. *Cluet victoria.* Si in eo, quod agit, victoria clarus est et excellit. LAMB. — *Cluet.* Amph. II, 2, 16. — *Victoria*, casu auferendi.

23. *Os oblitum est fuligine.* Marcellus: «Sublevit, significat, illusit, et pro ridiculo habuit: tractum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur»: unde perspicue dilucet, hoc pigmenti genus per joculum et lusum iis allini solere, quos aliis deridendos propinare volebant; idque turpiculis puellis potissimum, quas hoc contumeliæ genere a procaci juventute affici mos erat: credo ut hac quasi censione monitæ, deformitatis suæ in memoriam revocarentur. DOUZA.

26. *Volo hoc agas*, scilicet auscultes. Conf. Asin. Prol. 1; Capt. V, 1, 10.

HAN. Ingenium patris habet, quod sapit.

AGOR. Quæ res? jam diu, edepol, sapientiam tuam abusa 'st hæc quidem.

Nunc hinc sapit, hinc sentit: quidquid sapit, amore meo sapit.

ADELPH. Non eo sumus genere prognatæ, tametsi sumus servæ, soror,

Ut deceat facere nos quidquam, quod homo quisquam inrideat.

Multa sunt mulierum vitia; sed hoc e multis maxumum 'st,

Quom sibi nimis placent, nimisque operam dant ut placeant viris.

ANT. Nimiæ voluptati 'st, quod in extis nostris portentum 'st, soror,

Quodque haruspex de ambabus dixit. AGOR. Velim de me aliquid dixerit.

ANT. Nos fore invito domino nostro diebus paucis liberas.

Id ego, nisi quid di aut parenteis faxint, quid sperem haud scio

AGOR. Mea fiducia, hercle, haruspex, patrue, his promisit, scio,

Libertatem, quia me amare hanc scit. ADELPH. Soror, sequere hac. ANT. Sequor.

HAN. Priusquam abitis, vos volo ambas: nisi piget, consistite.

ADELPH. Quis revocat? AGOR. Qui bene volt vobis facere. ADELPH. Facere obcasio 'st.

29. *Quæ res?* quid est quod dicis? Cf. Aulul. III, 2, 9. — *Abusa 'st.* Quidqnid de tna sapientia mutnavit, jam usu consumsit. N.

30. *Hinc*, a me. Conf. Bacchid. IV, 7, 26.

38. *Quid sperem.* Rescribo, *qui sperem*. Qua ratione, inquit, sperare possim, nescio: nisi tamen in Diis aut parentibus opis aliquid nobis est. J. GUL.

39. *Mea fiducia*, me sponsore. Bacchid. IV, 4, 100. — *Haruspex promisit.* Cf. Amph. V, 2, 2.

41. *Vos volo.* Captiv. V, 2, 24. — *Consistite.* Aulul. III, 2, 38.

Sed quis homo 'st? AGOR. Amicus vobis. ADELPH. Qı quidem non inimicus est.

AGOR. Bonus est hic homo, mea voluptas. ADELPH. Po istum malim, quam malum.

AGOR. Siquidem amicitia 'st habenda, cum hoc haber da 'st. ADELPH. Haud precor.

AGOR. Multa bona vobis facere volt. ADELPH. Bonus bon benefeceris.

HAN. Gaudio ero vobis. ADELPH. At, edepol, nos volı ptati tibi.

HAN. Libertatique. ADELPH. Isto pretio tuas nos facile feceri

AGOR. Patrue mi, ita me di amabunt, ut ego, si sir Jupiter,

Jam, hercle, ego illam uxorem ducam, et Junonem e: trudam foras.

Ut pudice verba fecit! cogitate, et conmode!

Ut modeste orationem præbuit! certo hæc mea 'st.

HAN. Sed ut astu sum adgressus ad eas! AGOR. Lepid(hercle, atque conmode.

HAN. Pergo etiam tentare? AGOR. In pauca confer; sitiu qui sedent.

HAN. Quid isteic, quod faciundum 'st, cur non agimus in jus vos voco.

AGOR. Nunc tene, patrue. HAN. Tu, frugi si bonæ es. AGOR. Vin' ego hanc adprehendam? HAN. Tene.

43. *Qui quidem non inimicus est.* Sententia hæc contraria illi: « qui non mecum, contra me ». Memineris hac fabula Adelphasium sapientia insignem dari, ut in Persa parasiti filiam; neque miraberis eam philosophari. N.

45. *Haud precor* Deos istud facere, ut amicitia sit cum eo habenda. Se aspernantem profitetur adversus oblatam ultro ab Agorastocle amicitiam, qualem er, ipsum se gessit act. I, sc. 2. N.

52. *Certo hæc mea 'st.* Hæe m lius Hannoni dentur.

54. *Sitiunt qui sedent*, scil. sp ctatores. BOXHORN.

55. *In jus vos voco.* Hic incip ludificatio, qua si delectarent Romani spectatores, prudentia eorum haud magni faciam.

56. *Tu, frugi.* Tu vero eas ten

ADELPH. An patruus est, Agorastocles, tuus hic? AGOR. Jam, faxo, scibis.
Nunc, pol, ego te ulciscar probe, nam, faxo, mea eris sponsa.
HAN. Ite in jus, ne moramini. ANT. Antestare me atque duce.
AGOR. Ego te antestabor: postea hanc amabo, atque amplexabo:
Sed illud quidem volui dicere... imo dixi, hercle, quod volebam.
HAN. Moramini; in jus vos voco, nisi honestiu'st prehendi.
ADELPH. Quid in jus vocas nos? quid tibi debemus? AGOR. Dice tu illi.
ADELPH. Etiam me meæ latrant canes? AGOR. At tu, hercle, alludiato;
Dato mihi pro offa savium, pro osse linguam objicito:
Ita hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem.

si bonæ frugi es, si probe te geris. Ita quidem Lambinus. Sed id non penetrat interiorem mentem: jocus est in ambiguitate verbi *tenendi*, quod et inter venerea. ACID.

58. *Ulciscar ... eris sponsa.* Haud satis constat oratio juvenis, utpote amore effervescentis. Namque dum patruo obediens dicto esse vult et fictis minis eam territare incipit, inconcinitate se amantem et conjugii cupidum fatetur. Lepidum hujusmodi errorem vs. 60 iterum aget, et jam Mnesilochi conturbatum ita sermonem audiimus Bacchid. III, 4, 6. N.

59. *Antestare.* Conf. Curcul. V, 2, 23.

60. *Postea hanc amabo*, scil. Adelphasium: voluit dicere, *antestabor*. LAMB.

61. *Sed illud.* Ipse se corrigebat, nisi vis amoris prævorteret.

62. *Prehendi*, rapi in jus, injecta manu.

64. *Meæ latrant canes.* Lambin. maluit *allatrant*, quod est in Paris. Acidalius malit Brix. « Etiam meæ in me latrant canes? » Sed et alii dixerunt *latrare aliquem*, pro *allatrare*. Sic Stat. Thebaid. I: « Umbrasque petunt, et nubila latrant ». Horat. Sat. II, 1: « Si quis opprobriis dignum latraverit integer ipse ». Idem, Epist. II, 2: « Venaticus ex quo cervinam pellem latravit in aula ». GRON.* — Vide Captiv. III, 2. — *Latrant canes.* Etiamne ii, qui pro me facere debent, mihi adversantur? — *Adludiare* dicuntur heri canibus suis, quum eis alludunt, quumque eos demulcent. Sticho, II, 3, *adludiabo mulieri*. ERN.

66. *Hanc canem*, me. — *Oleo tranquilliorem.* Hyperbole prover-

HAN. Ite, si itis. ADELPH. Quid nos fecimus tibi? HA
Fures estis ambæ.
ADELPH. Nosne tibi? HAN. Vos, inquam. AGOR. Atque e
scio. ADEL. Quid furti est id? AGOR. Hunc roga
HAN. Quia annos multos filias meas celavistis clam me
Atque equidem ingenuas, liberas, summoque gen
gnatas.
ADELPH. Nunquam, me castor, reperies tu istuc probr
penes nos.
AGOR. Da pignus, ni nunc perjures, in savium, u
utri det.
ADELPH. Nihil tecum ago, abscede obsecro. AGOR. Atq
hercle, mecum agundum 'st.
Nam hic patruus meus 'st; pro hoc mihi patronus s
necesse 'st.
Ei prædicabo, quomodo vos furta faciatis multa;
Quoque modo hujusce filias apud vos habeatis servas,
Quas vos ex patria liberas subreptas esse scitis.
ADEL. Ubi sunt eæ? aut quæ sunt, obsecro? AGOR. (ad Hannon
Satis sunt maceratæ.
HAN. Quin eloquar. AGOR. Censeo, hercle, patrue. AD
Misera timeo, quid
Hoc sit negoti, mea soror: ita stupida sine animo ads
HAN. Advortite animum, mulieres: primum, si id fi
possit,
Ne indigna indignis di darent, id ego evenire vellem:

bialis, in homines minime iracundos, lenique ingenio præditos. ERNEST.

67. *Ite, si itis.* Pers. I, 3, 66.

72. *Da pignus in savium.* Casin. Prol. 75. — *Perjures*, mentiaris. Supra II, 1, 34.

73. *Nihil tecum ago*, res non est mihi tecum.

78. *Maceratæ. Macerare*, idem hic, quod cruciare, torque BOXHORN.

82. *Ne indigna*, etc. Si fieri p set, ut nunquam indigna indig mala bonis, sicut vobis servit acciderent, hoc mavelim. Sed q niam humanum genus infortu immune esse non potest, hoc tem gratulari debemus, quod spitemur tandem. N.

Nunc quod boni mihi di dant, vobis vostræque matri,
Eas dis est æquom gratias nos agere sempiternas,
Quom nostram pietatem adprobant decorantque di inmortaleis :
Vos meæ estis ambæ filiæ, et hic est congnatus voster:
Hujusce fratris filius, Agorastocles. ADELPH. Amabo,
Num hi falso oblectant gaudio nos? AGOR. At me ita dii servent,
Ut hic pater est voster; date manus. ADELPH. Salve, insperate nobis,
Pater; te conplecti nos sine. HAN. Cupitæ atque exspectatæ.
ANT. Pater, salve : ambæ filiæ sumus, amplectamur ambæ.
AGOR. Quis me amplectetur postea? HAN. Nunc ego sum fortunatus.
Multorum annorum miserias nunc hac voluptate sedo.
ADELPH. Vix hoc videamur credere. HAN. Magis quî credatis dicam:
Nam vostra nutrix primum me congnovit. ADELPH. Ubi ea, amabo, est?
HAN. Apud hunc est. AGOR. Quæso, quî lubet tamdiu tenere collum,
Priusquam te mihi desponderit? ADELPH. Omitto. AGOR. Sperata, salve. ADELPH. Omitte

87. *Hujusce*. Se ipsum monstrat. Bacch. IV, 4, 1.

90. *Exspectatæ*, i. e. optatæ, quas longum fuit dum reperirem. Sic Æn. II, 283, « exspectate venis ». Cf. Amph. II, 2, 26. N.

97. *Omitto*. Malim *omitte* : nam obsequentem parum adolescenti puellam adhuc vidimus, imo aspernantem. N.—*Sperata*. *Sperata* dicebatur, quam procus sperabat sponsam suam fore. Turneb. X, 24. Cf. Amph. II, 2, 44, ac in primis Alb. Gentilem, lib. II, cap. 11, de Nuptiis, ubi docet *Speratum* etiam dici sponsum. TAUBM. — *Omitte salutem*. Turbatorem lætitiæ suæ Agorastoclem ita repellit. Jubebat ut linqueret collum patris quem amplectebatur. Illa respondet, *omitte*, hoc sine me sic facere. Salutat deinde speratam suam, illa iterum dicit, *omitte salutem*, tu nos turbas. Tunc ad alteram salutandam transit, quæ et similiter importunum hoc dicto submovet : *nolo ego istuc: enicas me!* Et fortasse quum querebatur Agorastocles,

Salutem. AGOR. Et tu altera. ANT. Nolo ego istuc: e cas me!

HAN. Condamus alter alterum ergo in nervom brachiak

Quibus nunc in terra melius est? AGOR. Eveniunt dig dignis.

Tandem huic cupitum contigit: o Apella, o Zeuxis pict

Cur numero estis mortui? hinc exemplum ut pingeret

Nam alios pictores nihil moror hujusmodi tractare exemp

HAN. Di deæque omneis, vobis habeo merito magnas grati

Quom hac me lætitia tanta et tantis adfecistis gaudiis,

Ut meæ gnatæ ad me redirent in potestatem meam.

ADELPH. Mi pater, tua pietas plane nobis auxilio fuit.

AGOR. Patrue, facito in memoriam habeas, tuam ma rem filiam

Mihi te despondisse. HAN. Memini. AGOR. Et dotis qu promiseris.

SCENA QUINTA.

ANTHEMONIDES, ADELPHASIUM, ANTERASTILIS, HANNO, AGORASTOCLES.

ANTH. Si ego minam non ultus fuero probe, quam lenc dedi,

Tum profecto me sibi habento scurræ ludificatui.

Is etiam me ad prandium ad se adduxit ignavissumu

quod non linqueret collum patris, voluit eam vi avellere; ideo dixit illi, *omitte*. SALM.

99. *Condamus*. Conjungamur inter nos mutuo brachiorum vinculo. LAMB. — Isthæc putem aptius dari posse juveni, quam patri; ut scilicet speratam suam amplexatus fuerit, respondeatque Adelphasium: *eveniunt digna*, etc. iterumque dicat adolescens: *O Apella*. GR

101. *Huic*, mihi. Vs. 87.

102. *Numero*. Cf. Mil. V, 1, — *Hinc*, a me. Nam quid pulchr fingi aut dici potest quam pulcl amantis fortunati conditio? N.

1. *Ultus*. Si ego pœnas a lenc pro mina non exegerim. LAMB.

2. *Scurræ*, urbicolæ, gens ig va. Cf. Epid. I, 1, 13.

Ipse abit foras, me reliquit pro atriensi in ædibus.
Ubi nec leno, neque illæ redeunt, nec quod edim quidquam datur,
Pro minore parte prandi pignus cepi, abii foras.
Sic dedero; ære militari tetigero lenunculum.
Nanctu'st hominem, mina quem argenti circumduceret.
Sed mea amica nunc mi irato obviam veniat velim.
Jam, pol, ego illam pugnis totam faciam ut sit morula;
Ita replebo atritate, atrior multo ut siet,
Quam Ægyptii, aut qui cortinam ludis per Circum ferunt.
ADELPH. Tene, sis, me arcte, mea voluptas : male ego metuo milvos.
Mala illa bestia'st : ne forte me auferat pullum tuum.
ANT. Ut nequeo te satis conplecti, mi pater! ANTH. Ego me moror.

6. *Pro minore.* Nihil mutari placet. Significat autem, se nescio quid ex ædibus lenonis, manticulatum esse. Pro parte, inquit, prandii minore, quam accepissem, si forte prandium, quod debebatur mihi, datum fuisset; pignus, quod majoris multo pretii est, ex ædibus lenonis abstuli. Hæc vera est hujus loci sententia. Douza legebat : « pro mina experte prandii pignus cepi » : sed causa nulla est mutandi receptam lectionem. BOXH.

7. *Sic dedero.* Formula gratulandi quod male affectus sit inimicus. Phorm. V, 7, 38; similiter *sic datur.* Cf. Menæchm. IV, 2, 40.— *Ære militari.* Ambiguum est; nam æs militare significat tum æs quod militi datur in stipendium, tum gladium, seu ferrum militare. L. — Enses ferro, non ære fabricati; itaque non vulgo æs pro gladio dici potuit. Sed æs militare fuit tributum quod a civibus in militiam pendebatur. Conf. Aulul. III, 5, 52, 54, 57. — *Tetigero.* Conf. Epid. V, 2, 39. N.

8. *Circumduceret.* Conf. Bacchid. V, 3, 77.

10. *Morula.* MSS et omnes meæ, præter Brix., habent *merulea*, i. e. tota nigra, ut *avis merula.* TURN.

12. *Cortinam ludis per*, etc. Homines sole perusti, qui vas aqua plenum ludis Circensibus circumferunt, ut equos cursu defessos frigida aspergant. LAMB.—*Cortina* τρίπους et λέβης· eaque proprie, in qua lana suffecta succos ebibit. Varro dictam vult a *corde*; at ego a rotunditate, quod, ut cortes, ita hæc rotunda esset. Hinc Ennius *cortinam* pro hemisphærio cæli dixit : « Quæque freto cava cæruleo cortina receptat ». Intelligit quæcumque continentur ὑπὸ τῇ οὐρανοῦ σκέπῃ· ut loquuntur poetæ. Servius in Ætna, pro theatri incurva parte dixisse videtur, *magni cortina theatri.* SCAL. — Forsan de servis publicis Africanis sermo est.

Propemodum hoc opsonare prandium potero mihi.
Sed quid hoc est? quid hoc? quid hoc est? quid ego v
deo? quomodo?
Quid hoc est conduplicationis? quæ hæc est congeminatio
Quis hic homo'st cum tunicis longis, quasi puer cauponius
Satin' ego oculis cerno? estne illæc mea amica Anterastilis?
Et ea certo'st: jampridem ego me sensi nihili pendier.
Non pudet puellam amplexari baliolum in media via?
Jam, hercle, ego illum excruciandum totum carnufici dabc
Sane genus hoc muliebrosum 'st tunicis demissitiis.
Sed adire certum'st hanc ad amatricem Africam.
Heus tu, tibi dico, mulier, ecquid te pudet?
(ad Hannonem.) Quid tibi negoti autem est cum istac, dic mihi
HAN. Adulescens, salve. ANTH. Nolo; nihil ad te adtinet
Quid tibi hanc digito tactio 'st? HAN. Quia mihi lubet.
ANTH. Lubet? HAN. Ita dico. ANTH. Ligula, i in malan
crucem.
Tune hic amator audes esse, hallex viri?
Aut contrectare, quod mares homines amant?
Deglupta mæna, Sarrapis sementium,

16. *Propemodum hoc.* Δειχτιχῶς, eo, quod iutus sum furatus. LAMB.

22. *Baliolum.* Hominem fusci coloris, diminutive a *badius.*

24. *Tunicis demissitiis.* Laxæ togæ et ad talos demissæ tunicæ, quæ Africanis usitatæ, Romanis probro erant, et argumenta libidinosi et mollis animi. Cic. Invectiva 2: « Quos pexo capillo nitidos et imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis ac talaribus tunicis, velis amictos, non togis ». Horat. Sat. I, 2: « Malthinus tunicis demissis ambulat ». Varro: « Quum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos ». GRON.

28. *Nihil ad te adtinet.* Hæc non tua est.

29. *Hanc ... tactio'st.* Cf. Amph I, 3, 21.

30. *Ligula.* Pro *ligula* hic non potest reponi *ligulaca.* Nam ad virum sermo est. Præterea versus non fert. *Ligulam* voces de parvo homuncione, qui et in sequenti versu, *hallex viri* dicitur, quasi pollex viri, qui non grandior esset pollice. Qui *alex* legunt, et pro *halece* accipiunt sive muria, falluntur. *Halec* enim vocatur non *hallex.* *Hallus* autem et *hallex* est pollex pedis antiqua lingua romana. SALM.

33. *Deglupta mæna.* MSS *mena.* Scribe *mæna.* Piscis est vilis, ut anguilla, deglubi solitus, quum pararetur ad cibum. De quo vide

Mastruga, ἅλς ἀγορᾶς ἅμα: tum autem plenior
Alli ulpicique, quam Romani remiges.
AGOR. Num tibi, adulescens, malæ, aut denteis pruriunt,
Qui huic es molestus, an malam rem quæritas?
ANTH. Cur non adhibuisti, dum istæc loquereris, tympanum?
Nam te cinædum esse arbitror magis, quam virum.
AGOR. Scin', quam cinædus sum? ite istinc, servi, foras:
Ecferte fusteis. ANTH. Heus tu, si quid per jocum
Dixi, nolito in serium convortere.
ANT. Quid tibi lubido'st, obsecro, Anthemonides,
Loqui inclementer nostro congnato et patri?
Nam hic noster pater est, hic nos congnovit modo,
Et hunc sui fratris filium. ANTH. Ita me Jupiter
Bene amet, bene factum! gaudeo, et volupe'st mihi,
Siquidem quid lenoni obtigit magni mali,

inter prima ornamenta sæculi numerandum, Nic. Heinsium in eruditissimo Excursu ad secundum Fastorum Ovid. GRON. — *Sarrapis sementium*. In his versibus Sarapis videtur vocari Pœnulus, non solum a faciei deformitate, quia Sarapis est Pluton, sed etiam a veste longa discincta, ut pingebatur Sarapis apud Ægyptios. Sic autem vestiti Pœni cum tunicis demissitiis, non cinctis, et sine pallio. SALMAS. — Narrant, tempore sementis, imagines Serapis Dei, per sacerdotes circumferri solere, qui stipem inde colligebant, Deum proventu agrorum rusticis benignum fore polliciti.

34. *Mastruga*, vestis scortea, quæ pessime olebat, qua Sardi utebantur et populi septemtrionales. SCHMIED. — ἅλς ἀγορᾶς, i. e. vilis merx. — ἅμα. Non græcum *simul*, sed latinum *hamæ*, i. e. vas in quo sal vendebatur, Salmasius contendit esse, et sic orationem refingit, *halagoras hama*. Viderint qui conjecturas eruditorum sectantur. N. — *Plenior alli ulpicique*. Nam victus remigum Romanorum erat cum pane nigro allium. *Ulpicum*, allii species est. In vett. edd. *alli ulpici*, sine copula: potest et epitheton esse allii, *ulpicum* quasi dixerit, *Punicum allium*. Columella, lib. XI, cap. 3: « Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant. Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longe majoris est incrementi, quam allium ». ACIDAL.

36. *Pruriunt*. Conf. Amph. I, 1, 139; Pers. I, 1, 32.

38. *Tympanum*. Ut Galli sacerdotes Cybeles, homines semiviri, vel ludius malacus. TAUBM.

39. *Cinædum*, mollem, eviratum.

47. *Bene amet, bene factum!* Formula obtestandi per Jovem se lætari eo quod contigerit, bene factum fuerit.

Quomque e virtute vobis fortuna obtigit.
ANT. Credibile, ecastor, dicit; crede huic, mi pater.
HAN. Credo. AG. Et ego credo; sed eccum lenonem Lycum,
Bonum virum, eccum video, se recipit domum.
HAN. Quis hic est? AGOR. Utrumvis est, et leno et Lycus.
In servitute hic habuit filias tuas;
Et mihi hic auri fur est. HAN. Bellum hominem, quem gnoveris!
AGOR. Rapiamus in jus. HAN. Minume. AGOR. Quapropter? HAN. Quia
Injuriarum multam dici satius est.

SCENA SEXTA.

LYCUS, AGORASTOCLES, HANNO, ANTHEMONIDES.

LYC. Decipitur nemo, mea quidem sententia,
Qui suis amicis narrat recte res suas:
Nam omnibus amicis meis idem unum convenit,
Ut me suspendam, ne addicar Agorastocli.
AGOR. Leno, eamus in jus. LYC. Obsecro te, Agorastocles,
Suspendere ut me liceat. HAN. Leno, in jus te voco.
LYC. Quid tibi mecum autem? HAN. Quia hasce aio liberas
Ingenuasque esse filias ambas meas,
Quæ sunt subreptæ cum nutrice parvolæ.
LYC. Jampridem equidem istuc scivi, et miratus fui,
Neminem venire, qui istas adsereret manu.
Meæ quidem profecto non sunt. ANTH. Leno, in jus eas.

40. *E virtute*, pro dignitate, ut digni estis.

53. *Et leno et Lycus.* Fortasse ludit ancipiti nominis λύκος, et nominis *leno*, quod, litera *n* liquescente, possit leo sonare.

57. *Injuriarum multam dici.* Satius Hanno putat, verbis comminationibusque, quod cogendus leno erat, eum cogere, quam jure judicioque.

11. *Adsereret.* Sup. IV, 2, 84.

LYC. De prandio tu dicis; debetur, dabo.
AGOR. Duplum pro furto mihi opus est. LYC. Sume hinc quidem.
HAN. Et mihi subpliciis multis. LYC. Sume hinc quid lubet.
ANTH. Et mihi quidem mina argenti. LYC. Sume hinc quid lubet.
Collo rem solvam jam omnibus, quasi baiolus.
AGOR. Numquid recusas contra me? LYC. Haud verbum quidem.
AGOR. Ite igitur intro, mulieres; sed, patrue mi,
Tuam, ut dixisti, mihi desponde filiam.
HAN. Haud aliter ausim. ANTH. Bene vale. AG. Et tu bene vale.
ANTH. Leno! arrhabonem hoc pro mina mecum fero.
LYC. Perii, hercle! AGOR. Imo haud multo post, quom in jus veneris.
LYC. Quin egomet tibi me addico: quid prætore opus est?
Verum obsecro te, ut liceat simplum solvere.
Trecentos Philippos, credo, conradi potest:
Cras auctionem faciam. AGOR. Tantisper quidem,
Ut sis apud me lignea in custodia.
LYC. Fiat. AGOR. Sequere intro, patrue mi, ut hunc festum diem
Habeamus hilarem, hujus malo, et nostro bono.
Multum valete: multa verba fecimus.
Malum postremo hoc omne ad lenonem redit.
Nunc quod postremum est condimentum fabulæ,
Si placuit, plausum postulat comœdia.

14. *Sume hinc quidem.* Δεικτικῶς. Significat se collo et suspendio omnibus satis facturum. LAMB.

17. *Quasi baiolus*, bajulus qui collo et cervice fert omnem sarcinam.

18. *Haud verbum quidem.* Sic restituit Turnebus. Vulgo, *advorsum quidem*, unde sensum vix elicias.

23. *Imo haud.* Deleo *haud.* Tu qui te jam periisse dicis, multo magis id dices, quando in jus veneris. DOUZA.

26. *Philippos conradi potest.* Pote est, possibile est colligi 300 Philippos corrasis bonis meis.

28. *Lignea in custodia*, compedibus ligneis vinctus.

PŒNULO SUPPOSITA.

Post actus V *scenam* VI, *et ultimam, adjecerunt vett. editt. sequentem scenam.*

AGORASTOCLES, LYCUS, HANNO, ADELPHASIUM, ANTERAST. ANTHEMONIDES.

« AGOR. Quam rem agit is miles, quoi lubet patruo meo loqui inclementer?
« Ne mirere, mulieres quod eum sequuntur: modo cognovit filias
« Suas esse hasce ambas. LYC. Hem, quod verbum aures meas tetigit! nunc perii!
« Unde hæ perierunt? AGOR. Domo Carthaginienses sunt. LYC. At ego sum perditus.
« Illud ego metui semper, ne cognosceret eas aliquis: quod nunc factum est.
« Væ misero mihi! periere, opinor, duodeviginti minæ, quî hasce emi.
« AGOR. Et tu ipse periisti, Lyce: Carthaginienses sunt. LYC. At ego sum perditus. HAN. Quis hic est?
« Utrum is est novelle novellicus, in servitute hic qui filias habuit duas?
« AGOR. Et mihi auri fur est. HAN. Bellum hominem, quem noveris: leno, rapacem
« Te esse semper credidi: verum etiam furacem, qui norunt magis. LYC. Accedam.
« Per ego te tua genua obsecro, et hunc cognatum quem tuum esse intellego.
« Quando boni estis, ut bonos facere addecet, facite et vostro subvenitatis supplici.

« Jam pridem equidem istas scivi esse liberas, et exspectabam si quis eas assereret manu;
« Nam meæ prorsus non sunt : tum autem aurum tuum reddam, quod apud me est;
« Et jusjurandum dabo, me malitiose nihil fecisse, Agorastocles.
« AGOR. Quod mihi par facere tamen egomet consulam : omitte genua. LYC. Mitto,
« Si ita sententia est. AGOR. Heus tu, leno. LYC. Quid lenonem vis inter negotium?
« AGOR. Utinam mihi argentum reddas, priusquam hinc in nervom abducare. LYC. Dii
« Meliora faxint! AGOR. Sic est, video, cœnabis foris : aurum, argentum, collum,
« Lenostris, te nunc debes simul. HAN. Quid me hac re facere deceat, egomet
« Mecum cogito: si volo hunc ulcisci, lites sequar in alieno oppido,
« Quantum audivi ingenium, et mores ejus quo pacto sient. ADELPH. Mi pater,
« Ne quid tibi cum istoc rei siet, et maxume obsecro. ANTH. Ausculta sorori.
« Abi, disjunge inimicitias cum improbo. HAN. Hoc age, sis, leno : quamquam ego te
« Meruisse ut pereas, scio; non experiar tecum. AGOR. Neque si aurum mihi reddas, mecum,
« Leno, quando, ex nervo emissus, compingare in carcerem. LYC. Jam autem ut solet.
« Ego, Pœne, tibi me purgatum volo, si quid dixi iratus advorsum
« Animi tui sententiam, id uti ignoscas quæso : et quom istas invenisti filias,
« Ita me dii ament, mihi volupta 'st. HAN. Ignosco, et credo tibi.

« MIL. Leno, tu aut amicam mihi des facito, aut auri reddas mihi minam.
« LYC. Vin' tibicinam meam habere? MIL. Nihil moror tibicinam : nescias,
« Utrum ei majores buccæne, an mammæ sient. LYC. Dabo quod placeat.
« AGOR. Cura. LYC. Aurum cras sat referam tuum. AGOR. Facito in memoria habeas.
« LYC. Miles, sequere me. MIL. Ego vero sequor. AGOR. Quid ais, patrue? quando hinc ire cogitas
« Carthaginem? nam tecum una ire certum est. HAN. Ubi primum potero
« Illico. AGOR. Dum auctionem facio, hic opus est aliquos ut maneas dies.
« HAN. Faciam ita ut vis. AGOR. Age, sis, eamus, nos curemus. Plaudite. »

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

PSEUDOLUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

PSEUDOLUS, servus.
CALLIDORUS, adolescens.
BALLIO, leno.
LORARII quatuor.
SIMO, senex, Callidori pater.
CALLIPHO, senex, Simonis amicus.
HARPAX, cacula.
CHARINUS, adolescens.
PUER.
COQUUS.
SIMIA, sycophanta.
PHOENICIUM, meretrix.

RES AGITUR ATHENIS.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*P*RÆSENTEIS numerat quindecim miles minas.
*S*imul consignat symbolum, ut Phœnicium
*E*i det leno, qui eum cum reliquo adferat.
*V*enientem caculam intervortit symbolo,
*D*icens Syrum se Ballionis, Pseudolus:
*O*pemque herili ita tetulit: uaiu Simiæ
*L*eno mulierem, quem is subposuit, tradidit.
*V*enit Harpax verus; res palam congnoscitur:
*S*enexque argentum, quod erat pactus, reddidit.

2. *Consignat*, dat, ut ille servet signum tradendæ meretricis. — *Symbolum*. Symbolus erat, quæcumque forma, sive epistolæ, sive tesseræ, sive numismatis, sive annuli esset, significatio fidei datæ mandative procurandi pignus, ut nunc est, et Bacchid. II, 3, 29. Vid. inf. I, 1, 53. N.

3. *Cum reliquo*. Inf. I, 1, 52.— *Intervortit symbolo*, symbolum furatur. Eadem figura qua *circumducere argento*. N.

6. *Herili* filio.

ALIUD ARGUMENTUM

CAMERARII.

HUJUS fabulæ laudatio exstat Ciceroniana, in cujus Catone ipse Cato dicit : «Quam gaudebat bello suo Punico Nævius; quam Truculento Plautus, quam Pseudolo!» Ac est Truculentus quidem ita depravatus, ut nulla alia fabula fabularum Plautinarum magis, tam in expressis, quam in MSS libris. Pseudolus autem et beneficio veterum librorum, et nostra diligentia, maxima parte restitutus integritati, facile probat lectori, se non sine causa tantopere placuisse Ciceroni. Argumentum est varium et plane mirificum. Senes duo satis commodi. Adolescens amore perditus. Servus veterator et fraudulentus. Leno sceleratus et perfidus, a quo per fallacias subitæ occasionis abducitur amica filii herilis consilio servuli. Hæc exponuntur admodum copiose et luculente, cum actione multiplici.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

PSEUDOLUS.

PROLOGUS.

« STUDETE hodie mihi, bona in scenam adfero:
« Nam bona bonis ferri reor æquom maxume,
« Ut mala malis; ut, qui mali sunt, habeant mala,
« Qui boni, bona. Bonos quod oderint mali,
« Sunt mali; malos quod oderint boni, bonos
« Esse oportet : vosque ideo estis boni, quandoquidem
« Semper odistis malos; et lege et legionibus
« Hos fugitastis, Quirites, subcessis bonis.
« Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,
« Qui bonus est, et hodie ad bonos adfert bona.
« Aureis, oculi, animus, ampliter fient saturi.
« In scenam qui jejunus venerit, aut sitiens,
« Is risu et ventre raso vigilabit sedulo;

1. *Studete*, etc. Alienæ manus est hic prologus, cujus tantum ultimos duo versus Plautinos critici agnoverunt. — *Bona*. Ambiguo sensu; nam bona sunt quæ probe scripta; et bona si quis nobis dederit, gratiam meritus sit. N.

6. *Esse oportet*, debent videri.

8. *Fugitastis*, frequentativum τοῦ *fugare*.

13. *Ventre raso*. Est jocus inexspectatus, alludens ad rasum caput, cui capilli deerant, ut hic ventri cui cibus. TAUBM.

« Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici.
« Nunc si sapitis, cedite, jejuni, atque discedite.
« Vos, saturi, state, imo sedete, atque adtendite:
« Non argumentum, neque hujus nomen fabulæ
« Nunc proloquar ego; satis id faciet Pseudolus;
« Satis id dictum vobis puto jam atque deputo.
« Ubi lepos, joci, risus, vinum, ebrietas decent;
« Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio,
« Qui quærit alia, is malum videtur quærere;
« Curas malas abjicite jam, ut otiosi, hodie. »
Exporgi meliu 'st lumbos, atque exsurgier:
Plautina longa fabula in scenam venit.

14. *Mordebunt.* Vulgo intelligunt *fabulam.* Malim *inane* supponi, vel quid tale, ut sit illud simile cani apud Virgil. Æn. XII, « qui morsu elusus inani est ».

23. *Ut otiosi*, tanquam otiosi. Non opus est versum deficientem divinari, qui orationem *ut otiosi* compleat eo sensu: « Operam nunc detis integram histrionibus ». N.

24. *Exporgi meliu'st lumbos.* Si qui autem negotiosi sunt, eos exsurgere atque abire melius est: nam longa fabula in scenam agenda venit. Acid. — Sane *Prologus* hic in MSS Pall., præter ultimos versus duos, desideratur: quem tamen antiquum Camerarius censet.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

PSEUDOLUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS, CALLIDORUS.

PSEUD. Si ex te tacente fieri possem certior,
Here, quæ miseriæ te tam misere macerant,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi, et tui respondendi mihi.
Nunc, quoniam id fieri non potest, necessitas
Me subigit, ut te rogitem : responde mihi;
Quid est, quod tu exanimatus jam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,
Neque tui participem consili quemquam facis?
Eloquere, ut quod ego nescio, id tecum sciam.
CAL. Misere miser sum, Pseudole! PSEUD. Id te Jupiter

4. *Mei te rogandi.* Ni A. Gellius palam testaretur sic se legisse, ex ratione manifesta scriberem: « Meo te rogandi et tuo ». Quemadmodum non dicitur, *uxor mei*, *ager tui*, ita nec *labor mei* et *tui*. Sallustianum quoque *majores vestrum* agnoscit Gellius : sed omnes scripti illic, *majores nostri*, teste Grutero. Quod si dixerunt ista hi duo, solo hellenismo excusantur, quem imitari nolim. Volunt etiam *tis* pro *tui* ex Gellio. MSS ambo: *et te respondendi.* Acad. *Mei interrogandi et tui r. mihi.* GRON.—*Mei*, *tui* non pendent a *labori*, sed cum *hominum* conveniunt.

Prohibessit. CAL. Nihil hoc Jovis ad judicium adtinet:
Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis.
PSEUD. Licet me id scire quid sit? nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.
CAL. Idem animus nunc est. PSEUD. Fac me certum quid tibi 'st :
Juvabo aut re, aut opera, aut consilio bono.
CAL. Cape has tabellas, tute hinc narrato tibi,
Quæ me miseria et cura contabefacit.
PSEUD. Mos tibi geretur: sed quid hoc, quæso? CAL. Quid est?
PSEUD. Ut opinor, quærunt literæ hæ sibi liberos,
Alia aliam scandit. CAL. Ludis me ludo tuo.
PSEUD. Has quidem, pol, credo, nisi Sibylla legerit,
Interpretari alium potesse neminem.
CAL. Cur inclementer dicis lepidis literis,
Lepidis tabellis, lepida conscribtis manu?
PSEUD. An, obsecro, hercle, habent quoque gallinæ manus?
Nam has quidem gallina scribsit. CAL. Odiosus mihi es.

13. *Sub Veneris regno.* Apud veteres, juvenes virginesque sub Veneris se esse imperio arbitrabantur : et si quid mali accidisset, ejus id ipsum iræ imputabant. Præterea quum amoris sui compotes factæ nupsissent, coronas ei suspendebant, juvenes quoque zonas amasiarum suarum, etc. MEURS.— Hinc Terentianus juvenis, Andr. I, 5, 10 : « adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego? » et Hecyr. V, 4, 8 : « quis me est fortunatior venustatisque adeo plenior? » N.

17. *Re*, pecunia, materia benefaciendi. — *Opera*, commiseranti, præsenti animo. Quid sit operam dare, diximus Curcul. II, 2, 9. Huic versui Terentianus ille plane consimilis « aut consolando (*opera*), aut consilio, aut re juvero ». Heaut. I, 1, 34. N.

20. *Mos tibi geretur.* Cf. Mostell. I, 3, 32.

22. *Alia aliam scandit.* Literæ scil. non erant recta linea collocatæ, sed, ut a puella scriptæ, alia alii quasi incubabat. GRON.

24. *Interpretari alium.* Alter codicum : *alium posse reor neminem*, cui subscribit Academicus : alter, *interpretari posse neminem.* Intellexit Camerarius τὸ *reor* esse insititium, et reddidit *potesse.* Ego idem suspicor de τῷ *alium*, et scripsisse Plautum puto : *Interpretarier posse neminem.* GRON.

28. *Gallina scribsit.* Ludit in ambiguo, et quasi ex insidiis puellam

Lege, vel tabellas redde. PSEUD. Imo enim perlegam :
Advortito animum. CAL. Non adest. PSEUD. At tu cita.
CAL. Imo ego tacebo, tu hinc ex cera cita:
Nam isteic meus animus nunc est, non in pectore.
PSEUD. Tuam amicam video, Callidore. CAL. Ubi ea est, obsecro?
PSEUD. Eccam in tabellis porrectam ; in cera cubat.
CAL. At te dii deæque, quantus es..... PSEUD. Servassint quidem.
CAL. Quasi solstitialis herba, paulisper fui ;
Repente exortus sum, repentino occidi.
PSEUD. Tace, dum tabellas perlego. CAL. Ergo quin legis?
PSEUD. Phœnicium Callidoro amatori suo
Per ceram et linum literasque interpretes

convicio verberari volunt interpretes; ac si inter male nominata nomina, meretricibus iudi solita, etiam fuerit *gallina*. Non memini id me unquam legisse. Certus autem sum per gallinæ scripturam et manus, nihil hic significari aliud, quam inconditas, incompositas, et alias alias scandentes literas, quibus hæ tabulæ erant exaratæ. Nos Belgæ, desumta a gallis metaphora, ejusmodi inconcinnas literas *haene-pooten*, quasi tu dixeris, *gallorum pedes*, appellamus. Franci dicunt *pieds de mouche*. BOXH.

30. *At tu cita*. Ludit verbis juris solennibus. Qui volebant coram judicibus vel advocatum vel testem quemquam *adesse*, eum *citabant*. N.

31. *Ex cera cita*. Evoca me, non hunc quem alloqueris, sed istum, cujus animus est in tabellis quas tenes. Cf. Aulul. II, 2, 4. N.

34. *In cera cubat*. Eadem figura gallice dicimus : *coucher ses pensées sur le papier*.

35. *At di deæque, quantus es*... adjiciebat *perduint*, nisi intercepisset Pseudolus ad meliora detortam orationem. — *Quantus es*, i. e. totum, omnino. N.

36. *Quasi solstitialis herba*. Herbam solstitialem de ea intelligo, quæ tempore solstitii, nocte præsertim frigidiuscula, ut solet, et roruleuta subnascitur, et postea a calore solis diurni, qui tunc maxime sævit, moritur, aut certe languescit. BECMAN. — Proverbialiter dicitur de re fugaci et non diuturna. SCAL. — Imitatus est Ausonius, de morte præstantis cujusdam adolescentis, in Parentalibus, p. 163 : « Ostentatus, raptusque simul, solstitialis velut herba solet ». GRON.*—Quis hæc quum legat, non meminerit Bossuetianæ orationis : *Madame a passé, du matin au soir, comme l'herbe des champs. Le matin, elle fleurissait ; avec quelles graces, vous le savez ! le soir, nous la vîmes séchée*. N.

40. *Ceram et linum*. Vid. Bacch. IV, 4, 64.

Salutem mittit, et salutem abs te expetit,
Lacrumans titubanti animo, corde, et pectore.
CAL. Perii! salutem nusquam invenio, Pseudole,
Quam illi remittam. PS. Quam salutem? CAL. Argenteam.
PSEUD. Pro lignean' salute vis argenteam
Remittere illi? vide, sis, quam tu rem geras.
CAL. Recita modo : ex tabellis, jam faxo, scies,
Quam subito argento mi usus invento siet.
PSEUD. Leno me peregre militi Macedonico
Minis viginti vendidit, voluptas mea :
Et priusquam hinc abiit, quindecim miles minas
Dederat; nunc unæ quinque remorantur minæ.
Ex causa miles heic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex anulo suam imaginem,
Ut qui huc adferret ejus similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret. Ei rei dies
Hæc præstituta 'st, proxuma Dionysia.
CAL. Cras ea quidem sunt : prope adest exitium mihi,
Nisi quid mihi in te est auxili. PSEUD. Sine perlegam.
CAL. Sino, nam mihi videor cum ea fabularier;
Lege, dulce amarumque una nunc misces mihi.
PSEUD. Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
Jocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
Conpressiones arctæ amantum comparum,

45. *Pro lignea salute.* Quia tabellæ e ligno. Unde et Ovid. Amor. I, 1, 12, eas vocat, *inutile lignum.*

49. *Peregre vendidit*, i. e. me vendidit, ut peregre abducar. Ellipsis hujus similis *polliceor foras*, scilicet *me cœnatum iturum.* Casin. III, 2, 21. N. — *Militi Macedonico.* Scriverius, *Macedonio.*

53. *Symbolum.* Vid. Argum. 2, et Bacch. II, 3, 29.

61. *Misces*, verbum potorium : nam vel mœrentes jocantur apud Plautum. Aulul. II, 3, 12. Catull. « dulcem curis miscet amaritiem ».

62. *Mores*, vivendi modos. — *Consuetudines*, συνευσίας.

64. *Amantum comparum.* Ex vetere cod. leg. *artæ amantum comparum.* Compares sunt σύζυγοι. In amore usurpatur de duobus qui inter se amant. Horat. Od. II, 5 : « Nondum munia comparis Æquare valet. LIPS.

Teneris labellis molleis morsiunculæ,
Papillarum horridularum obpressiunculæ;
Harum voluptatum mihi omnium, atque itidem tibi
Distractio, discidium, vasticies venit,
Nisi quæ mihi in te'st aut tibi est in me salus.
Hæc quæ ego scivi, ut scires curavi omnia:
Nunc ego te experiar quid ames, quid simules. Vale.
CAL. Est misere scribtum, Pseudole! PSEUD. O miserrume!
CAL. Quin fles? PSEUD. Pumiceos oculos habeo: non queo
Lacrumam exorare ut exspuant unam modo.
CAL. Quid ita? PSEUD. Genus nostrum semper siccoculum fuit.
CAL. Nihilne adjuvare me audes? PSEUD. Quid faciam tibi? CAL. Heu!
PSEUD. Heu? id quidem tibi, hercle, ne parsis, dabo.
CAL. Miser sum; argentum nusquam invenio mutuum,
Pseudole. PSEUD. Heu! CAL. Neque intus numus ullus est. PSEUD. Eheu!
CAL. Ille abducturus est mulierem cras. PSEUD. Eheu!
CAL. Istoccine pacto me adjutas? PS. Do id quod mihi'st.
Nam is mihi thesaurus jugis in nostra'st domo.
CAL. Actum hodie de me est: sed potes nunc mutuam
Drachmam dare mihi unam, quam cras reddam tibi?

66. *Papillarum horridularum*, id est, *prominentium*, *exstantium*. Nonius. Catullo *surgentes papillæ* sunt tumescentes et veluti strophio obnitentes, quas hic Plautus *horridulas* vocat. TURN.

68. *Discidium*. Vid. Mil. III, 1, 60. ERN.

69. *Quæ*, aliqua.

72. *Misere scribtum*, i. e. quod miserationem moveat.

73. *Pumiceos*. Vid. Aul. II, 4, 18.

76. *Audes*. Cf. Asin. II, 4, 70.

77. *Ne parsis, dabo*. Quum juvenis roganti, « quid faciam tibi? » responderit *heu!* tum scurra, quasi nihil aliud quam vocem ejulatorism in auxilium herus posceret, se daturum, quantum volet, pollicetur, et quidem sequentibus versibus dare non parcit. N.

82. *Jugis*, perennis, propter incommoda servitutis scilicet. Thesaurum vero de re etiam mala dici, Mercat. notavimus. Sic Oppianus, ὄλβον ὀλέθρου, *thesaurum interitus*, pro mundo et copia, sive δυνάμει, ut observat Rittersh.

PSEUD. Vix hercle, opinor, si me obponam pignori.
Sed quid de drachma facere vis? CAL. Restim volo
Mihi emere. PSEUD. Quamobrem? CAL. Quî me faciam pensilem.
Certum'st mihi ante tenebras tenebras persequi.
PSEUD. Quis mi igitur drachmam reddet, si dederim tibi?
An tu te ea causa vis sciens suspendere,
Ut me defrudes drachma, si dederim tibi?
CAL. Profecto nullo pacto possum vivere,
Si illa a me abalienatur atque abducitur.
PSEUD. Quid fles, cucule? vives. CAL. Quid ego ni fleam,
Quoi nec paratus numus argenti siet,
Neque quoi libellæ spes sit usquam gentium?
PSEUD. Ut literarum ego harum sermonem audio,
Nisi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quam si imbrem in cribum geras.
Verum ego te amantem, ne pave, non deseram.
Spero, alicunde hodie me bona opera, aut hac mea,
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.
Atque id futurum, unde, unde dicam nescio,

90. *Sciens*, consulto, de industria.

94. *Cucule*. Non eadem omnino significatione qua Asin. sc. ultima 73. Alludit ad gemebundam adolescentis vocem, cuculi singultus referentem; nisi velit hoc nomine nullius opis, nihili hominem significare. N.

96. *Libellæ*. *Libella* nummulus erat argenteus, decima denarii pars. Proinde *as*, *libra*, *libella argenti* Plauto, et *libella* Ciceroni et *assis* pro eodem accipiuntur. Hinc illa: « Ad libellam debere: sumtum reddere ad assem ». Aliud est apud Plin. « Ad libellam et normam exigere ». Conf. Captiv. V, 1, 27. GRON.

99. *Quod tu istis lacrumis*, etc. Quod censes, te existimari ab illa probum amatorem, ob lacrimas, falleris, etc. GRON. — Vide Asin. IV, 1, 12.

102. *Aut hac mea*. Nihil melius vulgato: Bona opera, aut, si bona esse non potest, vel boni a me nihil exspectas, hac mea, qualiscumque esse potest. GRON.—Quid, si gestu demonstrativo hoc dicat prætendens sinistram? Vid. Epid. I, 1, 8, et Pers. II, 3, 44. N.

Nisi quia futurum 'st : ita supercilium salit.
CAL. Utinam quæ dicis, dictis facta subpetant!
PSEUD. Scis tu quidem, hercle, mea si conmovi sacra,
Quo pacto et quantas soleam turbellas dare!
CAL. In te nunc sunt omneis spes ætati meæ.
PSEUD. Satin' est, si hanc hodie mulierem ecficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?
CAL. Satis, si futurum 'st. PSEUD. Roga me viginti minas,
Ut me ecfecturum tibi, quod promisi, scias :
Roga, obsecro, hercle; gestio promittere.
CAL. Dabisne argenti mihi hodie viginti minas?
PSEUD. Dabo, molestus nunc jam ne sis mihi.
Atque hoc ne dictum tibi neges, dico prius,
Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.
CAL. Di te mihi omneis servent : verum si potes
Pietatis causa vel etiam matrem quoque.

105. *Ita supercilium salit.* Ominandi scientia a veterum superstitione diligenter culta fuit : quam κληδονιατικὴν vocabant. Quod Ausonius ait, ejus tres species esse, non dubito, quin hæ fuerint πταρμὸς, παλμὸς, et *tinnitus auris.* De *sternutatione* multi, ut Propertius : « Aridus argutum sternuit omen amor ». Cujus ominationis solicitudinem quum deprecabantur Græci, dicebant, Ζεῦ, σῶσον· de palpitatione autem Theocritus : Ἄλλεται ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιὸς, ἦ ῥά γ' ἰδησῶ Αὐτάν; SCALIG.

107. *Mea si conmovi sacra.* Serv. ad Æn. IV, 302 : « verbo antiquo usum tradunt. *Moveri* enim *sacra* dicebantur, quum solennibus diebus aperiebantur templa instaurandi sacrificii causa. Scilicet proferuntur cistæ, vasa, instituuntur thiasi, chori. Sic Valer. Flacc. Argon. III, 232 : « motis ululantia Dindyma sacris ». HEYN.

108. *Turbellas.* Vide Bacch. IV, 9, 134.

109. *Ætati.* Asin. I, 3, 39.

110. *Hanc ecficio tibi*, etc. I. e. efficio tibi, ut hæc tua sit. Hellenismus cujus sexcenta occurrunt exempla. Vid. Amph. I, 1, 241, et Asin. I, 1, 13. N.

114 sq. *Roga... Dabisne.* Verba solennia conventionum.

116. *Nunc jam ne sis.* Deest huic versui pes, nisi dissyllabum *jam* fiat. GRON.

118. *Tang. patrem.* Epid. V, 2, 4.

119. *Mihi* abundat. Cf. Bacch. IV, 9, 27.

120. *Pietatis causa.* Per pietatem liceat tibi non patrem tantum, sed matrem quoque tangere. *Pietatis causa*, sicut *mea causa*, per me. ACIDAL.

8.

PSEUD. De istac re in oculum utrumvis conquiescito.
CAL. Oculum utrum, anne in aurem? PSEUD. At hoc pervolgatum 'st minus.
Nunc ne quis dictum sibi neget, dico omnibus,
Pube præsenti, in concione, omni poplo,
Omnibus amicis, gnotisque edico meis,
In hunc diem a me caveant, ne credant mihi.
CAL. St! tace, obsecro, hercle. PSEUD. Quid negoti 'st? CAL. Ostium
Lenonis crepuit. PSEUD. Crura mavellem modo.
CAL. Atque ipse egreditur penitus perjurum caput.

SCENA SECUNDA.

LENO, LORARII IV, PSEUDOLUS, CALLIDORUS.

LEN. Exite, agite, ite ingnavi, male habiti, et male conciliati,
Quorum nunquam quidquam quoiquam venit in mentem, ut recte faciant;
Quibus, nisi ad hoc exemplum experior, non potest usurpari usura.

122. *At hoc*, loquendi genus, sc. *in aurem*.

124. *Pube præsenti*. « Pubes, auctore Festo, συνεκδοχικῶς ab iis, qui puberes sunt, omnem populum significat ». Doctissimus Romanorum Virgilius, inter alia conditæ antiquitatis arcana et hoc posuit, quum ait: « puppesque tuæ, pubesque tuorum »: ex ea enim consuetudine dixit, quum exprimeret Homericum: ...σύν νηΐ τε σῇ καὶ σοῖς ἑτάροισι. Ibidem: « Pubes, adolescens, qui etiam Vesticeps vocatur. Cui contrarium Investis. Pubes, et pro plurium puberum numero diei solet ». Festus. SCAL.

127. *Ostium crepuit*. Vide Milit. II, 1, 76.

128. *Crura mavellem modo*. Crura mallem crepuisse, id est, fracta esse. De *crurifragio* vide Asin. II, 4, 68. N.

1. *Male habiti, et male conciliati*. I. e. quorum possessio damnosa est, et quos nimio emi. Cf. Most. III, 2, 112. N.

3. *Nisi ad hoc exemplum experior*. Δεικτικῶς. Videtur enim hoc dicens, scutica et tergino officii

Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costæ callent;
Quos dum ferias, tibi plus noceas; eo enim ingenio hi sunt flagritribæ :
Qui hæc habent consilia, ubi data obcasio 'st, rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge, hoc est eorum opus.
Ut mavelis lupos apud oveis linquere, quam hos domi custodes.
At faciem quom adspicias eorum haud mali videntur, opera fallunt.
Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortitis omneis,
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque amovetis,
Ita ego vostra latera loris faciam, ut valide varia sint;
Ut ne peristromata quidem æque picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

quemque sui commonefecisse. DOUZA. — *Non potest usurpari usura*, quibus uti non possum, quos adducere non possum, ut faciant officium. N.

5. *Noceas*, defatigando te. SCHM. — *Eo enim ingenio*, ita sunt a natura comparati, ut lassent vapulantes cædentem, vere flagritribæ.

6. *Qui hæc habent consilia*, etc. Illorum ea mens est, ut furentur, si occasio se dederit. — *Clepe*, græcu de foule verbum, ut *harpagare*. Hac figura imperandi, per prosopopœiam vividior fit oratio. Cf. Trinum. II, 2, 12. N.

9. *Faciem quom adspicias*, etc. Terent. Andr. V, 2, 15 : « Quom faciem videas, videtur esse quantivis preti ». N.

12. *Ut valide varia sint*. Vide Epid. I, 1, 15, et Bacch. III, 3, 30.

14. *Alexandrina belluata*. Intellexit hoc loco Plautus *polymita*, quæ sic Græcis dicebantur a *polymitariis*, qui stragula multis liciis texebant, et inde hoc nomine vocabantur. Hunc texendi modum et artem Alexandriæ primum institutam fuisse, testis Plinius : « plurimis vero liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit » : inde etiam *Alexandrina* dicebantur, quæ ad eum modum erant texta. Non acu operabantur Alexandrini illi polymitarii, sed pectine : nam in tela et textoriis instrumentis artem suam exercebant, ac per hoc vere et proprie texebant. Tantum tamen eorum artificium fuit et industria, ut majore ferme varietate eorum opera distinguerentur, quam quæ acu Babylonia, aut Phrygia picta es-

Atque heri ante dixeram omnibus, dederamque eas provincias :
Verum ita vos estis perditi, neglegenteis, ingenio inprobo,
Opficium vostrum ut vos malo cogatis commonerier.
Nempe ita animati estis vos : vincite hoc duritia ergo atque me.
Hoc vide, sis, ut alias res agunt! hoc agite, hoc animum advortite.
Huc adhibete aureis, quæ ego loquar, plagigera genera hominum.
Nunquam, edepol, vostrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum.
Quî nunc? doletne? hem, sic datur, si quis herum servos spernit.
Adsistite omneis contra me, et quæ loquor, advortite animum.
Tu qui urnam habes, aquam ingere, face plenum ahenum sit cito.
Te, cum securi, caudicali præficio provinciæ.

sent : nam et in his et belluarum, et hominum, et avium aliarumque rerum formæ exprimebantur, haud secus atque in Babylonicis. SALM. — *Conchyliata tapetia. Conchyliatus color* est a cæruleo et rubro, qualis Martiæ violæ. Dicitur et *purpureus, ostrinus, Sarranus; Thessalicus* etiam Lucretio; *blatteus*, etc. Et *tapetum*, vel *tapetem* Nonius exponit *tegmen unite pictum de variis coloribus.* Cic. « Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres ». CAMER.

18. *Vincite hoc duritia ergo.* Qui hæc mutare aggressi sunt, ignoravere quam necessarium sit in comœdiæ lectione gestus identidem sibi repræsentare. *Hoc*, δεικτικῶς hic ponitur. Sententia autem est : Vos, si quidem velitis et possitis, duritia vestra, et hoc terginum (id manu ostenditur) et me eo vos excepturum, vincite. BOXH.

19. *Ut alias res agunt.* Gallice *distrait*. Qui alias res agit, sic admonetur : hoc age. Vide Asinar. Prol. 1.

21. *Terginum. Terginum* pro scutica et corio dixerunt antiqui. Lucill. « ... dum salvo tergo et tergino licet ». SCALIG.

22. *Quî nunc? doletne?* Videlicet nonnullos verberavit, quum hæc loquitur. — *Hem, sic datur.* Conf. Menæchm. IV, 2, 40. N.

23. *Contra me*, in conspectu.

24. *Ahenum*, in quo carnes vel alia quævis coquebantur.

25. *Caudicali præficio provinciæ*,

LOR. At hæc retunsa 'st. LEN. Sine siet : itidem vos quoque estis plagis omneis :
Num quî minus ea gratia tamen omnium opera utor?
Tibi hoc præcipio, ut niteant ædeis; habes quod facias, propera, abi intro.
Tu esto lectisterniator : tu argentum eluito, idem exstruito.
Hæc, quom ego a foro revortor, facite, ut offendam parata,
Versa, præsterga, strata, lautaque coctaque omnia uti sint.
Nam mihi hodie natalis dies est, decet eum omneis vos concelebrare..
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua jaceant: satin' audis?
Magnifice volo enim summos viros adcipere, ut mihi rem esse reantur.
Intro abite, atque hæc cito celebrate, ne mora quæ sit, cocus quom veniat,

Ut lignum findas, et in tabulas ac fragmenta minuta disseces : *caudex* seu *codex*, arboris truncus. Virgil. Georg. II : « Quin et caudicibus sectis, etc. » GRON.

29. *Idem exstruito*, in abaco ordine colloca. TAUBM.—*Idem*. Unus eluet argentum et dein exstruet. Quoties *tu*, *te*, *tibi* iteravit, alium appellabat.

31. *Versa*. *Versa*, a verrendo, σεσαρωμένα. Hunc versum videtur in animo habuisse Diomedes, quum scribit I, 4, *Verro, meto, furio*, horum verborum non facile reperimus tempus perfectum : et tamen, quod est *verro*, in passiva significatione *versus* habet : ut ap. Senec. *Versa templa*; et Plaut. *versa, sparsa*. DOUZA. — *Præsterga*. Sic MSS Pall. Sed membranæ Acad. Lugd. *præstersa*. Verum puto *pertersa*. Ut Horatio, « Gausape purpureo mensam pertersit » : et Columellæ « munda spongia vasa pertergere ». Apud Lucretium quoque semel atque iterum *præterget* pro *perterget* habebatur in corruptioribus libris. Tum *s* et *g* misceri interdum a librariis notavimus etiam in Livio, ubi *senes* pro *genus*. GRON.—*Coctaque*. Boxhornius vult immutari *docta*, i. e. scite facta. Quid enim cocta jubeat esse, antequam coquos adduxerit? Sed discernenda tempora sunt, prius, quum coquus a se missus veniet, alterum, quum ipse a foro revertetur. N.

34. *Adcipere*. Cistell. I, 1, 12.

35. *Hæc cito celebrate*. *Celebre* non solum frequens, sed etiam velox significat. NONIUS. — *Celebrare*

Mihi : ego eo in macellum, ut piscium quidquid est pretio præstinem.

I, puere, præ, ne quisquam pertundat crumenam cautio 'st.

Vel obperire : est quod domi dicere pæne fui oblitus.

Auditin'? vobis, mulieres, hanc habeo edictionem :

Vos quæ in munditiis, mollitiis, deliciisque ætatulam agitis

Viris cum summis inclutæ amicæ, nunc ego scibo, atque hodie experiar,

Quæ capiti, quæ ventri operam det, quæque suæ rei, quæ somno studeat :

Quam libertam fore mihi credam, et quam venalem, hodie experiar.

Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.

Nam nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos.

Natalem scitis mihi diem esse hunc : ubi isti sunt, quibus vos oculi estis?

Quibus vitæ? quibus delitiæ estis? quibus savia? mammilla? mellitæ?

Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædeis jam heic adsint.

est, nt opinor, diligenter aliquid curare, frequens operi adesse, nam *cito* supervacsnenm esset; præterea id est verbi ingenium. N.

37. *Ne quisq. pertund.* Crumenam in collo gerebant retrorsum pendentem; ita nt fur a tergo ferentis posset crumenam exenterare. Vid. Asinar. III, 3, 67, et Pers. II, 5, 11. N. — *Cautio 'st.* Id est, cavendum est. Donatus Andr. II, 3.

41. *Inclutæ*, splendidæ.

42. *Quæ capiti*, libertati. Conf. Mostell. I, 3, 54. — *Ventri*, i. e. si diligenter fungatur officio, nt in vicem alimonio ipsa curetur. — *Suæ rei*, bono, fortunæ. — *Somno*, inertiæ. N.

43. *Quam libertam*, etc. Experiar hodie, quæ sua mereatur industria, ut manu mittatur. Quæ, contra, venalium ancillarum, in numero jaceat, servilibns ministeriis addicta, aut venumdetur. N.

45. *Annuus*, qui in annuum victum sufficiat. Vid. vs. 56. — *Pop. prostituam vos.* Non in munditiis ætatem agetis, cnm selectis viris, sed cuilibet e populo prostibula merebitis diobolaria. N.

46. *Qnibus vos oc. estis?* qui vos oculitus amant.

Cur ego vestem, aurum, atque ea quibus est vobis usui, prælibeo? quid mihi
Domi, nisi malum, vostra opera est hodie, improbæ? vino modo cupidæ estis :
Eo vos vostros pantices usque adeo madefacitis, quom ego sim heic siccus.
Nunc adeo hoc factum 'st optumum, ut nomine quamque adpellem suo;
Ne dictum esse actutum sibi quæpiam vostrarum mihi neget : advortite animum cunctæ.
Principio, Hedylium, tecum ago, quæ amica es frumentariis,
Quibus cunctis monteis maxumi acervi frumenti sunt domi :
Fac, sis, sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis
Mihi, etiam familiæ omni sit meæ, atque adeo ut frumento adfluam,
Ut civitas nomen mihi conmutet, meque ut prædicet
Lenone ex Ballione regem Iasonem. CAL. Audin', furcifer
Quæ loquitur? satin' magnificus tibi videtur? PSEUD. Pol, iste,
Atque etiam malificus : sed tace, atque hanc rem gere.
LEN. Æschrodora tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos

49. *Aurum*. Conf. Menæchm. I, 2, 12. — *Prælibeo*, præbeo. Vid. Menæchm. V, 2, 51.

51. *Pantices usque*. Vid. Capt. IV, 3, 116. Vulgata lectio, *vos vestros panticesque*, palam inconcinna est. BOXHORN.

52. *Factum 'st optumum*, hoc facere me oportet.

55. *Montes maximi acervi*. Acervi maximi instar montium. Cf. Epid. I, 1, et Mil. IV, 2.

59. *Regem Iasonem*. Jasonem Thessaliæ tyrannum, qui ætate Epaminondæ floruit, malim intelligi, quam illum Argonautam. LAMB.

60. *Magnificus*, magna affectans, sese extollens superbia. — *Iste*, scilicet est quem dicis magnificus, est etiam malificus. N.

61. *Hanc rem g.* i. q. hoc age.

62. *Lenonum æmulos Lanios*. Cf. Capt. III, 1.

Lanios, qui item ut nos jurando jure malo quærunt rem, audi : .
Nisi carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi hodie
Mihi erunt, cras te quasi Dircam olim, ut memorant, duo
Gnati Jovis devinxere ad taurum, item, hodie stringam ad carnarium : id tibi
Profecto taurus fiet. PSEUD. Nimis sermone hujus ira incendor.
Hunccine heic hominem pati colere juventutem Atticam?
Ubi sunt, ubi latent, quibus ætas integra 'st, qui amant a lenone?
Quin conveniunt, quin una omneis peste hac populum hunc liberant?
Sed nimis sum stultus, nimium fui indoctus; ne illi audeant
Id facere, quibus ut serviant suus amor cogit, simul
Prohibet, faciant advorsum eos quod volunt. CAL. Vah, tace. PSEUD. Quid est?
CAL. Male morigerus male facis mihi, quom sermone huic obsonas. PSEUD. Taceo.
CAL. At taceas malo multo, quam tacere te dicas. LEN. Tu autem

64. *Tergoribus.* Vid. Captiv. IV, 3, 2. — *Oneri uberi.* Sic *parti* pro *parte*, etc. *Oneri ub.* i. e. abundanter onusta.

65. *Dircam.* Zethus et Amphion, Jovis ex Antiopa filii, Dircen, quam Lycus, Antiopa eorum matre ejecta, uxorem duxerat, quæque Antiopam in vincula conjecerat, caudæ bovis indomiti alligarunt, Lycumque interfecerunt. PASSERAT.

66. *Stringam ad carn.* te devinciam ad carnarium. Paronomasiæ lusus hic fit, quo leno significet carnificinam.

68. *Pati colere. Colere*, absolute, pro *incolere*, et degere aliquo in loco.

69. *Qui amant a lenone.* Vide Pœnul. V, 2, 132.

71. *Ne illi audeant.* J. Guliel. Acidal. et Popma, aiunt anastrophen esse, pro *illine.* Terent. Andr. « Audivi jam omnia. — Ah ne tu omnia? » id est, tune? Vid. Aulul. Prolog. TAUBM.

72. *Quibus.* Non ausint, vel ausint ne juvenes id facere lenonibus, quibus serviant, etc.

75. *Malo multo*, multo magis opto. Vid. Pœn. I, 2, 50, 83.

Xystylis, fac ut animum advortas, quojus amatores olivi
Dynamin domi habent maxumam.
Si mihi non jam huc culleis oleum deportatur,
Te ipsam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam.
Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias,
Sed ubi usque ad languorem... tenes quorsum hæc tendant quæ loquor?
En, excetra tu, quæ tibi amicos tot habes, tam probe oleo onustos,
Num quoipiam'st hodie tua tuorum opera conservorum
Nitidiusculum caput? aut num ipse pulmento utor magis
Unctiusculo? sed scio, tu oleum haud magni pendis, vino te
Devincis: sine modo: reprehendam ego cuncta, hercle, una opera, nisi
Quidem hodie tu omnia facis, scelesta, hæc uti loquor.
Tu autem, quæ pro capite argentum mihi jam jamque sæpe numeras,

77. *Dynamin.* Græcum pro latino *vim.*

78. *Culleis.* Culleum, maxima liquidorum mensura, 2 hectol. 64 lit. Dein amphibolia leno cavillatur, nam culleus erat supplicii genus, nobilius quidem quam ut quale fuerit enarrem. N.

79. *Pergulam.* Cellæ erant, ubi res venales proponerentur, quæ dicebantur pergulæ. SALM.—Pergulæ erant etiam cellæ in domo lenonis, in lupanari, quas meretrices habebant quæque suam, sub titulo. Vid. vs. 92 et sc. seq. vs. 2.

81. *Ubi usque ad lang.* Quid significant hæc verba? obscœnum aliquid, ut illud Juvenalis, « lassata viris »? Imo virgas vimineas Xystili nunc minatur, ut mox Phœnicio. Vide Asin. III, 2, 28, « ubi ad languorem tua duritia dederis octo Validos lictores ulmeis adfectos lentis virgis ». — *Tenes.* Amph. Prol. 58. N.

82. *Excetra tu.* Casin. III, 5, 19.

84. *Nitidiusculum caput.* Maximus olei usus ungendis corporibus et capillis. N. — *Pulmento utor magis unctiusculo*, id est, lautius cœno; cui contrarium apud Persium: *Cœnare sine uncto.* Idem, Sat. III, loquens de luxuriosis, quibus intemperantia morbos et ambiguam valetudinem affert: « Uncta cadunt laxis tua pulmentaria labris ». GRONOV.*

86. *Sine modo.* Curc. V, 2, 55. — *Reprehendam*, pœnas repetam pro præteritis.

88. *Numeras*, verbis quidem, non re, ut palam fit vs. seq.

Ea pacisci modo scis; sed quæ pacta es, non scis solvere.
Phœnicium, tibi hæc ego loquor, deliciæ summatum virûm :
Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur,
Cras, Phœnicium, Phœnicio corio invises pergulam.

SCENA TERTIA.

CALLIDORUS, PSEUDOLUS, BALLIO.

CAL. Pseudole, non audis quæ hic loquitur? PSEUD. Audio, here, equidem atque animum advorto.
CAL. Quid mihi es auctor, huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?
PSEUD. Bene curassis : liquido es animo, ego pro me et pro te curabo.
Jam diu ego huic bene et hic mihi volumus, et amicitia 'st antiqua.
Mittam hodie huic suo die gnatali malam rem magnam et maturam.
CAL. Quid opu'st? PSEUD. Potin' aliam rem ut cures? CAL. At. PSEUD. Bat. CAL. Crucior. PSEUD. Cor dura.
CAL. Non possum. PSEUD. Fac possis. CAL. Quonam pacto possim vincere animum?

92. *Phœnicio corio. Phœnicium corium* rubrum vocatur. Hic tergum flagris cruentum significatur. T. — Alias dixit, « corium tam maculosum quam est nutricis pallium », Bacch. III, 3, 30.

3. *Bene curassis.* Conjiciunt : « Ne curassis, Tu ne curassis, sive cura ais, Bene : ne curassis. BALL. Ne curassis ». Omnia frustra. Censeo formulam esse hortandi aliquem, ne quid ex ordine quotidiano intermittat ob præsentem metum : sed agat solita, quasi nihil sit, quod interpellet. Recte rem aliam gere : noli ob hoc animo perturbato minus curare res alias. Eadem brevitate verbum idem in Prologo Pœnuli : « Ne et hic varientur virgis et loris domi, Si minus curassint, quom veniant heri domum ». Hinc et mox : « Potin' aliam rem ut cures? » GRON.

6. *At.* PS. *Bat. Bat*, sonus est cornicinis lituum ex ore eximentis. CHARIS. — Vox est eludentis.

PSEUD. In rem quod sit prævortaris, quam re advorsa animo auscultes.
CAL. Nugæ istæc sunt : non jucundum'st, nisi amans facit stulte. PSEUD. Pergin'?
CAL. O Pseudole mi, sine sim nihili; mitte me, sis. PSEUD. Sino, modo ego
Abeam. CAL. Mane, mane : jam ut voles me esse, ita ero. PSEUD. Nunc tu sapis.
BALL. It dies; ego mihi cesso : i præ, puere. CAL. Heus, abiit : quin revocas?
PSEUD. Quid properas? placide. CAL. At priusquam abeat.
BALL. Quid hoc, malum, tam placide is, puere?
PSEUD. Hodie gnate, heus, hodie gnate, tibi ego dico, heus hodie gnate, redi et
Respice ad nos; tametsi obcupatum moramur, mane : sunt conloqui
Qui volunt te. BALL. Quid hoc est? quis est qui moram obcupato molestam obtulit?
CAL. Qui tibi sospitalis fuit. BALL. Mortuu'st, qui fuit : qui est, vivos est.
PSEUD. Nimis superbe. BALL. Nimis molestus. CAL. Reprehende hominem; adsequere.

8. *Prævortaris*, attendas præ cæteris rebus. Amph. I, 3, 30.—*Re advorsa*, contra rem, utilitatem, oppositum τῷ *in rem*. — *Animo*, cupiditati, libidini, mentis vehementi affectui. Vid. Trinumm. II, 2, 24. Totius orationis sententia est : « potius quod utile est persequaris quam cupiditati obsequens rebus tuis noceas ». N.

9. *Istæc*, vetus, pro *istæ*.

15. *Hodie gnate, heus*. Ita lenonem appellat, quod superiore scena dixerat, sibi hodie natalem diem esse. *Nascuntur* etiam qui honores adipiscuntur : et *nascuntur*, qui ab exsilio reducuntur. TURN.

16. *Obcupatum mor.* Sic Lambinus. Vulgo, *occupatus, moramur.* Boxhornius exponit *occupatu's, moramur;* sed ultima vox tum non commode cum cætera oratione procedit. N.

18. *Sospitalis.* Etenim Callidorus, cujus causa Ballioni mora objicitur, munifice eum Ballione sæpe usus est.—*Mortuu'st, qui fuit.* Vid. Captiv. III, 3, 1.

19. *Reprehende*, retrahe; Mil. I, 1, 59.—*Adsequere*, adi.

BALL. I, puere. PSEUD. Adeedamus hac obviam. BALL. Jupiter te perdat, quisquis es.
PSEUD. Te volo. BALL. At vos ego ambos : vorte hac te, puere. PSEUD. Non licet
Conloqui te? BALL. At mihi non lubet. CAL. Sin tuam'st quidpiam in rem? BALL. Licet-
Ne, obsecro, vivere, an non licet? PSEUD. Vah, manta. BALL. Omitte. CAL. Ballio,
Audi. BALL. Surdus sum; profecto inanilogus es. CAL. Dedi, dum fuit.
BALL. Non peto quod dedisti. CAL. Dabo, quando erit. BALL. Ducito,
Quando habebis. CAL. Heu heu, quam ego malis perdidi modis,
Quod tibi detuli et quod dedi! BALL. Mortua re, verba nunc facis.
Stultus es, rem actam agis. PSEUD. Gnosce saltem hunc qui est. BALL. Jam diu
Scio qui fuit : nunc quis est is, ipsus sciat : (ad puerum) ambula tu.
PSEUD. Potin' ut semel modo, Ballio, huc cum lucro respicias?
BAL. Respiciam istoc pretio : nam si sacruficem summo Jovi,
Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci

21. *Te volo.* Ambiguum. Vel, Te volo convenire; vel, Te Jupiter perdat, volo. Atque hoc modo Pseudolus intelligit, idque non fefellit lenonem, qui sic respondet : « At ego volo vos ambos perdat Jupiter ». GRON.

22. *Conloqui te.* Vid. Asin. III, 1. — *Licet-Ne obsecro vivere.* Q. d. vos me enecatis odio vestro et molestia. LAMB.

35. *Ducito* puellam. Vide Asin. I, 3, 13, 36.

28. *Rem actam agis.* Donatus Andr. III, 1 : « Hæc res secundum jus civile dicitur : in qua cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat ». Idem ad Eunuch. I, 1 : *Actum est*, sumtum a jure; *ilicet*, a judicio; *peristi*, a supplicio. GRON. — Si quis factum infectum velit, rem agat, quæ transacta sit, incassum agat.

32. *Ut porriciam. Porriciendi* verbum ex disciplina haruspicum et ex præcepto pontificum solenne

Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.
PSEUD. Non potest pietate obsisti huic, ut res sunt cætcræ!
Deos quidem, quos maxume æquom 'st metuere, eos minumi facit.
BALL. Conpellabo : salve multum, serve Athenis pessume.
PSEUD. Di te deæque ament vel hujus arbitratu, vel meo :
Vel si dignus alio pacto, neque ament, neque faciant bene.
BALL. Quid agitur, Callidore? PSEUD. Amatur, atque egetur acriter.
BALL. Miscreat, si familiam alere possim misericordia.
PSEUD. Eia scimus nos quidem te qualis sis; ne prædices.
Sed scin' quid nos volumus? BALL. Pol, ego propemodo : ut male sit mihi.
PSEUD. Et id, et hoc quod te revocamus, quæso animum advorte. BALL. Audio :
Atque in pauca, ut obcupatus nunc sum, confer, quid velis.
PSEUD. Hunc pudet, quod tibi promisit, quaque id promisit die,
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
BALL. Nimio id quod pudet facilius fertur, quam illud quod piget :
Non dedisse, istum pudet : me, quia non adcepi, piget.
PSEUD. At dabit, parabit : aliquot hos dies manta modo.

sacrificantibus fuisse, Macrob. III, 2, tradit. Nævius : « Simul atrocia porricerent exta ministratores ». TURN.

33. *Rem divinam deseram.* Profecto neque religionum sit observans, neque animo imperet, ut ille Horatius consul, qui, quum inimici sacruficanti, ut eum interverterent, falso nuntiassent mortuum esse filium : efferatur, inquit. N.

34. *Non potest*, etc. Pietas illi non imponit magis quam cæteræ res venerandæ.

45. *Hunc pudet, quod*, etc. Ordu : Hunc pudet, quia nondum tibi dedit, quod promisit, et die qua promisit se daturum, sc. viginti minas.

47. *Nimio id.* Viro bono indigna sententia, cui famæ et existimationis jactura gravior, quam rei. Sophocles : Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἔῃ. GRON.

Nam hic id metuit, ne illam vendas ob simultatem suam.
BALL. Fuit occasio, si vellet, jampridem argentum ut daret.
CAL. Quid, si non habui? BALL. Amabas? invenires mutuom,
Ad danistam devenires, adderes fenusculum:
Subripuisses patri. PSEUD. Subriperet hic patri, audacissume?
Non periclum 'st, ne quid recte monstres. BALL. Non lenonium 'st.
CAL. Egon' patri subripere possim quidquam, tam cauto seni?
Atque adeo, si facere possem, pietas prohibet. BALL. Audio.
Pietatem ergo istam amplexator noctu pro Phœnicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo prævortere,
Omneis tibi patres sunt? nullu'st tibi quem roges mutuum
Argentum? CAL. Quin nomen quoque jam interiit Mutuum.
BALL. Heus tu, postquam, hercle, isti a mensa surgunt saturi, poti,

50. *Simultatem suam*, i. e. quam habes adversus se. Tit. Liv. lib. XXXI, cap. 42, *odio vestro*, i. e. in vos.

52. *Invenires. Devenires. Subripuisses.* Conf. Pers. IV, 6, 28.

55. *Non lenonium 'st.* Scil. recte monstrare.

61. *Nomen quoque*, etc. Ita mutuandæ pecuniæ usus obsolevit, ut ipsum nomen mutuum perierit.

62. *Heus tu, postquam.* De trapezitis agere certum est, qui, quum bonis cedere et mensam relinquere decreverunt, prius omnia, quæ ipsis debentur, exigunt et abscondunt, ne illi, quibus ipsi debent, ea occupent, ut recte Pistorius.— *Qui suum repetunt*, descriptio est argentariorum. Curcul. III, 1, 9: « Habent hunc morem plerique argentarii, Ut alius alium poscant, reddant nemini ». Sed cur addit *saturi, poti?* non alia de causa, quam quia appellarat *mensam;* quæ est et trapezitica et ad quam vescimur, saturique et poti reddimur. Ut quum in Curculione quia dixerat *datores*, addit *et factores*, etsi ad sententiam *factores* nihil facerent. Ut quum Menæchmum dixisset eum convivas *recreare*, addit et *medicinam facere.* Et tamen ἀλληγορίᾳ possunt eadem verba ad præsentem pertinere materiam, ut sint sibi credita pecunia saginati et ebrii. Postquam, inquit, argentarii crebro a mensa surgere et bonis cedere cœperunt, ex eo tempore homines ab alienis, quorum rem et statum non probe habent cognitum, cautiores sunt, et non facile cuiquam credunt. GRON. — Vide Casin. Prol. 23-28.

Qui suum repetunt, alienum reddunt gnato nemini,
Ab alienis cautiores sunt, ne credant alteri?
CAL. Nimis miser sum, numum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser et amore pereo, et inopia argentaria.
BALL. Eme die cæca, hercle, olivom, id vendito oculata die.
Jam, hercle, vel ducentæ fieri possunt præsenteis minæ.
CAL. Perii! an non tum lex me perdit, quina vicenaria?
Metuunt credere omneis. BALL. Eadem 'st mihi lex, metuo credere.
PSEUD. Credere autem? eho, an pœnitet te, quanto hic fuerit usui?

64. *Ab alienis*, etc. Nescio an Gronovio obsequar: nam mibi non bene compertum est, orationem *cautiores sunt* ad aliud subjectum quam hoe, *qui suum repetunt*, pertinere, ut doctissimus vult suppleto *homines*. Dein *cautiores ab alienis*, metuo ut recte ioterpretetur. Haoc enarrationem periclitabor: postquam argentarii fefellerunt alios sibi credentes pecuniam, prudentiores facti alieno exemplo, credere ipsi nolunt alteri?

67. *Eme die cæca*, id est, solutione in diem prolata. Contra: *Oculata die emere*, est præsenti pecunia emere. Ita Cato dixit, « die vendere ». Sic JCti vocant *cæca testimonia*, quæ scripto perhibentur absentibus. Ita Virgilius in Ætna: « Atque oculis hæsura tuis ». Hoc est, quod Græci poetæ dicunt βλέποντα μαρτύρια. Plautus vero aliter extulit: « ... rem tibi auctorem dabo ». Sic infra: « Non illic duce me occultas scrutabere caussas: Occurrent oculis ipsæ ». Eodem modo, *oculatam diem* dixit Plautus. SCAL.

69. *Lex me perdit quina vicenaria?* Duplici *n* scribendum: nam *viceni* aunt οἱ εἴκοσι τὸν ἀριθμόν· *vicenes* vero εἰκοσαετεῖς. *Lex* enim *Lætoria* vetabat filium familias minorem viginti quinque annis stipulari, id est, ἐπερωτᾶσθαι, ut ait Priscianus, lib. VIII et XVIII, sive stipulanti respondere: aut spondendo obligari: ut JCti loquuntur. LIPS.—Retulit eam legem ampliorem Claudius Cæsar de omnibus filiis familias, etiam supra legitimam ætatem, ne in mortem parentum filiis familias fenori pecunias darent. Qua lege sævitiam creditorum coercitam ait Tacitus, Annal. XI, 13, ubi vide Lips. Asperius Vespasianus: « Ne filiorum familias feneratoribus exigendi crediti jus unquam esset, ne post patrum quidem mortem ». Sueton. Vespas. 11. Atque hoc est, quod JCti vocant SC. Macedoniacum, a Macedone insigni adolescentum corruptore, de quo in D. lib. XIV, tit. 6. GRON.*—*Vicenarin*; nulla litera geminabatur ætate Plautina.

71. *Credere autem?* Quasi dicat: Tunc verbum *credere* nobiscum

BALL. Non est justus quisquam amator, nisi qui perpetuat data,
Datque usque : quando nihil sit, simul amare desinat.
CALL. Nihilne te mei miseret? BAL. Inanis cedis; dicta non sonant.
Atque ego te vivom salvomque vellem. PSEUD. Eho, an jam mortuu'st ?
BALL. Ut ut est : mihi quidem profecto cum istis dictis mortuu'st.
Inlico vixit amator, ubi lenoni placet.
Semper tu ad me cum argentata adcedito querimonia :
Nam istoc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi,
Apud novercam querere. PSEUD. Eho, an unquam tu hujus nubsisti patri?
BALL. Di melius faciant. PSEUD. Fac hoc, quod te rogamus, Ballio,

usurpas, qui tanta jam a nobis accepisti? — *Pœnitet te*, etc. Nondum contentus es donis, quæ in te cumulavit? Cf. Aul. III, 2, 20. N.

72. *Justus amator*, i. q. vere amator. Justus est qui pro naturæ suæ conditione perfectus est, ut « justus exercitus, justa statura, justa muri altitudo, justus amnis ». N.

74. *Inanis cedis*, venis nihil habens. De verbo *cedere* vid. Aul. III, 5, 43. Ambiguo ludit in nomine *inanis*.

77. *Inl. vixit*. Renascitur amator, ubi leno vult; sed eum vult demum renasci, quum adfertur pecunia. Hic non idem sensus, quo Cicero dixit de conjuratis : *vixerunt*.

80. *Apud novercam querere. Querere* i. q. *quereris*. Lusus est in vocabulo *noverca*, quod per translationem accipit Ballio, seu proprie dictum servus. *Apud novercam queri* est queri apud aliquem qui non exaudiat, παροιμιωδῶς. Si mecum queri velis, quod utile tibi sit, fac venias cum argentata querimonia : nam quod nunc doles sine nummis, doles apud novercam, hoc est, eum qui tui non misereatur. Hoc captat Pseudolus : Ergo tu Callidori noverca es? et sic nupsisti hujus patri? Eam enim novercam dicimus, quæ post matrem patri nostro nupsit. GRON.—*An unquam tu hujus nubsisti patri?* Argutus, sed licentior sane jocus, qui in verbo *nubendi* consistit, quod verbum antiquitus inter ea fuit, quæ custos ille hortorum libentius, quam virgines Vestæ usurparent. Inde Festo, *Nupta verba*, obscena; et Petronio, *Nuptias facere*, τὸ συνουσιάζειν. Inde virgini Vestali crimen incesti intentatum apud declamatores, quod versum scripsisset : « Felices nuptæ : moriar, nisi nu-

Mea fide, si isti formidas credere; ego in hoc triduo
Aut terra aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.
BALL. Tibi ego credam? PSEUD. Cur non? BALL. Quia, pol, qua opera credam tibi,
Una opera adligem fugitivam canem agninis lactibus.
CAL. Siccine mihi abs te bene merenti male refertur gratia?
BALL. Quid nunc vis? CAL. Ut obperiare hos sex dies saltem modo,
Ne illam vendas, neu me perdas hominem amantem. BALL. Animo bono es:
Vel sex menseis obperibor. CAL. Euge, homo lepidissume.
BALL. Imo vin' etiam te faciam ex læto lætantem magis?
CAL. Quid jam? BALL. Quia enim non venalem habeo Phœnicium.
CAL. Non habes? BAL. Non, hercle, vero. CAL. Pseudole, arcesse hostias,
Victimas, lanios, ut ego huic sacruficem summo Jovi;
Nam hic mihi nunc est multo potior Jupiter, quam Jupiter.
BALL. Nolo victimas; agninis me extis placari volo.
CAL. Propera, quid stas? arcesse agnos: audin' quid ait Jupiter?

bere dulce est ». LIPS. Cist. I, 1, 45.

82. *Mea fide*, i. q. mea fiducia. Bacch. IV, 4, 10.

84, 85. *Qua opera... Una opera*, simul. — *Adligem fugitivam*, etc. Proverbium, quo irrita obligatio significatur; nam hujusmodi vincula cito canis fugitiva voraverit. N.

87. *Quid vis*. Abeundi formula.

93. *Lanios*. Ita vocat popas hostiarum mactatores, qui malleo ipsas impeterent, dum a victimario interim tenerentur. GUTH.

95. *Agninis me extis placari volo.* Victimam de magnis dixere. Certum veteribus illis, qui pure loquebantur, ita observatum fuisse. Quod verum esse, manifesto Plautus docet in Pseud. ex verbis lenonis: « Nolo victimas: minimis med extis placari volo ». Nam *minima exta* opposuit *victimis*. Sed lusit comice in voce *minimis*, respiciens ad minas viginti, quibus sibi litari volebat. Adolescens vero jocum non percipiens, jubet arcessi agnos: quia eæ sunt *minimæ hostiæ*, et quæ vere victimæ dici non possunt, quum ait: « Propera: quid stas? arcesse agnos »: itaque male legitur hodie *agninis extis*: quum pleræque calamo exaratæ membranæ habeant *minimis extis*: ubi sane vere Plautinus latet jocus. SCAL.

PSEUD. Jam heic ero : verum extra portam Metiam currendum 'st prius.

CAL. Quid eo? PSEUD. Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.

Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero,
Ut hodie ad litationem huic subpetat satias Jovi.
In malam crucem istic ibit Jupiter lenonius.

BALL. Ex tua re non est, ut ego emoriar. PSEUD. Quîdum? BALL. Ego dicam tibi :
Quia, edepol, dum ego vivos vivam, nunquam eris frugi bonæ.

PSEUD. Ex tua re non est, ut ego emoriar. BALL. Quîdum? PSEUD. Sic, quia
Si ego emortuus sim, Athenis te sit nemo nequior.

CAL. Dic mihi, obsecro, hercle verum serio, hoc quod te rogo.
Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?

BALL. Non, edepol, habeo profecto; nam jampridem vendidi.

CAL. Quomodo? BALL. Sine ornamentis, cum intestinis omnibus.

97. *Extra portam Metiam currendum ... lanios inde arcessam.* Intelligit carnifices, quorum extra eam partem domus, ad solennem suppliciis locum. Etiam locus certus fuit extra urbem, quem *Sestertium* dixerunt, quia semitertio ab urbe milliari : ubi cruces, patibula defixa, cadavera abjecta, aliaque, quæ ad supplicia plebis. LIPS.

98. *Cum tintinnabulis.* Palam est carnifices et tortores describi, qui solebant cædere κωδωνοφοροῦντας, ut ab aliis jam notatum. Et tamen sunt qui hoc loco etiam molas ad usum sacrificiorum comminiscantur. Lusus est servuli, qui de supplicio, quo vult mactari lenonem, loquitur quasi de sacrificio, quo is, quem Jovem sibi fecerat herus, mactetur. Itaque pro carnificibus dicit lanios, quasi victimarios, sed cum *tintinnabulis*, quibus carnifices ornabant noxios, pro hostiis, *greges virgarum ulmearum*, vel virgas in fascem colligatas. GRON.

99. *Eadem.* Bacch. I, 1, 15.

103. *Nunq. eris frug. b.* Semper tibi occasionem præbebo, qua nequitiam exerceas.

109. *Sine ornamentis cum intestinis omnibus.* Id est, nudam vendidi : et inest in his verbis faceta antithesis. Hoc ex Lambino usque repetunt. At poterant aliquid doctius. Nempe hunc sermonem trans-

CAL. Meam tu amicam vendidisti? BALL. Valde, viginti minis.
CAL. Viginti minis? BALL. Utrum vis, vel quater quinis minis,
Militi Macedonio: et jam quindecim habeo minas.
CAL. Quid ego ex te audio? BALL. Amicam tuam esse factam argenteam.
CAL. Cur id ausus facere? BALL. Lubuit, mea fuit. CAL. Eho, Pseudole,
I, gladium adfer. PSEUD. Quid opus gladio? CAL. Quî hunc obcidam, atque me.
PSEUD. Quin tu te obcidis potius? nam hunc fames jam obciderit.
CAL. Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjurissume?
Juravistin' te illam nulli venditurum, nisi mihi?

latum a venditione ædium, ubi proprium ejus domicilium est. In iis *ornamenta*, in iis *opus intestinum:* et quum vendebantur, *opus intestinum* fiebat emtoris, *ornamenta* recipiebantur. Cicero in Topicis: « Fecique quod liberales venditores solent, ut quum ædes fundumve vendiderint, rutis cæsis receptis, concedant tamen aliquid emtori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur: sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quædam voluimus non debita accedere ». Scilicet ornamenta erant in rutis cæsis. Varro de Re rust. III, cap. 1: « Quum villam haberet opere tectorio et intestino et pavimentis nobilibus spectandam ». Vitruvius, IV, 4: « Pluteis marmoreis seu ex intestino opere factis ». Sic apparet, unde quamque eleganter petiverit hunc sermonem Plautus Gron.

116. *Jam*, mox.

117. *Quantum terra tegit.* Sic omnes libri. Conjectant: « Quantum in terra degit; quantum terra regit; quantum terra tegit; quantum terra gerit ». Denique explicant, quantum est Acherunti mortuorum, vel qui unquam fuerunt. Putamus commodius explicari posse, quantum terra tuetur, tectos ac salvos habet. Ut Rud. I, 3, 26: « Nec cibo nec loco tecta quo sim scio ». Sallustius in Catil. « Neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint ». Ut videtur et in verisimilibus accepisse Scioppius. Gron.

118. *Jurastin' te illam nulli.* Tali interrogatione utuntur scriptores veteres, etiam quum responsionem aientem subjici volunt. Lamb.

BALL. Fateor. CAL. Nempe conceptis verbis. BALL. Etiam consultis quoque.

CAL. Perjuravisti, sceleste. BALL. At argentum intro condidi.

Ego scelestus nunc argentum promere possum domo :

Tu, qui pius es istoc genere gnatus, numum non habes.

CAL. Pseudole, adsiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis. PSEUD. Licet.

Nunquam ad prætorem æque cursim curram, ut emittar manu.

CAL. Ingere mala multa. PSEUD. Jam ego te disferam dictis meis,

Inpudice. BALL. Ita est. PSEUD. Sceleste. BALL. Dicis vera. PSEUD. Verbero.

BALL. Quippini? CAL. Bustirape. BALL. Certe. CAL. Furcifer. BALL. Factum optume.

CAL. Sociofraude. BALL. Sunt mea hæc ista. PSEUD. Parricida. BALL. Perge tu.

PSEUD. Sacrilege. BALL. Fateor. CAL. Perjure. BALL. Vetera vaticinamini.

CAL. Legirupa. BALL. Valide. PSEUD. Pernicies adulescentum. BALL. Acerrume.

CAL. Fur. BALL. Babæ! PSEUD. Fugitive. BALL. Bombax! CAL. Fraus populi. BALL. Planissume.

119. *Conceptis verbis. Verbis conceptis jurare*, est alio præeunte et jusjurandum verbis certa comprehensis formula dictitante jurare. TURN.—*Etiam consultis*, i. e. quæ, quid ferrent, bene noram. Ludit continuata formula.

121. *Ego scelestus*, etc. Seneca Philosoph. Epist. 115, e veteribus poetis : « Sine me vocari pessimum, ut dives vocer. An dives, omnes quærimus : nemo, an bonus. Non, Quare et Unde : Quid habeas, tantum rogant. Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit », et quæ sequuntur.

123. *Licet*. Rud. IV, 6, 8.

124. *Ad prætorem*, etc. Vide notas Mil. IV, 1, 15.

127. *Bustirape*, i. e. bustorum spoliator: qui lucri causa nefanda omnia subire non verebantur, *bustirapi* audiebant. J. GUL.

131. *Babæ. Babæ*, ut et *bombax*, hoc loco interjectiones sunt hominis cum admiratione approbantis, vel negligentis; aut etiam læte alterius dicta ferentis. LAMB.

PSEUD. Fraudulente. CAL. Inpure leno. PSEUD. Cœnum.
BALL. Cantores probos!
CAL. Verberavisti patrem atque matrem. BALL. Atque obcidi quoque,
Potius quam cibum præhiberem. Num peccavi quidpiam?
PSEUD. In pertusum ingerimus dicta dolium : operam ludimus.
BALL. Numquid alium etiam voltis dicere? CAL. Ecquid te pudet?
BALL. Ted amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem?
Sed quamquam multa, malaque in me dicta dixistis mihi,
Nisi mihi adtulerit miles quinque, quas debet, minas,
Sicut hæc est præstituta summa argento dies :
Si is non aderit, posse opinor facere opficium me meum.
CAL. Quid id est? BALL. Si tu argentum adtuleris, cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum est opficium; ego, operæ si sit, plus tecum loquar :
Sed sine argento frustra est, quod me tui misereri postulas.
Hæc mea 'st sententia, ut tu hinc porro, quid agas, consulas.

133. *Cantores probos!* Qui rem sæpius enarrant et docent alios audiunt cantores, nempe a præconum genere, qui quidquid nuntiarent, populo prædicabant quasi certo carmine. Inde *canere*, *cantare*, i. q. prædicare. Trin. II, 2, 10. N.

134. *Num pecc. quidpiam?* idne est peccatum?

135. *In pertusum*. Proverbium a fabula Danaidum. Lucretius, IV : « Et non omnia pertusum congesta quasi in vas Commoda perfluxere, atque ingrata interiere ». TAUBM. — Scite Seneca in Apocolocynth. « Placuit novam pœnam excogitari debere; instituendum illi laborem irritum sine fine et effectu. Tum Æacus jubet illum alea ludere, pertuso fritillo ». Loquitur de Claudio Cæsare. BOXH.

136. *Numquid alium*. Ita Schopp. e MSS, quasi dicat : Num præter superiora illa cognomina, quæ mihi fecistis, insuper aliud mihi facere vultis? TAUBM.

141. *Opficium me meum*. Officium lenonis est perfidia : ut Capt. *Servile opficium*, fuga. N.

143. *Operæ si sit* pretium.

CAL. Jamne abis? BALL. Negoti nunc sum plenus. PSEUD. Paulo post magis.
Illic homo meus est, nisi omneis di me atque homines deserunt;
Exossabo ego illum similiter itidem ut murænam cocus.
Sed nunc, Callidore, operam te mihi volo dare. CAL. Ecquid inperas?
PSEUD. Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur, volo.
Ad eam rem usu'st hominem astutum, doctum, scitum, et callidum,
Qui inperata ecfecta reddat, non qui vigilans dormiat.
CAL. Cedo mihi, quid es facturus? PSEUD. Tempori ego faxo scies:
Nolo bis iterare; sat sic longæ fiunt fabulæ.
CAL. Optumum atque æquissumum oras. PSEUD. Propera, adduc hominem cito.
Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
CAL. Ego scio istuc. PSEUD. Ergo utrimque tibi nunc delectum para:
Ex multis exquire illis unum, qui certus siet.
CAL. Jam hic faxo aderit. PSEUD. Potin' ut abeas? tibi moram dictis creas.

146. *Paulo post magis*, plus negotii tibi facessam.

148. *Exossabo ut murænam.* Vide notas Amph. I, 1, 163.

150. *Admœnire*, fossa et vallo cingere. Cist. II, 2, 5. LAMB.

151. *Usu'st hominem.* Hujus syntaxis exemplum haud facile alias reperias. *Usus* cum auferendi casu pro *opus* sexcenties occurrit. N.

153. *Cedo*, dic. Curc. V, 2, 42.

154. *Sic*, i. e. non iterum facta rerum enarratione. Hujusmodi lusum histrionicum vide Pœnulo, III, 1, 47 seqq.

155. *Oras.* Captiv. II, 2, 83.

SCENA QUARTA.

PSEUDOLUS.

Postquam illic hinc abiit, tu adstas solus, Pseudole:
Quid nunc acturus, postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis? ubi sunt ea?
Quoi neque parata gutta certi consili,
Neque adeo argenti: neque nunc quid faciam scio,
Neque exordiri primum, unde obcipias, habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quasi poeta tabulas quom cepit sibi,
Quærit quod nusquam'st gentium, reperit tamen,
Facit illud verisimile, quod mendacium'st;
Nunc ego poeta fiam, viginti minæ
Quæ nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.
Atque ego huic jam pridem me daturum dixeram,
At volui injicere tragulam in nostrum senem:
Verum is, nescio quo pacto, præsensit prius.
Sed conprimenda'st mihi vox atque oratio.
Herum eccum video huc, una Simonem simul,
Cum suo vicino Calliphone incedere.

3. *Dapsilis*. Solet *dapsilis* recto casu poni, nunc fit *dapsilus*.

6. *Exordiri*. *Ordiendi* verbum proprium artis Minervæ. LIPS.

7. *Detexundum*. *Detexere*, de perfecto panno aut tela: quod Theocritus eleganter dixit: καταβαίνειν ἀφ' ἱστοῦ· alii, καθαιρῶ ἱστόν. Vetus Gloss. *Detexo*, καθαιρῶ ἱστόν. Titinnius Fullonibus: « Quæ inter annos decem nequisti togam unam detexere ». Significantius tamen alii: *deponere*. P. Diaconus, lib. II, cap. 5: « talem se eidem telam ordituram, qualem ipsa dum viveret, deponere ac detexere non posset ». Dixi, significantius: nam proprie *detexere* non est aliud quam τὸν ἱστὸν ὑφαγκέναι· et ita sæpe apud Plautum et Ciceronem. Quare non omnis *detexta tela*, utique et *deposita*. CASAUB. — Conf. Amph. I, 1, 138.

14. *At*, i. q. autem. Fortasse *Et*. — *Tragulam injicere*. Vid. Epid. V, 2, 25.

17. *Una simul*. Hæc adjungenda sequentibus *Cum suo*, etc.

Ex hoc sepolcro vetere viginti minas
Ecfodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam, ut horum sermonem legam.

SCENA QUINTA.

SIMO, CALLIPHO, PSEUDOLUS.

SIM. Si de damnosis aut de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus,
Eum velle amicam liberare, et quærere
Argentum ad eam rem : hoc alii mihi renunciant,
Atque id jam pridem sensi, et subolet mihi.
PSEUD. Obcisa 'st hæc res, hæret hoc negotium.
Quo in conmeatum volui argentarium
Proficisci, ibi nunc oppido obsepta 'st via.
Præsensit; nihil est prædæ prædatoribus.
CAL. Homines qui gestant, quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omneis pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus.

19. *Ex hoc sepolcro vet. viginti*, etc. Putem respectum ad aperturam sepulcrorum, ad eruendos thesauros. Veteres enim partim luxus, partim securitatis causa, pecuniam ibi condebant. FREHER.

20. *Herili filio*. Conf. Cistell. IV, 2, 83.

21. *Legam*, sublegam, colligam.

2. *Dictator fiat nunc Athenis*. Nominat more suo magistratum romanum in palliata comœdia, intelligitque filium suum ducem principemque ac caput esse hominum amore perditorum. GRON.

9. *Quo*, adverb. pro *ad quod*. I. e. negotium, quo volui me convertere, ut inde argentum elicerem. Commeatus figura militari ut sæpe alias. Bacchid. IV, 9, 145-52, et Pers. V, 1, 1. N.

10. *Oppido*, omnino. Asin. II, 2, 21.

12. *Qui gestant*, qui satagunt serere crimina. Vid. Pœn. I, 2, 60.

14. *Gestores linguis*, etc. Ut, qua quis parte peccaret, eadem et plecteretur. Sic Seneca Epist. 123: « Pessimum genus hominum videbatur, qui verba gestarent : sunt

Nam istæc quæ tibi renunciantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forsitam ea tibi dicta sunt mendacia.
Sed si vera ea sunt, ut nunc mos est, maxume,
Quid mirum fecit, quid novom, adulescens homo
Si amat, si amicam liberat? PSEUD. Lepidum senem!
SIM. Vetus nolo faciat. CAL. At enim nequidquam nevis.
Vel tu ne faceres tale in adulescentia.
Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.
Nam tu quod damni, et quod fecisti flagiti,
Populo viritim potuit dispertirier.
Id ne tu miraris, si patrissat filius?
PSEUD. Ὦ Ζεῦ, quam pauci estis homines conmodi!
Ehem, illuc est patrem esse, ut æquom'st, filio!

quidam qui vitia gestant. Horum sermo multum nocet: nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit ». ERN.

18. *Ut nunc mos est*, quo nunc more vivitur. Ordo: Si vera sunt, hoc ad summum volo, inspice qualiter se mores nunc habeant, et dic num quid mirum fecerit. N.

21. *Vetus*. Alii aliter hoc interpretati sunt. Lambinus: « Nolo hoc ita sæpe faciat ut sit ei vetus ». Petitus: « Nolo et senex faciat, si adulescens assueverit ». Schmiederus: « Sinon non novum est, si vetus est quod fecit, tamen nolo faciat » Potissima mihi hæc videatur interpretatio, nisi malim: « Tu non miraris quod hæc fecerit adolescens homo; at ego vetus nolo eum sic facere ». Sic taxat poeta senilem morositatem. N.

22. *Vel tu ne faceres*. Ipse tu, quum adolescens fuisti, non debuisses hæc agere. Vide Pers. IV, 6, 28.

25. *Damni*. Damnosi audiebant qui multos faciebant sumtus. Curc. IV, 1, 11; meretrix vocatur damnum, Menæchm. I, 2, 24. — *Flagiti;* hoc pertinet ad famam. Vide Trin. II, 1. N.

26. *Populo viritim potuit dispertirier*. Certum est alludi ad viscerationes, in quibus singulis, qui aderant, certa pars cibi dabatur. Et hoc vult: Tam magna sunt flagitia tua, ut cuilibet e populo, tanquam in publica visceratione, pars aliqua inde dari possit. Ad magnitudinem igitur pertinet, non, quod quilibet e populo suam partem ibi inventurus sit. PISTOR.

27. *Patrissat*. Vide notas Bacch. III, 3, 39. Herodian. lib. I dicit πατρώζειν.

28. *Conmodi*. Gallice, *raisonnables*.

SIM. Quis heic loquitur? meus hic est quidem servos Pseudolus.
Hic mihi conrumpit filium, scelerum caput.
Hic dux, hic ille est pædagogus: hunc ego
Cupio excruciari. CAL. Jam istæc insipientia'st,
Sic iram in promtu gerere: quanto satius est,
Adire blandis verbis, atque exquirere,
Sint illa, necne sint, quæ tibi renunciant!
Bonus animus in mala re dimidium'st mali.
SIM. Tibi auscultabo. PSEUD. Itur ad te, Pseudole:
Orationem tibi para advorsum senem.
Herum saluto primum, ut æquom'st; postea
Si quid supersit, vicinos inpertio.
SIM. Salve: quid agitur? PSEUD. Statur heic ad hunc modum.
SIM. Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum!
CAL. Bene confidenterque adstitisse intellego.
PSEUD. Decet innocentem, qui sit, atque innoxius,
Servom superbum esse apud herum potissumum.
CAL. Sunt quæ te volumus percontari, quæ quasi
Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.
SIM. Conficiet jam te hic verbis, ut tu censeas
Non Pseudolum, sed Socratem tecum loqui.

32. *Hic ille est pædagogus*. Antiquo illo ævo *pædagogi* distincti a *præceptoribus*. Nam isti nihil nisi asseclæ erant, et ut puerorum progressus, actiones, mores observarent aut formarent. At *præceptores* docebant, et artes scientiasque infundebant. Seneca, II, 22, de Ira: « Præceptores pædagogique pueris placidi dentur ». LIPSIUS.—Hoc loco abusive usurpatur vox *pædagogus*.

37. *Bonus*, sedatus, tranquillus. — *Dimidium 'st mali*, malum dimidiatum, dimidio minus.

41. *Si quid supersit* salutis.

42. *Quid agitur?* Pers. I, 1, 17. —*Stat. ad h. mod.* Illud sane gestu histrionis explicabatur, confidentiam testantis. N.

43. *Statum*. Vide Amph. I, 1, 110. — *Basilicum*. Epid. I, 1, 54.

49. *Conficiet te ut*, etc. Hellenismus. Asinar. I, 1, 13. Non iis accedo qui enarrant « te vincet verbis ». N.

PSEUD. Ita 'st : jampridem tu me spernis, sentio;
Parvam esse apud te mihi fidem ipse intellego :
Cupis me esse nequam, tamen ero frugi bonæ.
SIM. Fac, sis, vacivas, Pseudole, ædeis aurium,
Mea ut migrare dicta possint quo volo.
PSEUD. Age, loquere quid vis, tametsi tibi subcenseo.
SIM. Mihin' domino servos tu subcenses? PSEUD. Jam tibi
Mirum id videtur? SIM. Hercle, qui, ut tu prædicas,
Cavendum 'st mi abs te irato : atque alio tu modo
Me verberare, atque ego te soleo, cogitas.
CAL. Quid censes? edepol, merito esse iratum arbitror,
Quom apud te parum stet fides. SIM. Jam sic sino,
Iratus sit : ego ne quid noceat, cavero.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? PSEUD. Si quid vis,
roga :
Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito.
SIM. Advorte ergo animum, et fac sis promissi memor.
Quid ais? ecquam scis filium tibicinam
Meum amare? PSEUD. Ναὶ γάρ. SIM. Liberare quam velit?
SPEUD. Καὶ τοῦτο ναὶ γάρ. SIM. Ecquas viginti minas
Per sycophantiam atque per doctos dolos

54. *Fac, sis, vacivas.* Vide Casin. Prolog. vs. 29.

58 sq. *Qui Cavendum 'st mi. Qui.* Justa syntaxis poscebat *debeam cavere*, sed interrupta oratione, Simo in aliam orationem deflexit. Cujus anacoluthi exempla non pauca quidem reperias. Aulul. II, 4, 69; Captiv. IV, 2, 27-36; Epid. II, 1, 1. N.

64. *Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7.

65. *Delphis tibi responsum dicito.* Id est, pro certa et inevitabili veritate habeto, non secus ac si Apollinis ore prolatum esset. Eamdem sententiam sic effert Lucret. lib. V : « De re fundere fata Sanctius et multo certa ratione magis quam Pythia quæ Tripode ex Phœbi lauruque profatur ». Cic. ad Brut. « Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta, nihil potest esse verius ». GRON.* — Terent. Andr. IV, 2, 15 : « non Apollini magis verum, atque hoc, responsum est ».

68, 69. Ναὶ γάρ. Vulgo, « negare meum 'st ». Dein, « Καὶ τοῦτο καὶ τοῦτο nego », turbato sensu et metro. Recte doctissimi viri græca latine conturbata fuisse a sciolis quibusdam librariis senserunt. N.

69. *Ecquas.* Bacch. II, 3, 1.

Paritas, ut abferas a me? PSEUD. Abs te ego abferam?
SIM. Ita: quas meo gnato des, quî amicam liberet.
PSEUD. Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναὶ, καὶ τοῦτο ναί.
CAL. Fatetur. SIM. Dixin', Callipho, dudum tibi?
CAL. Memini. SIM. Cur hæc, ubi tu rescivisti inlico,
Cælata me sunt? cur non rescivi? PSEUD. Eloquar.
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum ut servos suom criminaret apud herum.
SIM. Juberes hunc præcipitem in pistrinum trahi.
CAL. Numquid peccatum 'st, Simo? SIM. Imo maxume.
PSEUD. Desiste; recte ego rem meam sapio, Callipho.
Peccata mea sunt. (Ad Simonem.) Animum advorte nunc jam.
Quapropter te expertem amoris gnati habuerim,
Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.
SIM. Non a me scibas pistrinum in mundo tibi,
Quom ea mussitabas? PSEUD. Scibam. SIM. Cur non dictum 'st mihi?
PSEUD. Quia illud malum aderat, istuc aberat longius.
Illud erat præsens, huic erant dieculæ.
SIM. Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non potest
Argentum abferri, qui præsertim senserim.
Ne quisquam credat numum, jam edicam omnibus.

71. *Paritas*, id est, paras.

78. *Herum*. Herilem filium apud herum majorem, patrem.

82. *Peccata mea sunt*. Si peccavi, peccavi ego; ego me defendam, desiste pro me loqui. Non egeo precatore. Epid. V, 2, 21. N.

84. *In mundo*. Asin. II, 1, 16.

86. *Mussitabas*, reticebas.

87. *Illud malum* criminandi filii. — *Istuc*, a te, vapulandi.

88. *Dieculæ*, moræ tantisper. Sic a *spe*, *specula*, Casin. II, 4, 27.

89. *Nam hinc quidem a me*. Casaubonus ait laborare metri modulum: eoque tollendam glossam legendumque: « Nam hinc quidem jam non potest »: ad illud *Hinc* fuisse adscriptum *a me:* quod tolli necesse esse, si metrum salvum velimus. Sic ille in epistolis. Quod equidem vehementer miror. Quid enim perfectius versu, ut est in vulgata. Cur autem non diceret: *hinc a me:* ut in Rud. IV, 4: « dum hic hinc a me sentiat ». Casin. II, 8: « Vocabit huc eam ad se in nuptias ». Epidic. I, 2: « Eamus intro huc ad te ». Et similia passim. GRON.

PSEUD. Nunquam, edepol, quoiquam subplicabo, dum quidem
Tu vives; tu mihi, hercle, argentum dabis:
Abs te equidem sumam. SIM. Tu a me sumes? PSEUD. Strenue.
SIM. Excludito mihi, hercle, oculum, si dedero. PSEUD. Dabis.
Jam dico, ut a me caveas. CAL. Certe, edepol, scio:
Si abstuleris, mirum et magnum facinus feceris.
PSEUD. Faciam. SIM. Si non abstuleris? PSEUD. Virgis cædito.
Sed quid, si abstulero? SIM. Do Jovem testem tibi,
Te ætatem inpune habiturum. PSEUD. Facito ut memineris.
SIM. Egon' ut cavere nequeam, quoi prædicitur?
PSEUD. Prædico, ut caveas; dico, inquam, ut caveas; cave.
Hem, istis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
CAL. Edepol, mortalem graphicum, si servat fidem!
PSEUD. (ad Calliphonem.) Servitum tibi me abducito, ni fecero.
SIM. Bene atque amice dicis: nam nunc jam meu'st.
PSEUD. Vin' etiam dicam, quod vos magis miremini?
CAL. Studeo, hercle, audire; nam ted ausculto lubens.
SIM. Agedum, nam satis lubenter te ausculto loqui.
PSEUD. Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram et conmemorabilem.

96. *Scio.* Captiv. III, 4, 55.

100. *Ætatem.* Adverbialiter. Asin. II, 2, 10. — *Habiturum*, futurum; *se habere* sæpe pro *esse.*

101. *Egon' ut*, etc. Asinar. V, 2, 34.

104. *Graphicum.* Cf. Epid. III, 3, 29.

106. *Amice dicis*, liberaliter promittis. — *Nam nunc j. m.* Gruterus mutat: « nam nunc haud meus est », fateor comice magis quam vulgata, quam tamen MSS tuentur. N.

110-112. *Priusquam istam pugnam pugnalo*, priusquam abs te argentum auferam. Lucilius: « Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' pugnam ». GRON.—*Pugnam pugnabo.* Bacch. III, 3, 39.

SIM. Quam pugnam? PSEUD. Hem, ab hoc lenone vicino tuo
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Tibicinam illam, tuos quam gnatus deperit,
Ea circumducam lepide lenonem. SIM. Quid est?
PSEUD. Eefectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperum.
SIM. Siquidem istæc opera, ut prædicas, perfeceris,
Virtute regi Agathocli antecesseris.
Sed si non faxis, numquid causa est, inlico
Quin te in pistrinum condam? PS. Non uuum quidem
Diem modo, verum, hercle, in omneis, quantum 'st: sed si eefecero,
Dabin' mi argentum quod dem lenoni inlico
Tua voluntate? CAL. Jus bonum orat Pseudolus:
Dabo, inque. SIM. At enim scin' quid mihi in mentem venit?
Quid si hice inter se consenserunt, Callipho,
Aut de conpacto faciunt consutis dolis,
Quî me argento circumvortant? PSEUD. Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam facere? Imo sic, Simo,
Si sumus conpacti, sive consilium unquam inivimus
De istac re, aut si de ea re unquam inter nos convenimus;
Quasi in libro quom scribuntur calamo literæ,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.
SIM. Indice ludos nunc jam, quando lubet.

115. *Circumducam*. Bacch. II, 3, 77. — *Quid est?* Exclamatio mirantis. I. q. « quæ res? » Pœnul. V, 4, 29; Pers. III, 1, 32.

118. *Agathocli*. Mostell. III, 2, 88.

126. *Consutis dolis*. Sic Græci dicunt, συῤῥάπτειν δόλους· inde *sutelas*, pro fraudibus. Vide insuper notas Amph. I, 1, 211. GRON.

129. *Conpacti*. Capt. III, 1, 24.

132. *Stilis ulmeis conscribito*. Recte *stilis* pro virgis dicit, ut perpetuetur metaphora. Virg. Æn. I: « ... versa pulvis inscribitur hasta ». Sidonius, lib. I: « mundus incanduit, glacies Alpina deletur, et hiulcis arentium rimarum flexibus terra perscribitur. MEURS. — Aliquid simile Epid. V, 1, 20.

133. *Indice ludos*. Inf. vs. 139. Sæpe hujusmodi similitudine lasci-

PSEUD. Da in hunc diem operam, Callipho, quæso mihi,
Ne quo te ad aliud obcupes negotium.
CAL. Quin rus uti irem, jam heri constitueram.
PSEUD. At nunc disturba quas statuisti machinas.
CAL. Nunc non abire certum 'st istac gratia.
Lubido 'st ludos tuos spectare, Pseudole:
Et si hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit, potius quam id non fiat, ego dabo.
SIM. Non demutabo. PSEUD. Namque, edepol, si non dabis,
Clamore magno et multum flagitabere.
Agite, amolimini hinc vos intro nunc jam,
Ac meis vicissim date locum fallaciis.
SIM. Fiat, geratur mos tibi. PSEUD. Sed te volo
Domi usque adesse. SIM. Quin tibi hanc operam dico.
CAL. At ego ad forum ibo; jam heic adero. SIM. Actutum redi. (Senes abeunt.)
PSEUD. Subspicio 'st mi nunc vos subspicarier,
Me idcirco hæc tanta facinora promittere,
Quî vos oblectem, hanc fabulam dum transigam,
Neque sim facturus, quod facturum dixeram.
Non demutabo; atque etiam certum, quod sciam;
Quo sim facturus pacto, nihil etiam scio,
Nisi quia futurum 'st : nam qui in scenam provenit
Novo modo, novom aliquid inventum adferre addecet.
Si id facere nequeat, det locum illi qui queat.
Concedere aliquantisper hinc mi intro lubet,

vit. Casin. IV, 1, 3; Mil. IV, 2, 1.

134. *Da operam*. Vide et observa quid agam. Curc. II, 2, 9.

138. *Istac gratia*, tua causa.

143. *Clamore magno et multum flagitabere*. Scriver. *multo*. — *Flagitabere*. Epid. III, 4, 83.

147. *Hanc*, meam. Conf. Aulul. II, 2, 60, 89. — *Hanc operam dico*, id est, faciam quod jubes.

149. *Vos*, spectatores.

151. *Oblectem*, deludam. Asin. II, 2, 103. — *Transigam*. Amph. III, 1, 8.

153. *Certum, quod sciam*. Si quid certo scio, hoc scio, me non scire quomodo sim facturus. Sed futurum esse hoc scio. N.

Dum concenturio in corde sycophantias.
Tibicen vos interea hic delectaverit.

159. *Concenturio*, id est, in album refero. Cic. ad Att.: « Brutus centuriat Capuæ ». Vid. Trin. IV, 2, 160. Gronov. —Vid. Mil. III, 2, 3. Alius aliter eadem dixit Epid. I, 2, 55.

160. *Tibicen*. Ad tibiam et monodia canebant et diverbia etiam pronuntiabant. Tibicen igitur in proscenio stabat, qui officium idem faciebat atque nunc symphoniaci, quos *orchestram* vocamus. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS.

Pro Jupiter, ut mihi, quidquid ago, lepide omnia prospereque eveniunt!
Neque quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum 'st consilium.
Nam ea stultitia 'st, facinus magnum timido cordi credere : nam omneis
Res perinde sunt, ut agas, ut eas magnifacias : nam ego in meo
Pectore prius ita paravi copias dupliceis, tripliceis dolos,
Perfidias, ut, ubicumque cum hostibus congrediar, malorum meorum
Fretus virtute dicam, mea industria et malitia, fraudulentia,

3. *Num ea*, etc. Tò *Nam*, data opera toties iterat, ad exprimendam servi non nimis accurate loquentis negligentiam. Lamb.

4. *Ut agas.* Quales procedant res, in te est; magnæ, si magnifacias; angustæ, si pusille.

5 et seqq. *Paravi copias*, etc. Metaphora militari sæpe verberones isti jaculariter abutuntur. Cf. Asin. III, 2, 1, et Bacchid. IV, 9, 145. N.

6. *Malorum meorum.* Ridicule, imo præter auditorum exspectationem : quum in eo potius esse videretur, ut diceret : *majorum meorum.* Nec minor in illius dicti insolentia festivitas : « Ego sum genere gnatus, magna me facinora decet efficere » ; non sine amphiboliæ gratia, quæ ambiguo illo τῷ *facinora* vocabulo occultatur. Q. Curtius, lib. IX, ex persona Alexandri : « Ea stirpe sum genitus, ut multam prius, quam longam vitam debeam optare ». Douza.

Facile ut vincam, facile ut spoliem meos perduelleis meis perfidiis.
Nunc inimicum ego hunc conmunem, meum atque vostrum omnium,
Ballionem, exballistabo lepide. Date operam modo : hoc ego oppidum
Admœnire, ut hoc die capiatur, volo : atque ad hoc meas legiones
Adducam : si hôc expugno, facilem ego hanc rem meis civibus faciam.
Post ad oppidum hoc vetus continuo mecum exercitum protinus obducam.
Inde me et simul participes omneis meos præda onerabo, atque obplebo :
Metum et fugam perduellibus meis injiciam, me esse ut sciant gnatum,
Quo sum genere gnatus : magna me facinora decet efficere,
Quæ post mihi clara, et diu clueant : sed hunc quem video, quis hic est,
Qui oculis meis obviam ingnorabilis objicitur? lubet scire
Quid hic velit, cum machæra ; et huic, quam rem agat, hinc dabo insidias.

10. *Ballionem exballistabo*. Similis huic plane metaphora est Bacchid. IV, 4.

11. *Admœnire*. Vid. Cistell. II, 2, 5.

12. *Facilem*, in expedito, in bono statu. Cicero Epist. VI, 5 : « res et fortunæ tuæ quotidie faciliores mihi et meliores videntur ».

14. *Participes*, socios.

17. *Quæ post mihi clara et diu clueant*. Scriver. *claritudine clueant*. — *Clueant*. Amph. II, 2, 16.

19. *Dabo insid.* auscultabo, quid agat. Vid. Casin. II, 7, 13, et Mil. II, 3, 32.

SCENA SECUNDA.

HARPAX, PSEUDOLUS.

HARP. Hi loci sunt, atque hæ regiones, quæ mihi ab hero sunt demonstratæ,
Ut ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus meus miles,
Septimas esse ædeis a porta, ubi ille habitat leno, quoi jussit
Symbolum me ferre, et hoc argentum: nimis velim, certum qui
Mihi faciat, Ballio leno ubi heic habitat. PSEUD. St: tace, tace,
Meus hic est homo, ni omneis di atque homines deserunt: novo consilio
Nunc mihi opus est; nova res subito mihi hæc objecta'st:
Hoc prævortar principio: illa omnia missa habeo quæ ante agere obcœpi.
Jam, pol, ego hunc stratioticum nuncium advenientem probe percutiam.
HARP. Ostium pultabo, atque intus evocabo aliquem foras.
PSEUD. Quisquis es, conpendium ego te facere pultandi volo;
Nam ego precator et patronus foribus processi foras.
HARP. Tune es Ballio? PSEUD. Imo vero ego ejus sum Subballio.

4. *Certum qui Mihi faciat.* Vid. Menæchm. II, 1, 17.

11. *Conp. ego te facere.* Bacchid. II, 2, 6.

12. *Precator.* Sic audiebat ingenuus homo, quem servus malefacti reus allegabat, ut veniam peteret ab hero. Cf. Epid. V, 2, 21. Nunc foribus parcere hospitem Pseudolus jubet, quas conservas habet, utpote hujus domus familiaris. Asin. II, 3, 6. N.

13. *Subballio.* Ita Cicero *Submarium* dixit, qui est alter Marius crudelitate et imperii cupidine, ad Att. I, 10. Ita *Subneronem* vocat

HARP. Quid istuc verbi est? PSEUD. Condus promus sum, procurator peni.

HARP. Quasi te dicas atriensem. PSEUD. Imo atriensi ego inpero.

HARP. Quid tu, servosne es, an liber? PSEUD. Nunc quidem etiam servio.

HARP. Ita videre, et non videre dignus qui liber sies.

PSEUD. Non soles respicere te, quom dicas injuste alteri?

HARP. Hunc hominem malum esse oportet. PSEUD. Di me servant atque amant.

Nam hæc mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos.

HARP. Quid illic secum solus loquitur? PSEUD. Quid ais tu, adulescens? HARP. Quid est?

PSEUD. Esne tu, an non es, ab illo milite Macedonio,
Servos ejus qui hinc a nobis est mercatus mulierem,
Qui argenti hero meo lenoni quindecim dederat minas,
Quinque debet? HARP. Sum: sed ubi tu me gnovisti gentium,
Aut vidisti, aut conlocutus? nam equidem Athenas antidhac

Domitianum Tertull. de Pallio, quia *hunc*, ut ait Ausonius, *calvum dixit sua Roma Neronem*: quem alibi idem Tertull. el *portionem Neronis* vocat. Sic *subpromus* Mil. III, 2, 12, id est, minor promus. Sic *sublingio*, quasi minor liguritor, inf. III, 2, 103. GAON.* — Percutiam idem sensus, qui *tangere*. Vid. Epid. V, 2, 39.

14. *Procurator peni*. Glossæ: *Atriensis*, διαιτάριος, διαιτάρχης. *Diæta* aliis est *cœnatio*; aliis *habitatio in hortis*. Sidonius: « Ex triclinio in diætam sive cœnatiunculum fit transitus ». Glossar. δίαιτα, τὸ ὑπερῷον, *Cœnaculum*. Servius Æn. I, asserit veteres in atrio solitos epulari. At *atrienses*, principes servi tricliniares. Vide Asinar. II, 1, 16.

18. *Non soles respicere te*. Sic Trucul. I, 2: « Qui alterum incusat probri, eum se intueri oportet ».

19. *Malum*, vafrum. Vide Mil. III, 3, 9.

20. *Nam hæc mihi incus est*. MSS, *hæc*, quod sine mora recipiendum. Sic enim malebant interdum loqui. Vide ad Senecæ Consol. ad Marciam, cap. 19. Et hinc firmatur, quod in Amph. II, 2, 82: « Siquidem hæc jam mulier facta est ex viro ». GAON.

21. *Quid ais tu*. Aulul. IV, 9, 7. — *Adulescens*. Curc. III, 1, 29.

Nunquam adveni, neque te vidi ante hunc diem unquam oculis meis.

PSEUD. Quia videre inde esse : nam olim quom abiit, argento hæc dies

Præstituta'st, quoad referret nobis; neque dum retulit.

HARP. Imo adest. PSEUD. Tun' adtulisti? HARP. Egomet. PSEUD. Quid dubitas dare?

HARP. Tibi ego dem? PSEUD. Mihi, hercle, vero, qui res rationesque heri

Ballionis curo, argentum adcepto, expenso, et quoi debet dato.

HARP. Siquidem, hercle, etiam supremi promtes thesauros Jovis,

Tibi libellam argenti nunquam credam. PSEUD. Dum tu strenuas,

Res erit soluta. HARP. Vinctam potius sic servavero.

PSEUD. Væ tibi! tu inventus vero, meam qui forcilles fidem!

28. *Inde*, a milite.

30. *Quid dubitas*, dubitasne? dare ne dubita. Ab hoc versu, usque ad vers. 52, idem agitur comicus lusus, qui Asin. II, 4. N.

32. *Dato*, i. q. do.

34. *Dum tu strenuas*. Pro *strenuas*, quod nihili est, legendum *sternuas*. Sed aliter distinguendus locus, et mutandæ personæ hoc modo : « Tibi libellam argenti nunquam credam. PS. I, dum tu sternuas ». Id est, rem tibi solvam æque cito quam tu sternuas. Dum tu sternuis, res erit tibi soluta. Nam et legi potest, quod et melius puto, *dum tu sternuis*. SALMAS. — Lege : « nunquam creduam. PS. Si tu creduas, Res erit soluta ». SCRIV. — Veniebat aliquando in mentem : « da dum strenue: Res erit soluta ». GRON. — Sunt qui *strenuas* deducant a *strenuare*, quod verbum nusquam alias comparet. An per ellipsin possis interpretari : dum tu strenuas (minas quinque des), i. e. strenue, promte, res erit soluta, ut Asin. l. c. N. .

35. *Vinctam potius*. Ad ambagem orationis *res soluta erit* alludit, quæ significare possit *payée* et *déliée*. N.

36. *Meam qui forcilles fidem!* Pæne assentior illis qui legunt *suggilles*. Scriptum quippe videtur fuisse *soccilles* pro suggilles. Unde postea corruptum *forcilles*. Ex cujus vocis vestigiis commode etiam conjiciatur, *meam qui forioles fidem*, id est, inquines, contamines. *Foriare* et *foriolare* idem, et *lutare* et *lutulare*, a quo et *collutularit*. Mentio forioli apud Nonium : a quo ver-

Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier?

HARP. Potest ut alii ita arbitrentur, et ego ut ne credam tibi.

PSEUD. Quasi tu dicas me te velle argento circumducere.

HARP. Imo vero quasi tu dicas, quasique ego autem id suspicer.

Sed quid est tibi nomen? PSEUD. Servos est huic lenoni Syrus,

Eum esse me dicam. Syrus sum. HARP. Syrus? PSEUD. Id est nomen mihi.

HARP. Verba multa facimus: herus si tuos domi 'st, quin provocas,

Ut id agam quod missus huc sum, quidquid est nomen tibi?

PSEUD. Si intus esset, evocarem: verum si dare vis mihi,

Magis erit solutum, quam [si] ipsi dederis. HARP. At enim scin' quid est?

Reddere hoc, non perdere, herus me misit: nunc certo scio

Hoc, febrim tibi esse, quia non licet hoc injicere ungulas.

Ego, nisi ipsi Ballioni, numum credam nemini.

PSEUD. At illic nunc negotiosu'st: res agitur apud judicem.

HARP. Di bene vortant: at ego quando eum esse censebo domi,

Rediero: tu epistolam hanc a me adcipe, atque illi dato.

Nam isteic symbolum 'st inter herum meum et tuum de muliere.

bum *foriolare*. SALM. — Editor Bipontinus *furcilles*, quod explicant *quasi expellas furca*, i. e. recuses. N.

37. *Sexc. tanta*. Bacch. IV, 9, 111.

38. *Potest*, pote est, *il est possible*.

39. *Circumducere*. Bacch. II, 3, 77.

41. *Quid est tibi nomen?* Ita enim loquutus Mostell. III, 1, 127; Menæchm. V, 6, 60, et V, 9, 71; Amph. I, 1, 240. GRON.

42. *Id est nomen mihi.* Abundat *mihi* (Bacch. IV, 9, 27), namque non credam supplendum esse *prædictum*, *c'est bien là le nom*. N.

46. *At enim scin' quid est?* Fere i. q. scin' quomodo? Cf. Amph. I, 1, 200, et Aulul. I, 1, 8.

48. *Hoc febrim tibi esse*, hæc tibi febris instar esse. — *Hoc*, huc. Curcul. II, 2, 20.

53. *Isteic*, in ista quam nunc tenes. Voci *iste* semper inest secundæ personæ notio. — *Symbolum*. Cf. Bacch. II, 3, 29.

PSEUD. Scio equidem, ut qui argentum adferret atque expressam imaginem
Suam huc ad nos, cum eo aibat velle mitti mulierem.
Nam heic quoque exemplum reliquit ejus. HARP. Omnem rem tenes.
PSEUD. Quid ego ni teneam? HARP. Dato ergo istum symbolum illi. PSEUD. Licet.
Sed quid est tibi nomen? HARP. Harpax. PSEUD. Apage te, Harpax, haud places.
Huc quidem, hercle, haud ibis intro, ne quid Harpax feceris.
HARP. Hosteis vivos rapere soleo ex acie : ex hoc nomen mihi 'st.
PSEUD. Pol, te multo magis, opinor, vasa ahena ex ædibus.
HARP. Non ita 'st : sed scin' quid te orem, Syre? PSEUD. Sciam si dixeris.
HARP. Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam,
Apud anum illam doliarem, cludam, crassam, Chrysidem.

55. *Cum eo aibat.* Ἀνακόλουθον, nam particula *ut*, quæ supra posita est, non habet cum quo cohæreat. LAMB.

57. *Quid ego ni teneam?* Affirmandi formula, ita quidem scio. Mil. gl. IV, 3, 27. — *Licet.* Bacch. I, 1, 1. N.

59. *Ne quid Harpax feceris.* Aul. II, 2, 24. — Lege *Harpagaveris*, vel *harpagefeceris*. SCRIV.

64. *Doliarem.* Nonnulli, *diobolarem*. Verba Donati ad Andr. IV, 4 : « Proprium est anibus suffarcinatas esse : ut Persius, *pannucea Baucis*; et Plautus, *doliarem, claudam, crassam* ». Et is habuit omnino meliores Plauti codices quam nunc nobis sunt. Facit illud Augusti ad Horatium : « Vereri mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, ventris abunde est. Itaque licebit in sextariolo scribas, quo circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui ». Sic Nicetas in Alexio Comneno, lib. III : Ἐκ τοῦ τῶν Κομνηνῶν τις γένους τῷ βασιλεῖ ἐπανίσταται, Ἰωάννης τοὔνομα· προκοίλιος δ' ὢν καὶ πιθώδης τὴν πλάσιν τοῦ σώματος, τὸν παχὺν εἰς ἐπωνύμου εἶλκε. At ratio obstat, inquit Gruterus. Quid enim ineptius, ait, quam post *doliarem* appellare *crassam*? Quasi vero *doliaris* prorsus sit idem quod *crassus* : aut insolens sit Plauto in epithetis congestis verba propinquæ

PSEUD. Quid nunc vis? HARP. Inde ut me arcessas, herus tuos ubi venerit.

PSEUD. Tuo arbitratu, maxume. HARP. Nam ut lassus veni de via,
Me volo curare. PSEUD. Sane sapis, et consilium placet:
Sed vide, sis, ne in quæstione sis, quando arcessam, mihi.

HARP. Quin ubi prandero, dabo operam somno. PSEUD. Sane censeo.

HARP. Nunc quid vis? PSEUD. Dormitum ut abeas. HARP. Abeo. PSEUD. Atque audin', Harpage:
Jube, sis, te operiri; beatus eris, si consudaveris.

SCENA TERTIA.

PSEUDOLUS.

Di inmortaleis! conservavit me illic homo adventu suo;
Suo viatico reduxit me usque ex errore in viam.
Nam ipsa mihi Obportunitas non potuit obportunius
Advenire, quam hæcc' adlata'st mihi obportune epistola:

aut etiam ejusdem omnino significationis ponere. Quid autem ineptius quam explicare anum *diobolarem*, quæ duobus obolis sui copiam faciat? Unde enim qui vel duobus obolis anus copiam peteret? Nam scorta illa diobolaria, quorum alibi meminit, utcumque sordida, habebant ætatem bonam. Deinde non significat Harpax se pergere in lupanar, sed in tabernam diversoriam; et se facit frugi. GRONOV.

66. *Maxume*. Concedendi formula. Vide Asin. V, 2, 54, et Menæchm. II, 3, 76.

68. *Ne in quæstione sis*, etc. Sic Casin. III, 1; Cistell. II, 3.

70. *Nunc quid vis?* Amphitr. I, 3, 44.

2. *Suo viatico*. Præbens ipse viaticum. Eodem modu dicitur « tuo jumento illud veham, tuo victu huc agam ». N.

3, 4. *Obportunitas... obportunius... obportune*. Vid. Capt. II, 2, 108.

4. *Hæcc' adlata est*. Vett. edd. MSS Pal. cum Acad. *hæc cavata est*. Conjecturæ doctorum probabilitate certant. Scalig. *cavita*. Douza *captata*. Posses et *curata*. Sed *adlata* LipsiiScioppio (etsi prius cogitasset *hæcce data*) Meursio, Grutero probatum. Sequenti quidem versu sine

Nam hæc adlata cornucopiæ 'st, ubi inest quidquid volo.
Heic doli, heic fallaciæ omneis sunt: heic sunt sycophantiæ,
Heic argentum, heic amica amanti herili filio.
Atque ego nunc me ut gloriosum faciam, ut copi pectore!
Quo modo quidque agerem, ut lenoni subriperem mu-
lierculam,
Jam instituta, ornata, cuncta in ordine animo ut vo-
lueram,
Certa, deformata habebam : sed profecto hoc sic erit.
Centum doctum hominum consilia sola hæc devincit dea
Fortuna : atque hoc verum'st : proinde ut quisque for-
tuna utitur,
Ita præcellet; atque exinde sapere eum omneis dicimus.
Bene ubi quod consilium discimus adcidisse, hominem
catum

dubio MSS, *hæc adlata;* ut Camerarius, Sambuccus, Douza ediderunt, Groterus edi voluit. Quod fecit idem *cornucopia est*, vix toleres : nam *cornucopiæ* dicimus, nou *cornucopiam;* nisi, divisa voce, ut *divesque meo bona copia cornu est*, et *cornu quæ retinet divite copiam.* Sed credibile est MSS io quibus, *cornu copia est*, significare, *cornucopiæ 'st.* Membr. Acad. « Nam hæc alata copia 'st cornu ». Vix putem sectionem vocis ab librario esse : adeo soavis est. Gellius, XIV, 6 : « taoqùam si copiæ coroum nactus essem ». Et fere allubescit : « Nam hac allatum copiæ 'st cornu, ubi ioest, quidqoid volo ». Versus est integer trochaicus : sed ultima vocalis τοῦ *cornu* noo eliditur. Quod qui oon intelligerent, videntur voces trausposuisse. Hunc sensum quærebat Lambinus audacius recedendo a veteri scriptura : « Nam hoc illud cornucopiæ est ». Mox idem cod. Acad. « Hic argentom, hic amaoti amica herili filio ». Quod etiam suavius videtur. Ubi pariter, quum hiatum noo ferrent, nec ultimam io *argentum* non elidi, contra scriptos et vett. editiones, ioterposuerunt *est*. Gron.

11. *Deformata.* Seneca lib. VII, cap. 2, de Benef. « virum, quem deformamus » : ubi *deformare* est ὑποτυπῶσαι, *describere :* quo verbo et Cicero eodem sensu utitur. Lipsius.

12. *Centum*, etc. Prol. 44 seqq.

13. *Atque hoc verum 'st.* Plenissima hujus sententiæ explicatio a Plinio petenda lib. V, Epist. 21 : » Est omnino iniquum, inquit, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout male aut prospere cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modo diligentiæ, modo vanitatis, modo furoris nomen accipiunt ».

Eum esse declaramus: stultum autem illum, quoi vortit male.
Stulti haud scimus, frustra ut simus, quom quod cupienter dari
Petimus nobis, quasi quid in rem sit, possimus gnoscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus, atque hoc evenit,
In labore atque in dolore ut mors obrepat interim.
Sed jam satis est philosophatum; nimis diu et longum loquor.
Di inmortaleis, aurichalco contra non carum fuit
Meum mendacium! heic modo quod subito conmentus fui,
Quia lenonis me esse dixi, nunc ego hac epistola
Tres deludam; herum et lenonem, et qui hanc mihi dedit epistolam.
Euge par pari! aliud autem quod cupiebam contigit.
Venit, eccum, Callidorus, ducit nescio quem secum simul.

SCENA QUARTA.

CALLIDORUS, CHARINUS, PSEUDOLUS.

CAL. Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia.
Scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam.
CHAR. Conmemini omnia : id tu modó quid me vis facere, fac sciam.
CAL. Quom hæc tibi alia sum elocutus, ut scires de symbolo.

17. *Stulti haud scimus*, etc. Plane idem dicit, quod tota Sat. X persequitur Juvenalis, et paucis sub initium perstringit : « ... quid enim ratione timemus? Aut quid tam dextro pede concipis, ut te Conatus non pœniteat, votique peracti? Evertere domos totas optantibus ipsis Dii faciles, etc. » Boxh.—*Frustra ut simus*, quantum fallamur.

19. *Amittimus*. Vid. Bacch. IV, 9, 40.

20. *Labore*, angustiis, ægritudine, ut scen. seq. vs. 2.

25. *Herum*, senem.

4. *Quom hæc tibi*, etc. Hæc referenda sunt ad præcedentem Ca-

CHAR. Omnia, inquam. Tu modo quid me facere vis, fac ut sciam.
CAL. Pseudolus mihi ita inperavit, ut aliquem hominem strenuum,
Benevolentem adducerem ad se. CHAR. Servas inperium probe;
Nam et amicum et benevolentem ducis: sed istic Pseudolus
Novos mihi est. CAL. Nimium 'st mortalis graphicus; heuretes mihi 'st;
Is mihi hæc esse ecfecturum dixit, quæ dixi tibi.
PSEUD. Magnifice hominem conpellabo. CAL. Quoja vox sonat? PSEUD. Io, io, io:
Te, te, te, tyranne, te rogo, qui inperitas Pseudolo,
Quæro, quoi ter, trina, triplicia, tribus modis, tria gaudia,
Artibus tribus, ter demeritas dem lætitias, de tribus
Fraude partas, per malitiam, et per dolum et fallaciam,
In libello hoc obsignato ad te adtuli pauxillulo.
CAL. Illic homo 'st. CHAR. Ut paratragœdiat carnufex! CAL. Confer gradum
Contra pariter. PSEUD. Porrige audaciter ad salutem brachium.
CHAR. Dic, utrum Spemne an Matrem te salutem, Pseudole?

lidori orationem: eloquotus aum amara, scis egestatem meam. N.

9. *Heuretes*, græca vox, *inventor*.

12. *Tyranne*, hic est non qui superhe et crudeliter imperet, sed rex. Magnifice autem tyrannum soum, ut paratragœdisos, ooo herum, ut aliqois comicus servulns, coompellat. N.

11. *Io, io, io*, etc. Ita sæpe incipinnt csotica apud tragicos Graiornm.

13. *Quæro cui trina*. Operæ pretium fecisse pntant, qui observant τὸ *quæro* ad sequentia, non ad præcedentia esse referendum. Sed ad ntrsque referendum est, et oratio ob versus necessitatem trajecta, ita construenda: « Te, te, te, tyranne, qui imperitas Pseodolo, te rogo, quæro, ter trioa, etc. » Lodit autem oumero ternario, quia dixerat præcedenti scena se tres delusurum, herum, lenonem et a quo acceperat epistolam. GRON.

14. *De trib.* hero, lenone, milite.

18. *Porge brachium*, i. q. da manum. Aulul. II, 1, 16.

19. *Spemne an salutem*. Veteres libros consensn habere, *Spemne an*

PSEUD. Imo utrumque. CHAR. Utrumque salve : sed quid actum 'st? PSEUD. Quid times?

CAL. Adtuli hunc. PSEUD. Quid, adtulisti? CAL. Adduxi, volui dicere.

PSEUD. Quis istic est? CAL. Charinus. PSEUD. Euge! jam χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ.

CHAR. Quin tu quidquid opu'st, audacter inperas? PSEUD. Tam gratia 'st.

Bene sit, Charine; nolo tibi molestos esse nos.

matrem notavit Lipsius, Ant. IV, 8. Idem expertus in Pall. Gruterus: et in Academico ego. Itaque diutius id excludere nequivi. Nam quod viro dat mulieris titulum, non magis miror quam quum in Curculione ad parasitum adolescens, *o mea abportunitas*, aut ipse parasitus *meam nutricem Herculem*. Nec incommode ad hunc muliebrem titulum venit, quia nominavit ante *Spem* feminini nominis numen. Denique videtur alludere ad ædem Spei Romæ et Matris Matutæ, quæ vicinæ erant; hæc intra portam Carmentalem, illa extra eamdem. Liv. XXIV : « In templis Fortunæ ac Matris Matutæ et Spei extra portam late vagatus ignis ». Lib. XXV : « reficiendis ædibus Fortunæ ac Matris Matutæ intra portam Carmentatam, sed et Spei extra portam ». GRON.

22. *Euge! jam*. Lego : « euge! jam Χαίρειν Χαρῖνον volo ». Ludit enim in Charini nomine, quem valere et missum fieri vult, non usui nunc illi, cui supra jusserat ejusmodi hominem inveniri. Optime omnium hæc Acidalius. Verum scriptura eorum, si ductum MSS Camer. sequamur, hæc nobis videtur : « Euge jam ! χάριν, ὅγ' εἶται νῦν, ποιῶ ». Jusserat Pseudolus sibi adduci a Callidoro hominem et astutum et callidum : dum in eo erat Callidorus, aliam decipiendi lenonis occasionem nactus, castigat his verbis Callidori moram : *Euge jam!* et ostendit nihil sibi opus esse, ut quidem res erat, χάριν, ὅγ' εἶται νῦν, ποιῶ, *gratiam, ut nunc res est, facio*. Quæ verba sunt recusantis uti opera Charini, quem adduxerat Callidorus. Quod miror non animadvertisse viros eruditissimos, quum vers. seq. ubi Charinus ipse operam suam pollicetur, Pseudolus recuset pæne iisdem verbis : CH. *Quin tu*, etc. PETIT. — Si vulgatam retinemus, vel Bothianam χάριν οἰων. π., sensus erit : Felix nomen Charini accipio.

23. *Tam gratia 'st*. Douza fil. *jam gratio est*. Sed quum in altero codicum sit, *tom gratiam*, dubium mihi non est, quin sit scribendum *tom gratia 'st*, ut voluit Pareus. Versu autem præcedente lego : Χαρίνῳ χάριν ποιῶ. Id est, *Charino gratiam facio*. GRON. — Formula est comiter renuendi, eodem ingenio atque hæc *tantum 'st*, quæ satis esse et finem imponendum significat. Vid. Casin. Prol. 7. Jam exposuimus Menæchm. III, 2, 36. N.

CHAR. Vos molestos mihi? molestum'st id quidem. PSEUD. Tum tu igitur mane.
CHAR. Quid istuc est? PSEUD. Epistolam modo hanc intercepi, et symbolum.
CHAR. Symbolum? quem symbolum? PSEUD. Qui a milite adlatu'st modo,
Ejus servo, qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc arcessebat; ei os sublevi modo.
CAL. Quomodo? PSEUD. Horum causa hæc agitur spectatorum fabula.
Hi sciunt, qui heic adfuerunt, vobis post narravero.
CAL. Quid nunc agimus? PSEUD. Liberam hodie tuam amicam amplexabere.
CAL. Egone? PSEUD. Tute. CAL. Ego? PSEUD. Ipsus, inquam; siquidem hoc vivet caput.
Si modo mihi hominem invenietis propere. CHAR. Qua facie? PSEUD. Malum,
Callidum, doctum, qui quando principium prehenderit,
Porro sua virtute teneat, quid se facere oporteat;
Atque eum qui non heic usitatus sæpe sit. CHAR. Si servos est,
Numquid refert? PSEUD. Imo multo mavolo quam liberum.
CHAR. Posse opinor me dare hominem tibi malum et doctum, modo
Qui a patre advenit Carysto : nec dum exiit ex ædibus
Quoquam, neque Athenas advenit, unquam ante hesternum diem.

25. *Molestum 'st id quidem.* Vosne, inquit Charinus, mihi oneri et molestiæ esse censeam? Certe id vos suspicari, mihi molestum est. PONTAN.

29. *Os sublevi.* Capt. III, 4, 124.

33. *Siquidem hoc viv. cap.* Bacch. IV, 5, 6; Aulul. III, 2, 11.

36. *Sua virtute*, per se. Ut dicitur « virtute deum, virtute majorum », consequi rem ille qui aliena ope consequitur, ita *sua virtute*, qui non eget auxilii. — *Teneat.* Captiv. III, 5, 39. N.

37. *Si servos*, etc. I. e. num refert an servus sit?

PSEUD. Bene juvas : sed quinque inventis opus est argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam : nam hujus mihi debet pater.
CHAR. Ego dabo, ne quære aliunde. PSEUD. O hominem obportunum mihi!
Etiam opu'st chlamyde et machæra, et petaso. CHAR. Possum a me dare.
PSEUD. Di inmortaleis, non Charinus mihi hic quidem est, sed copia!
Sed istic servos, ex Carysto huc qui advenit, quid sapit?
CHAR. Hircum ab alis. PSEUD. Manuleatam tunicam habere hominem decet.
Ecquid habet is homo aceti in pectore? CHAR. Atque acidissumi.
PSEUD. Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet? CHAR. Rogas?
Murrhinam, passum, defrutum, melinam, mel quojusmodi.

43. *Nam hujus mihi*, etc. Vulgo, Codd. quidem dantibus : « nam unam hujus mihi debet pater ». Editor Bipoutinus et Bothius delent *unam*, quod videlicet ex *nam* ortum, seutentiam facit nullam. N.

47. *Quid sapit*. Idem verbum et mente sapere et habere saporem significat. *Quid* i. q. *an*. Vid. Cist. IV, 2, 16. N.

49. *Aceti*. Bacch. III, 3, 1.

51. *Murrhina*. Veterum magna a veritate aberratio est, quum eam a *murrha* dictam deductamque censent. Græcum est ὁ μυῤῥίνης, inde latinum hæc *murrhina*, ut ὁ χάρτης, hæc *charta* : ὁ γαυσάπης, hæc *gausapa*. Μυρίνην οἶνον dicebant Græci temperatum unguento, vel cui superfundebatur unguentum, τὸν μύρῳ κεκραμένον. Idem et μυρίτης, ut autem a voce φύλλων, ὁ φυλλίνης, sic a μύρον, ὁ μυρίνης οἶνος· quin et μυῤῥίνης scribebant; geminatione solenni caninæ literæ. SALMAS. — MSS Acad. cum duobus Pall. ut editur. GRON. — *Passum*, vinum ex uvis passis et sole siccatis confectum. « Uva passa est siccata. Passum est, quidquid ex uva passa compressum effluxerit. Dicitur autem passum a patiendo, vel pandendo. Uva enim tempore suo ad solem expanditur, et dum sicca fuerit, pèrcutitur atque decoquitur. Inde fit passum vinum, quod defrutum, id est, coctum dicimus ». Hæc totidem verbis in optimo ve-

Quin in corde instruere quondam cœpit thermopolium.
PSEUD. Eugepæ! lepide, Charine, me meo ludo lamberas.
Sed quid nomen esse dicam ego isti servo? CHAR. Simiæ.
PSEUD. Scitne in re advorsa vorsari? CHAR. Turbo non æque citu'st.
PSEUD. Ecquid argutu'st? CHAR. Malorum facinorum sæpissume.
PSEUD. Quid, quom manifesto tenetur? CHAR. Anguilla'st, elabitur.
PSEUD. Ecquid is homo scitu'st? CHAR. Plebiscitum non est scitius.
PSEUD. Probus homo est, ut prædicare te audio. CHAR. Imo si scias;
Ubi te adspexerit, narrabit ultro quid sese velis.
Sed quid es acturus? PSEUD. Dicam: ubi hominem exornavero,
Subdititium fieri ego illum militis servom volo;
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis:
Mulierem ab lenone abducat: hem tibi omnem fabulam.
Cæterum quo quidque pacto faciat, ipsi dixero.

teri Glossario, quod MS habeo, leguntur, et huc maxime faciunt. Boxh. — *Defrutum*, vinum musto ad dimidias decocto factum: ἕψημα· *a defervendo*. Sed vide Colum. XII, 20. — *Quajusmodi*, i. q. cujuscumque modi. Forte, *quojusvis*.

52. *Thermopolium*, tabernam, ubi dulces potiones vænibant, quas calidas bibebant: unde et nomen. Turn. — Cf. Curcul. II, 3, 13.

53. *Me meo luda lamberas. Lamberare*, inquit Festus, *est scindere, laniare*. Verberari igitur et vapulare se suo ludo servus dicit. Eisdem enim locis appetitur, quibus lacessiverat. Turn.

54. *Quid namen*. Vide Amphitr. I, 1, 208. — *Esse dicam*. I. e. quod nomen est illi? Cf. Mil. IV, 5, 2, et Pers. III, 2, 1. N.

56. *Ecquid argutu'st?* Jocus in verbo: nam quum Pseudolus quæsiisset: Ecquid *argutus*, ingeniosus et solers est? Respondet Charinus, illum esse *argutum*, id est, accusatum malorum facinorum sæpissime, atque adeo convictum. Solinus: « Peccato argutus ». Linac. Glossæ Papiæ: « Argutus, convictus ». Boxh.

59. *Ima si scias*. Vide Curcul. II, 3, 42.

64. *Hem omn.* etc. Capt. II, 3, 13.

CAL. Quid nunc igitur stamus? PSEUD. Hominem cum ornamentis omnibus
Exornatum adducite ad me, jam ad trapezitam Æschinum.
Sed properate. CHAR. Prius illeic erimus, quam tu. PSEUD. Abite ergo ocius.
Quidquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit,
Nunc liquet, nunc defæcatum 'st : cor mihi nunc pervium 'st.
Omneis ordines sub signis ducam, legiones meas,
Avi sinistra, auspicio liquido, atque ex sententia :
Confidentia 'st inimicos meos me posse perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam,
Quid agat, ne quid titubet, docte ut hanc ferat fallaciam.
Jam ego hoc ipsum oppidum expugnatum, faxo, erit lenonium.

70. *Cor perv.* Viam qua ad eventum rem perducat reperit. *Pervius* hoc loco active sumitur. N.

71. *Omneis ordines.* Litera *s*, quæ primæ sequentis voculæ *sub*, fini præcedentis facile, ut fit, adhærere potuit, hunc locum corrupit. Omnino rescribendum puto : « Omneis ordine sub signis ducam legiones meas ». Nihil certius, ut nihil ineptius vulgata lectione. BOXH. — *Ordines*, cohortes. — *Sub signis.* Casin. III, 6, 1. — *Legiones meas.* Langius scripsit : « ordines ... legionis meæ ». N.

72. *Avi sinistra.* Conf. Epid. II, 2, 2.

73. *Confidentia 'st.* Nullus dubito : plenus spei, imo certus sum, futurum ut inimicos meos perdam ac evertam. EAR.—*Meos me posse perdere.* Oratio similis illi Pythico responso : « Aio te, Æacida, Romanos vincere posse. »

74. *Onerabo meis præceptis.* Quid quæstionis *pondus* ad *præcepta*? Si opus erat, poterant adjicere ex Mil. III, 3 : « Ecquid hic te oneravit præceptis? » GRON.

76. *Faxo.* Captiv. III, 5, 31.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

PUER.

Quoi servitutem di danunt lenoniam
Puero, atque eidem si addunt turpitudinem,
Næ illi, quantum ego nunc corde consipio meo,
Malam rem magnam, multasque ærumnas danunt;
Velut hæc mihi evenit servitus, ubi ego omnibus
Parvis magnisque miseriis præfulcior:
Neque ego amatorem mihi invenire ullum queo,
Qui amet me, ut curer tandem nitidiuscule.
Nunc huic lenoni est hodie natalis dies,
Interminatus est a minumo ad maxumum,
Si quis non hodie munus misisset sibi,
Eum cras cruciatu maxumo perbitere.
Nunc nescio, hercle, rebus quid faciam meis.
Neque ego illud possum, quod illi, qui possunt, solent.
Nunc nisi lenoni munus hodie misero,
Cras mihi potandus fructus est fullonius.

2. *Turpitudinem*, deformitatem.

3. *Consipio*. Vulgo, *conspicio*. Videtur legendum *consipio*, id est, quantum mente utor vel valeo: quantum mentis compos et sanus sum. Verbum elegans quod Catoni et Livio Lipsius, nos ter Senecæ restituimus, et locis, in quibus vulgo etiam *conspicere* habetur. Idem cod. suo adscripserat P. Scriverius. Gron.

8. *Ut curer*. Vulgo, *cures*. In lenonia familia lautius curantur, qui amartoculos facile inveniunt: ii enim domino quæstuosi. J. Gul.

11. *Si quis non hodie mun. misiss.* Vid. Ter. Phorm. I, 1, 13-16.

12. *Perbitere*, i. q. perire, pro « periturum esse ». Conf. Amph. I, 1, 54.

13. *Rebus quid faciam meis*, quo me expediam modo.

16. *Fructus fullonius*. Non dubium est quin *fructus fullonius* ita

Eheu! quam illæ rei ego etiam nunc sum parvolus!
Atque, edepol, ut nunc male eum metuo miser!
Si quispiam det, quî manus gravior siet,
Quamquam illud aiunt magno gemitu fieri,
Conprimere denteis videor posse aliquo modo:
Sed conprimenda 'st mihi vox atque oratio,
Herus, eccum, recipit se domum, et ducit coquom.

SCENA SECUNDA.

BALLIO, COCUS, PUER.

BALL. Forum coquinum qui vocant, stulte vocant,
Nam non coquinum'st, verum furinum'st forum:
Nam si ego juratus pejorem hominem quærerem,
Coquom non potui, quam hunc quem duco, ducere,
Multiloquom, gloriosum, insulsum, inutilem:
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,

sit accipiendum, ut vulgo exponunt interpretes. Quod locis aliquot veterum possem confirmare. Etiam hodieque apud nos *fulloni dari* dicuntur mulieres quæ subiguntur et permoluntur. Latini premi et comprimi mulieres dicunt, quæ verba propria sunt fullonicæ artis. SALM.

19. *Quî manus gravior siet.* Frustra turpificant et correctionibus et interpretationibus hæc verba. Legendum : *qui manus.* Et sic uterque scriptus. Nec aliud intelligit quam nummos. Sed et distinguendum : « ut nunc male eum metuo miser, Si quispiam det ». *Ut* pro utcumque, quamvis. Trucul. I, 2 : « Nam qui manus attulerit steriles ad nos, gravidas foras exportet ». Catullus, Carm. XX : « Meisque pinguis agnus ex ovilibus Gravem domum remittit ære dextram ». Virgilius : « Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat ». Vide Observ. III, 4. GRON.

20. *Illud*, scilicet « potare fructum fullonium ».

21. *Conprimere dent.* ne gemitus erumpat.

5. *Inutilem*, importunum.

6. *Orcus recipere noluit.* De homine sceleratissimo dicebant, vel mortuo, vel vivo, quasi cui nunquam contingeret beata mortuorum quies; vel cui ne infernus quidem pro meritis satis haberet suppliciorum. Valer. Max. IX, 11 : « Etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur supplicia,

Ut esset heic, qui mortuis cœnam coquat;
Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest.
COC. Si me arbitrabare isto pacto, ut prædicas,
Cur conducebas? BALL. Inopia; alius non erat.
Sed cur sedebas in foro, si eras coquos
Tu solus præter alios? COC. Ego dicam tibi:
Hominum avaritia ego sum factus inprobior coquos,
Non meopte ingenio. BALL. Qua istuc ratione? COC. Eloquar;
Quia enim quom extemplo veniunt conductum coquom,
Nemo illum quærit qui optumus, et carissumu'st:
Illum conducunt potius, qui vilissumu'st.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Hi drachmis issent miseri; me nemo potest

pendet ». M. Senec. Controv. III : « A superis dejecta, ab inferis non recepta, in cujus pœnam Saxum exstruendum est ». GRON.*

7. *Mortuis cœnam coquat. Orcus* haud dubie hic accipitur pro Dite patre aut Summano. Porro, mortui non sunt ciborum, aut eduliorum indigentes. Quivis appositi, etiam insulsi, iis placent, si quid iis placeat, quibus nihil potest displicere. Facete ergo hic descripturus coquum insulsum, dicit eum inter viventes mortuis cibum coquere, iisque solis, quum nihil quantumvis insulsissimum appositum his possit displicere, cum placere. Hæc venustissima hujus loci sententia est, quam non viderunt interpretes. BOXH.

12. *Tu solus præter alios?* Boxhornius vult : « Cur tu solus, cæteris conductis, relictus et otiosus sedebas? » Sed ingenium orationis damnat interpretem. Sensus : « Cur sedebas (nondum conductus), si eras solus præter cæteros, id est, eximius, præstantissimus coquus, ut te jactas? Nam gloriosum, insulsum modo eum opprobrabat. N.

13. *Inprobior coquos.* Minus probatus sum; minus opera mea cives utuntur. Ita enim vox *improbior* hic accipienda. Non enim vult se malum et insulsum esse coquum, sed carissimum esse, ideoque minus probari. BOXH.

15. *Quom extemplo*, statim ac.

19. *Hi drachmis issent miseri.* In altero cod. est *drachmis sent.* Quod palam arguit τὸ *is* posterioris vocis a fine præcedentis esse absorptum. Illi, inquit, drachmis singulis conducti issent cum conducente domum : ego ut surgam et eam, non possum induci, nisi nummo, hoc est, duabus drachmis, ut superius dictum. Neque enim aureus Romanus intelligitur, ut voluerunt. Neque opus *drachma issent* ; quis loquitur de multis. Et est quale in XII Tabb. « Libras farris in dies dato », h. e. quoque die libram. GRON.

Minoris quisquam numo ut surgam, subigere.
Non ego item cœnam condio, ut alii coqui,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boves qui convivas faciunt, herbasque obgerunt,
Eas herbas herbis aliis porro condiunt,
Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum olus;
Adponunt rumicem, brassicam, betam, blitum;
Eo laserpicii libram pondo diluunt;
Teritur sinapis scelerata cum illis : qui terunt,
Priusquam triverunt, oculi ut exstillent, facit.
Ei homines cœnas sibi coquint. Quom condiunt,
Non condimentis condiunt, sed strigibus,
Vivis convivis intestina quæ exedint.
Hoc heic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Quom hasce herbas hujusmodi in suum alvom congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo :
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
BALL. Quid tu? divinis condimentis utere,
Quî prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? COC. Audacter dicito :

22. *Mihi.* Bacch. IV, 9, 27. — *Condita prata.* Tantum congerunt herbarum.

25. *Atrum olus.* Atrum olus acceperim pro insipido, ingrato. *Atrum, nigrum*, pro malo et ingrato passim ponitur. GRONOV. — Atriplex vel hipposelinum. SCHM.

26. *Blitum.* Blitum genus oleris, a saporis stupore appellatum esse ex græco putatur, quod ab his βλὰξ dicatur *stupidus*. Festus. Vid. Truc. IV, 4. GRON.

27. *Laserpicii*, silphium. Conf. Rud. III, 2, 16.

29. *Exstillent.* Terent. Phorm. V, 8 : « Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo, Ut ne restinguas, lacrymis si extillaveris ». Ubi Donatus : *Stillare*, est guttas emittere e corpore. *Exstillare*, ipsum corpus guttatim finire. GR.

30. *Cœnas sibi coquint.* Tales coqui cœnas hujusmodi sibi coquant; non aliis, aut mihi. GRON.

31. *Sed strigibus.* Striges, aves nocturnæ, ut ait Verrius. Græci ϛρίγγας appellant : unde maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. SCAL. — Significat condimenta quæ alii coqui adhibent, distorquere convivis intestina, ut striges quasdam mortuis. TAUBM.

33. *Hoc*, eo.

38. *Quî.* Aulul. III, 5, 28.

Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui esitabunt escas, quas condivero.
Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut sipolindrum, aut macidem, aut sancaptidem,
Eæ ipsæ sese patinæ fervefaciunt inlico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta sunt :
Terrestres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopside, aut cataractria. BALL. At te Jupiter
Diique omneis perdant, cum condimentis tuis,
Cumque tuis istis omnibus mendaciis.
COC. Sine, sis, loqui me. BALL. Loquere, atque i in malam crucem.
COL. Ubi omneis patinæ fervent, omneis aperio,
Is odos demissis pedibus in cælum volat :
Eum in odorem cœnat Jupiter cotidie.
BALL. Odor demissis pedibus? COC. Peccavi insciens.
BALL. Quid est? COC. Quia enim demissis manibus volui dicere.
BALL. Si nusquam is coctum, quidnam cœnat Jupiter?
COC. It incœnatus cubitum. BALL. I in malam crucem.
Istaccine causa tibi hodie numum dabo?
COC. Fateor equidem esse me coquom carissumum :

43. *Macidem.* Macis, cortex aromaticus, nucis myristicæ amiculum.

45. *Neptuni pec.* pisces.

47. *Aut happalopside*, etc. Ficta omnia nomina jculariter a Plauto, ut aiunt.

53. *Eum in odorem.* Tò *in* merito displicet eruditis : puto conjungendum esse cum *odorem*, et *nidorem* scripsisse Plautum. BOXHORN.

55. *Demissis manibus volui*, etc. *Demissis manibus currit*, qui currit contentissime : quia quum rapido incitati cursu sumus, manus utrasque moventes demittimus. At ille cocus *demissis pedibus* pro *demissis manibus* dixerat : nam pedibus demissis non potuisset subvolare in cælum odor, sed inferos petere : quum *demittere pedes*, sit, eos deorsum mittere : ita eo odore inferi pasti fuissent, non superi. Sic labes terræ in altum desidentis et depressæ, poeta *demissis pedibus* factas dicit in Ætna : « Cervus et in silvis spatiosa cubilia retro Antraque demissis pedibus fodisse latebras ». TURN.

57. *Ut inc. cubitum.* *Incœnis* scripsit Plautus. Vide Gloss. Isidori. SCALIG.

Verum pro pretio facio, ut opera adpareat
Mea, quo conductus veni. BALL. Ad furandum quidem.
COC. An invenire postulas quemquam coquom,
Nisi milvinis aut aquilinis ungulis?
BALL. An tu coquinatum te ire quoquam postulas,
Quin ibi constrictis ungulis cœnam coquas?
Nunc adeo tu qui meus es, jam edico tibi,
Uti nostra properes amoliri omnia:
Tum ut hujus oculos in oculis habeas tuis:
Quoquo hic spectabit, eo tu spectato simul:
Si quo hic gradietur, pariter progrediminor.
Manum si protollet, pariter proferto manum.
Suom si quid sumet, id tu sinito sumere:
Si nostrum sumet, tu teneto altrinsecus.
Si iste ibit, ito; stabit, adstato simul.
Si conquiniscet istic, ceveto simul.

60. *Pro pretio facio.* Facio ut et operis et mercedis ratio constet conductori meo, par pari hostimeotum reddens. Cato : « si ei opus uon apparet, dicit rusticus sedulo se fecisse, servos non voluisse »; id est, souticum murbum causatos, quo minus opus facere valuerint. DOUZA.

61. *Ad furandum.* Aulul. II, 4, 43, et Casin. III, 6, 1.

65. *Quin ibi*, etc. Tune æquum censes, te quoqoam admitti coquinatorum, nisi coostringant, comprimant, ungulos tibi, i. e. nisi te adeo diligenter observent, ut oequeas furari? N.

66. *Tu qui meus es.* Alloquitur puerum, jubet invigilare custodiendæ coquinæ rapacitati. N.

67. *Amol.* in tuto reponere. Nam facile abstinent, si nihil obviam est.

73. *Ten. altrinsecus* illud ipsum, quod suoiet uostrum.

75. *Conquiniscet.* Cooquinere, decubare est : a quo *conquinisco.* Est enim *conquiniscere*, cernuum se inflectere, vel iuclinare, ut faciunt exoneraturi ventrem. Pomponios Attellanarins : « In terra ut cubabat nuda : ad eum ut conquexi, etc. » Hoc etiam *cernuare* dicebaot : quamquam et hoc ἀντὶ τοῦ ἀσχελιάζειν accipiebant. SCALIG. — Corrigi volo Plautum e Nonio, ubi exstat : « Si cooquiniscet istic, ceveto simul ». *Cevere* enim idem quod *canquiniscere*, hoc est, inclioari : itaque ut *ocquiniscere* interdum pathicis attributum, ita semper *cevere* de iis dictum. Juvenal. « ego te ceoentem, Sexte, verebor? » Et, « Computat, et cevet ». Persius : « Ao, Romule, ceues ». Mart. « Sed pulcre, Scævole, ceves ». Glossæ, *ceuens*, κύφων. Hujus vocis ignoratio corrupit locum Plauti : repertam enim eam in suis libris

Item his discipulis privos custodes dabo.
COC. Habe modo bonum animum. BALL. Quæso, quî possim, doce,
Animum bonum habere, qui te ad me adducam domum?
COC. Quia sorbitione faciam ego te hodie mea,
Item ut Medea Peliam concoxit senem:
Quem medicamento et suis venenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adulescentulum:
Item ego te faciam. BALL. Eho, an tu etiam veneficus?
COC. Imo, edepol, vero hominum servator magis.
BALL. Hem mane: quanti istuc unum me coquinare perdoces?
COC. Quid? BALL. Ut te servem, ne quid subripias mihi.
COC. Si credis, numo; si non, ne mina quidem.
Sed utrum amicis hodie, an inimicis tuis
Daturus cœnam? BALL. Pol, ego amicis, scilicet.
COC. Quin tu illo inimicos potius, quam amicos vocas?
Nam ego ita convivis cœnam conditam dabo
Hodie, atque ita suavitate condiam,

quum non intelligerent, mutarunt: dein, quia versus nimium excrescebat, quidam vocem *simul* rejecere in sequentem versum: alii *istic* e versu sustulerunt. MERCER.

76. *Discipulis*, subcoquis. Aul. III, 1, 4. — *Privos custodes dabo. Privi* vetuste, qui nobis singuli. Lucilius: « Culticulæ accedunt privæ centonibu' binis ». J. GUL.

79. *Mea*, quam condivero.

80. *Ut Medea Peliam concoxit.* De Æsone hoc traditur, non de Pelia: hunc enim concoquendo necavit. Jocatus igitur est et lusit Plautus sciens: vel est hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα. CAMER. — Plautus hic de industria affectasse τὸ πρέπον *famæ*, quæ plurimum mendi, si præsertim de re vetustiori sit, secum trahit. Quum enim hæc historia a vulgo depravate narraretur, Plautus vulgi errorem studio sequi voluit, ex quo errore plane proverbium originem traxerat: « Tamquam Peliam recoquere »: quo et Cicero ita utitur. FREHER.

83. *Veneficus*, magus, præstigiator, quia venenis utebantur.

84. *Servator.* Ludit ambiguitate; quasi veneficum intellegerit eum, qui necet veneno homines.

85. *Istuc unum*, etc. Quanta mercede me docebis unum condimentum condire? quodnam autem est? scilicet observatio ita diligens, ut coquus vel furacissimus nequid subripere possit.

Ut quisque quidque conditum gustaverit,
Ipsos sibi faciam ut digitos prærodat suos.
BALL. Quæso, hercle, priusquam quidquam convivis dabis,
Gustato tute prius, et discipulis dato,
Ut prærodatis vostras furtificas manus.
COC. Fortasse hæc tu nunc mihi non credas quæ loquor.
BALL. Molestus ne sis; nimium jam tinnis, non places.
Hem, illeic ego habito: intro huc abi, et cœnam coque
Propere. COC. Quin is adcubitum, et convivas cedo.
Conrumpitur jam cœna. BALL. Hem, subolem, sis, vide!
Jam hic quoque scelestus, est coqui sublingio.
Profecto quid nunc primum caveam nescio,
Ita in ædibus sunt fures: prædo in proxumo'st.
Jam a me hic vicinus apud forum paulo prius
Pater Callidori opere petivit maxumo,
Ut mihi caverem a Pseudolo servo suo,

93. *Quidque*, quodcumque.

94. *Ipsos sibi faciam*, etc. Quum suavitatem alicujus cibi, aut aviditatem eorum, quibus appositum iri deberet, Græci ostendere volebant, ὑπερβολικῶς de illis dicebant, καθεσθίειν δακτύλους. Aristoph. in Pythagoreos utitur: imo nos quoque in patrio sermone. VICT.

99. *Molestus ne sis.* Mostell. III, 2, 84. — *Nimium tinnis.* Est proverbialis locutio in garrulos nimis et oblocutores. Casin. II, 3, 32; Asin. II, 4, 42; Pœnul. Prol. 33. Translatio a vasis æreis, nolis, et doliis, quæ proprie *tinnire* dicuntur, unde et *tintinnabula*. Hinc et Neronis dictum est apud Sueton. « Aliquid sufferti tinnire ». Nempe aliter tinniunt vasa plena, aliter vacua. GRON.*

101. *Cedo*, da mihi, adduc.

102. *Conrumpitur.* Eximia festinandi jactantia; quam nondum attigit, jam cocta est cœna, et mora convivarum corrumpitur. Similiter atque servoli qui prædicant se reversos fore, priusquam abiisse senserit ille qui mittat. N. — *Subolem, sis, vide!* Monet puerum, ut observet aliquem coqui discipulum, quem vocat sobolem, nempe qui e doctrina magistri coquinaria egerminet. N.

103. *Est coqui sublingio.* Quasi dicat: discipulus coqui ad lingendas patinas, quam ad obsonia coquenda aptior. *Sublingio, nis*, nomen factum a *sublingendo*: quomodo alibi *tocullio* et *turpio* apud Latinos. TURN. — Legendum puto, *coqui sublingio*. Coquum subliguritorem a sublingendis, et liguriendis patinis. *Coqui sublingio*, ut *scelus viri*. SALMAS.

105. *Prædo*, scil. Pseudolus.

107. *Opere maxumo*, vehementer, superlativum a *magnopere*.

Neu fidem ei haberem : nam eum circumire in hunc diem ,
Ut me, si posset, muliere intervorteret,
Eum promisisse firmiter, dixit, sibi,
Sese abducturum a me dolis Phœnicium.
Nunc ibo intro, atque edicam familiaribus,
Profecto ne quis quidquam credat Pseudolo.

112, 113. *Eum promisisse' abducturum*, etc. Paulo implicatior hæc oratio ambagibus. Dixit (senex) eum (Pseudolum) promisisse sibi (seni), sese Pseudolum, etc.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS, SIMIA.

PSEUD. Si unquam quemquam di inmortaleis voluere esse auxilio adjutum,
Tum me et Callidorum servatum volunt esse, et lenonem exstinctum,
Quom te adjutorem genuere mihi, tam doctum hominem atque astutum.
Sed ubi illic est? sumne ego homo insipiens, qui hæc mecum egomet loquor solus?
Dedit verba mihi, hercle, ut opinor; malus cum malo stulte cavi.
Tum, pol, ego interii, homo si ille abiit: neque hoc opus quod volui, ego hodie efficiam.
Sed, eccum, video verbeream statuam: ut magnifice infert sese!
Hem te, hercle, ego circumspectabam: nimis metuebam male, ne abiisses.

5. *Malus cum malo.* Alia lectio, *malos*. Sed nostram recte probat Acidal. et confirmat luco ex Most. V, 2: « Hercle mihi tecum cavendum est ». At Dissaldæus, *quum malum*. Ecce et qui distinguit: « Dedit verba, hercle, mihi, ut opinor, malus cum malo: stulte cavi ». At illi non intellexerunt quid esset *cavere cum aliquo*. Senex ait: « tecum mihi cavendum est », id est, caute et prudenter agendum. Pseudolus: « ego malus cum malo stulte cavi », id est, parum mihi providi, parum callide cauteque egi. Gron.

7. *Verb. stat.* Captiv. V, 1, 31.

SIM. Fuit meum opficium ut facerem, fateor. PSEUD. Ubi restiteras? SIM. Ubi mihi lubitum'st.

PSEUD. Istuc ego jam satis scio. SIM. Cur ergo quod scis, me rogas? PSEUD. At hoc volo monere te.

SIM. Monendus ne me moneat. PSEUD. Nimis tandem ego abs te contemnor.

SIM. Quippe ego te ni contemnam, stratioticus homo quî cluear? PSEUD. Jam

Hoc volo, quod obceptum'st. SIM. Numquid agere aliud me vides?

PSEUD. Ambula ergo cito. SIM. Imo otiose volo. PSEUD. Hæc ea obcasio'st, dum ille dormit,

Volo tu prior ut obcupes adire. SIM. Quid properas? placide.

Ne time: ita ille faxit Jupiter, ut ille palam ibidem adsiet,

Quisquis ille est, qui adest a milite: nunquam, edepol, erit ille potior

Harpax, quam ego. Habe animum bonum; polchre ego hanc explicatam tibi rem dabo.

Sic ego illum dolis atque mendaciis in timorem dabo

Militarem advenam, ipse sese ut neget eum esse qui siet,

Meque ut esse autumet, qui ipsus est. PSEUD. Quî potest? SIM. Occidis me

Quom istuc rogitas. PSEUD. O hominem lepidum! te quoque etiam dolis

Atque etiam mendaciis, Jupiter te mihi servet.

9. *Fuit meum opficium.* Cf. Asin. II, 2, 113.

11. *Monendus ne me moneat*, id est, « Ne sus Minervam ». Horat. Epist. I, 17: « Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus ».

12. *Strat. homo quî cl.* Militum enim et eorum qui militibus serviunt comici mores superbiloqui sunt.

13. *Hoc volo ..... agi.* Captiv. V, 1, 10. — *Agere aliud*, animo diverti ad alias res.

14. *Imo.* Pers. IV, 4, 61. — *Dum ille dormit*, Harpax in diversorio.

16. *Palam*, coram.

18. *Harpax.* Nominis etymo cavillatur.

21. *Quî potest*, quomodo pote hoc est. — *Occidis me* tædio.

SIM. Imo mihi : sed vide, ornatus hic satis me condecet?
PSEUD. Optume habet. SIM. Esto. PSEUD. Tantum tibi boni di inmortaleis duint,
Quantum tu tibi optes: nam si exoptem quantum dignus, tantum dent,
Minus nihilo est. Neque ego hoc homine quemquam vidi magis malum,
Et maleficum. SIM. Tun' id mihi? PSEUD. Taceo : sed ego quæ tibi dona
Dabo et faciam, si hanc rem sobrie adcurassis! SIM. Potin' ut taceas?
Memorem inmemorem facit, qui monet quod memor meminit : teneo omnia.
In pectore condita sunt, meditati sunt doli docte. PSEUD. Probus hic est
Homo. SIM. Neque hic est, neque ego. PSEUD. At vide ne titubes. SIM. Potin' ut taceas?
PSEUD. Ita me di ament..... SIM. Ita non facient, mera jam mendacia fundes.
PSEUD. Ut ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo et metuo, et magnifico!
SIM. Ego istuc aliis dare condidici : mihi obtrudere non potes palpum.

25. *Tantum tibi boni.* Pœnul. V, 2 : « Dii dent tibi omnes, quæ velis ». Quæ proverbialiter extulisse veteres constat. Vid. Stich. II, 2. — *Tantum duint*, id est, si tantum exoptem, et tantum dent, quanto dignus es, haberes minus nihilo.

28. *Et maleficum.* Dixit *malum*, id est, versutum, astutum; sed hoc non satis, et addit *maleficum*, quali præconio Leonida et Libanus se invicem extollunt, Asin. II, 2, 31.

29. *Sobrie adcurassis.* Sobrie fieri dicitur quidquid cum cura et diligentia exquisita aggredimur. GRUT.

31. *Meditati sunt.* Μεμελετημένοι· passive. Priscian. lib. VIII.

32. *Neque hic est*, Pseudolus.— *Titubes.* Menæchm. I, 2, 33.

33. *Ita me di ament.* Incipit per jusjurandum orationem quam demum versu sequenti absolvet.

35. *Dare aliis*, scilicet verborum palpamenta. — *Palpum.* Obtrudere palpum, est arte fucoque decipere : hinc *palpari*, adulari, et *palpones*, adulatores. Tractum ab equisonibus.

PSEUD. Ut ego te hodie adcipiam lepide, ubi ecfeceris hoc opus! SIM. Ha ha he!

PSEUD. Lepido victu, vino, unguentis, et inter pocula pulpamentis;

Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det.

SIM. Lepide adcipis me. PSEUD. Imo si ecficis, tum faxo magis dicas.

SIM. Nisi ecfecero, cruciabiliter carnufex me adcipito.

Sed propera mihi monstrare ubi ostium lenonis ædium.

PSEUD. Tertium hoc est. SIM. St! tace, ædeis hiscunt. PSEUD. Credo animo male 'st

Ædibus. SIM. Quid jam? PSEUD. Quia, edepol, ipsum lenonem evomunt.

SIM. Illiccine est? PSEUD. Illic est. SIM. Mala merx est. PSEUD. Illuc, sis, vide:

Non prorsus, verum ex trausvorso cedit, quasi cancer solet.

36. *Adcipiam*. Casin. V, 1, 1.

40. *Carnufex me adcipito*. Ambiguitas jocum parit: nam *adcipito* personæ secundæ et tertiæ est, dumque hac carnificem imprecatur sibi, simul illa carnificem ipsum appellat Pseudolum. AEINAL.

44. *Mala merx est*. Merx mala, de homine, aut re nihili. J. GUL. — Cf. Cas. III, 6, 23.

45. *Non prorsus*. Fortasse leno aliquid servis imperabat domo exiens: atque ideo non adversa fronte, sed secundum parietem transversus egrediebatur. LAMB. — Apparet Varroni in animo hunc locum fuisse, lib. VI de Ling. Lat. « Ut transversus cedit, quasi cancer; non prorsus, ut homo ». Est igitur *prorsus*, πρόσω· et *transversus*, πλάγιος· nisi Varro etiam *proversus* accepit ut nomen. CAMER. — Imo *prorsus* nihil plane a *proversus* differt: ita *quorsum* est *quoversum*: *horsum*, *hoc versum*: *aliorsum*, *alioversum*. Idem hoc est, quod Casin. II, 8: « imitari nepam ». Intelligit καρκίνον λοξοβάταν, ut in Epigr. græco. SCALIG. — *Cedit*. Aulul. III, 5, 43.

SCENA SECUNDA.

BALLIO, PSEUDOLUS, SYCOPHANTA.

BALL. Minus malum hunc hominem esse opinor, quam esse censebam coquom:
Nam nihil etiam dum harpagavit, præter cyathum et cantharum.
PSEUD. Heus tu, nunc obcasio'st et tempus. SYC. Tecum sentio.
PSEUD. Ingredere in viam dolose: et ego heic in insidiis ero.
SYC. Habui numerum sedulo, hoc est sextum a porta proxumum
Angiportum, in id angiportum me devorti jusserat;
Quotumas ædeis dixerit, id ego admodum incerto scio.
BALL. Quis hic homo chlamydatus est, aut unde est, aut quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis, atque ingnobilis.
SYC. Sed eccum, qui ex incerto faciet mihi, quod quæro, certius.
BALL. Ad me adit recta: unde ego hominem hunc esse dicam gentium!
SYC. Heus tu, qui cum hirquina adstas barba, responde quod rogo.
BALL. Eho, an non prius salutas? SYC. Nulla est mihi salus dataria.

5. *Habui numerum*, etc. Hæc dicit alta voce, ut Ballio audiat, quasi nec eum videns.

6. *Jusserat* scilicet miles, cujus servum se fingit esse.

7. *Quotumas* in angiportu.

8. *Chlamydatus.* Ita sc. 7, *Chlamydate*, etc. Chlamys viatoria vestis est: et hinc chlamydatos, qui peregre advenirent, ab habitu fere vocabant.

9. *Ingnobilis*, ignota. Cf. Amph. I, 1, 284.

13. *Dataria*, quam prior objiciam. Vox *datare* ludentium pila est. Curcul. II, 3, 18.

BALL. Nam, pol, hinc tantumdem adcipies. PSEUD. Jam inde a principio probi.
SYC. Ecquem in angiporto hoc hominem tu gnovisti? te rogo.
BALL. Egomet me. SYC. Pauci istuc faciunt homines, quod tu prædicas.
Nam in foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese gnoverit.
PSEUD. Salvos sum; jam philosophatur. SYC. Hominem ego heic quæro malum,
Legirupam, inpium, perjurum, atque inprobum. BAL. Me quæritat:
Nam illa sunt congnomenta; nomen si memoret modo.
Quid est ei homini nomen? SYC. Leno Ballio. BALL. Scivin' ego?
Ipse ego is sum, adulescens, quem tu quæritas. SYC. Tune es Ballio?
BALL. Ego enimvero is sum. SYC. Ut vestitus est perfossor parietum!
BALL. Credo in tenebris conspicatus si sis me, abstineas manum.
SYC. Herus meus tibi me salutem multam voluit dicere.

14. *A pr. probi* sumus; pulchra congressio.

15. *Ecquem*. Cf. Captiv. II, 3, 99, et Curcul. II, 3, 62.

18. *Jam philos.* Capt. II, 2, 34.

20. *Si memoret*. Ellipsis. Nihil desit, si nomen nunc dicat.

21. *Scivin'*, recte divinavi.

23. *Perfossor parietum!* Τοιχωρύχος. Cic. in Vatin. « Licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris ». Iidem et *effractores* JCtis dicti : item *vecticularii*, quod *vecte*, id est, palo ferreo, muros furandi gratia perfodiant: atque hi *vecticulariam facere* dicuntur et eorum vita *vecticularia*. Hinc et Thraso Terent. Donacem cum « vecti venire jubet ad ædium expugnationem ». Porro, veteres lenonibus versicolorem habitum attribuere, atque eosdem raso capite et calvos in scenam induxerunt. TAUBM.

24. *Credo in tenebris*, etc. Hæc ironice; furem redarguit, a quo perfossor parietum ipse audiit. Ut pulchre vestitus tibi videor, si noctu tibi occurram, certe me despolies. Fuere etiam clara luce vestium fures, ut Ovidius testatur Art. Amat. III, 445-450.

Hanc epistolam adcipe a me, hanc me tibi jussit dare.
BALL. Quis is homo 'st qui jussit? PSEUD. Perii, nunc homo in medio luto 'st,
Nomen nescit : hæret hæc res. BALL. Quem hanc misisse ad me autumas?
SYC. Gnosce imaginem, tute ejus nomen memorato mihi,
Ut sciam te Ballionem esse ipsum. BALL. Cedo mihi epistolam.
SYC. Adcipe; congnosce signum. BALL. Oho! Polymachæroplacides,
Purus putus est ipsus : gnovi : heus! SYC. Polymachæroplacides
Nomen est; scio jam tibi me recte dedisse epistolam,
Postquam Polymachæroplacidæ elocutus nomen es.
BALL. Sed quid agit is? SYC. Quod homo, edepol, fortis, atque bellator probus.
Sed propera hanc perlegere, quæso, epistolam, ita negotium 'st,
Atque adcipere argentum actutum, mulieremque mihi emittere.
Nam necesse hodie Sicyoni me esse, aut cras mortem exsequi;

27. *In medio luto 'st*, id est, non potest se expedire. LAMB.

28. *Hæret hæc res.* Conf. Amph. II, 2, 182.

31. *Congnosce signum.* Linum fuit vinculum, quo epistola obligabatur, et cui signum ipsum impositum impressumque. Nec epistolam aperire fuit, nisi illo soluto. Inde « linum incidere » apud Cic. et passiva vulgataque phrasis, « Solvere epistolam ». Fere autem signum cum eo fractum : ideoque jubebant semper ante apertionem signa agnosci, fidei causa : ita et Cic. in Catil. « ostendi tabellas Lentulo, et quæsivi, cognosceretne signum? » LIPS.

32. *Purus putus.* Festus : « Putum pro puro dicebant : unde, putatæ vites, quod quum id, quod impedimento erat decisum est, remanent pura ».

35. *Quid agit is?* Item Germani loquuntur : *was macht Jener?* Vid. Aulul. I, 2, 39.

38. *Sicyoni.* Cf. Captiv. V, 4, 1. — *Mortem exsequi*, id est, ferre, pati, subire. Sic *ærumnam exsequi* Capt. II, 1, 1. GRONOV.*

Ita herus meus est inperiosus. BALL. Gnovi, gnotis prædicas.
SYC. Propera perlegere epistolam ergo. BALL. Id ago, si taceas modo.
« Miles lenoni Ballioni epistolam
« Conscribtam mittit Polymachæroplacides,
« Imaginem obsignatam, quæ inter nos duo
« Convenit olim. » SYC. Symbolum 'st in epistola.
BALL. Video, et congnosco signum : sed in epistola
Nullam salutem mittere ne scribtam solet?
SYC. Ita militaris disciplina 'st, Ballio :
Manu salutem mittunt benevolentibus;
Eadem malam rem mittunt malevolentibus.
Sed ut obcepisti, perge operam experirier,
Quid epistola ista narret. BALL. Ausculta modo.
« Harpax calator meus est, ad te qui venit ».
Tune is es Harpax? SYC. Ego sum, atque ipse Harpax quidem.
BALL. « Qui epistolam istam fert, ab eo argentum adcipi,
« Et cum eo simitu mulierem mitti volo.
« Salutem scribtam dignum 'st dignis mittere :
« Te si arbitrarem dignum, misissem tibi. »
SYC. Quid nunc? BALL. Argentum des; abducas mulierem.
SYC. Uter remoratur? BALL. Quin sequere ergo intro. SYC. Sequor.

SCENA TERTIA.

PSEUDOLUS.

Pejorem ego hominem magisque vorsute malum
Nunquam, edepol, quemquam vidi, quam hic est Simia;

39. *Gnotis.* Gallice, *à des gens de connaissance.* Phæd. Fab. I, 11: « Ignotos fallit, notis est derisui ».
59. *Uter*, ego an tu ?

Nimisque ego illum hominem metuo et formido male,
Ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit,
Ne in re secunda nunc mihi obvortat cornua,
Si obcasionem capsit, quî siet malus.
Atque, edepol, equidem nolo: nam illi bene volo.
Nunc in metu sum maxumo, triplici modo.
Primum omnium, jam hunc conparem metuo meum,
Ne deserat me, atque ad hosteis transeat.
Metuo autem ne herus redeat etiamdum a foro,
Ne capta præda capti prædones fuant.
Quom hæc metuo, metuo ne ille huc Harpax adveniat,
Priusquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perii, hercle! nimium tarde egrediuntur foras.
Cor conligatis vasis exspectat meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exsulatum ex pectore abfugiat meo.
Victor sum; vici cautos custodes meos.

SCENA QUARTA.

SYCOPHANTA, PSEUDOLUS.

SYC. Ne plora; nescis ut res sit, Phœnicium;
Verum haud multo post, faxo, scibis adcubans.
Non ego te ad illum duco dentatum virum

5. *Obvortat cornua.* « Cornua alicui obvertere », ponitur pro impetere aliquem, infestum alicui se ostendere, translatione a cornutis animalibus ducta. Apuleius Apol. « Superest ea pars epistolæ, quæ similiter pro me scripta in memet ipsum vertit cornua ». Grun.*

9. *Conparem. Compar,* cujusvis rei aut muneris socius: unde et *conjuges,* qui divinæ et humanæ domus socii sunt, *compares* vocat Hist. Nat. Plin. lib. XVIII. Lang.

13. *Ille Harpax*, verus.

14. *Hic* Sycophanta.

19. *Cor conligatis vasis.* Sumtum a re militari, ubi vasa colligunt aut ornantes fugam aut castra mutantes. Douza.

2. *Adcubans* juxta adolescentem Callidorum, opinor, ad mensam. Vid. vs. 13.

3. *Dentatum.* Vel magnis dentibus, vel mordacem. Lamb.

Macedoniensem, qui te nunc flentem facit.
Quojam esse te vis maxume, ad eum duco te:
Callidorum haud multo post, faxo, amplexabere.
PSEUD. Quid tu intus, quæso, desedisti? quamdiu
Mihi cor retunsum'st obpugnando pectore!
SYC. Obcasionem reperisti, verbero,
Ubi perconteris me insidiis hostilibus!
Quin hinc metimur gradibus militariis.
PSEUD. Atque, edepol, quamquam nequam homo es, recte mones.
Ite hac triumphi ad cautharum recta via.

SCENA QUINTA.

BALLIO.

Ha hæ! nunc demum mihi animus in tuto est loco,
Postquam iste hinc abiit, atque abduxit mulierem.
Mihi lubet nunc venire Pseudolum, scelerum caput,
Et abducere a me mulierem fallaciis.
Conceptis, hercle, verbis satis certo scio
Ego perjurare mavellem me millies,
Quam mihi illum verba per deridiculum dare.

7. *Quid tu intus.* Lego: «Quid tu intus, quæso, desedisti tam diu? Mihi cor retunsum'st (pro *retusum est*) oppugnando pectore». Dum exspecto rectene an perperam negotium peregeris, de abducenda virgine a leuone, ita mihi palpitando cor pectus tudit, ut jam ipsum penitus retusum sit. DISSALD.

8. *Obpugnando pectore.* Cf. Aul. IV, 3, 4.

10. *Percont. me insid. hostilibus.* Scilicet me percontandi pulchra occasio est, quum prope sint hostes, qui nobis insidiari possint. N.

11. *Quin hinc metimur.* Sanum est, quod habent omnes libri: «Quin hinc metimur», nempe *viam*, et tam latinum, «Hinc metimur», quam non latinum, «Hincmet imus», quod vult Boxhornius. Porro gradus militares sunt quibus olim ex militiæ disciplina iter facere miles solebat. Horis quinque æstivis 20 millia passuum emetiri tenebatur, ut Vegetius docet. GRON.

13. *Ite*, venite. Bacch. V, 2, 67.

Nunc deridebo, hercle, hominem, si convenero.
Verum in pistrinum, credo, ut convenit, fore.
Nunc ego Simonem mihi obviam veniat velim,
Ut mea lætitia lætus promiscam siet.

SCENA SEXTA.

SIMO, BALLIO.

SIM. Viso quid rerum meus Ulysses egerit,
Jamne habeat signum ex arce Ballionia.
BALL. O fortunate, cedo fortunatam manum,
Simo! SIM. Quid est? BALL. Jam. SIM. Quid jam? BALL.
Nihil est quod metuas. SIM. Quid est?
Venitne homo ad te? BALL. Non. SIM. Quid est igitur boni?
BALL. Minæ viginti sanæ ac salvæ sunt tibi,
Hodie quas abs te inde est instipulatus Pseudolus.
SIM. Velim quidem, hercle. BALL. Roga me viginti minas,
Si ille hodie illa sit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit:
Rogato, hercle, obsecro: gestio promittere.
Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias,
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
SIM. Nullum periclum'st, quod sciam, stipularier.
Ut concepisti verba, viginti minas
Dabin'? BALL. Dabuntur. SIM. Hoc quidem actum'st haud male.
Sed hominem convenistin'? BALL. Imo ambos simul.

2. *Signum*, Phœnicium, ut olim Ulysses ex arce Trojana Palladium. Vid. Bacch. IV, 9.

7. *Abs te inde est stipulatus.* Lego: « ab te industipulatus, id est, instipulatus. SCHIV. — Vide I, 5, 122-142.

8. *Roga.* Jubet eum concepta verba pactionis dicere, i. e. dabisne viginti minas, si ille hodie illa potitus sit muliere, ut ipse respondeat: *dabo*. Vid. vs. 11-16, et Bacch. IV, 8, 37, 39. N.

14. *Nullum periclum.* Qui enim *stipulatur*, se ipse non obligat, nisi accedat *restipulatio*. PASSER.

SIM. Quid ait? quid narrat? quæso, quid dicit tibi?
BALL. Nugas theatri, verba quæ in comœdiis
Solent lenoni dici, quæ pueri sciunt:
Malum et scelestum et perjurum aibat esse me.
SIM. Pol, haud mentitu'st. BALL. Ergo haud iratus fui,
Nam quanti refert te nec recte dicere,
Qui nihili faciat, quique infitias non eat?
SIM. Quid est quod non metuas ab eo? id audire expeto.
BALL. Quia nunquam ab me abducet mulierem jam, nec potest.
Meministine tibi me dudum dicere,
Eam venisse militi Macedonio?
SIM. Memini. BALL. Hem illius servos huc ad me argentum adtulit,
Et obsignatum symbolum. SIM. Quid postea?
BALL. Qui inter me atque illum militem convenerat:
Is secum abduxit mulierem haud multo prius.
SIM. Bonan' fide istuc dicis? BALL. Unde ea sit mihi?
SIM. Vide modo ne illic sit contechnatus quidpiam.
BALL. Epistola atque imago me certum facit.
Quin jam quidem illam in Sicyonem ex urbe abduxit modo.
SIM. Bene, hercle, factum: quid ego cesso Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molarum coloniam?
Sed quis hic homo est chlamydatus? BALL. Non, edepol, scio,
Nisi ut observemus quo eat, aut quam rem gerat.

21. *Perjurum.* Mil. I, 1, 21.

23. *Nec recte dicere.* Conf. Asin. I, 3, 3.

24. *Qui nihili faciat.* Nam quid refert male dici ei qui mala verba non curet, et agnoscat?

31. *Qui inter me*, etc. Ad symbolum referatur. ERN.

32. *Haud multo prius*, quam nunc te adloquor.

33. *Unde ea*, bona fides, lenoni?

34. *Illic* Pseudolus.

37. *Bene, hercle, factum*, non laudantis est, sed lætantis formula. Pœnul. V, 5, 47.

38. *Ad molarum coloniam.* Alludit ad morem Rom. quo, qui educendi erant in aliquam coloniam, in eam nomen dabant. Sic Asinar. II, 2: « O catenarum colone! » Et *colonia* nomen passim in nostro, et apud JCtos, pro quavis etiam habitatione et conductione coloni seu domicilii sumitur. Sc. GENTIL.

SCENA SEPTIMA.

HARPAX, SIMO, BALLIO.

HARP. Malus et nequam 'st homo, qui nihili inperium heri
Sui servos facit. Nihili est autem, suum
Qui officium facere inmemor est, nisi adeo monitus.
Nam qui liberos esse inlico se arbitrantur,
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod
Habent, ii nomen diu servitutis ferunt :
Nec boni ingenii quidquam in his inest, nisi ut in-
Probis se artibus teneant : cum his mihi nec locus, nec sermo
Convenit, neque his unquam gnobilis fui.
Ego, ut mihi inperatum'st, etsi abest, heic adesse herum
Arbitror : nunc ego illum metuo, quom heic non adest,
Ne quom adsiet, metuam; ei rei operam dabo.
Nam me in taberna usque adhuc sineret Syrus,
Quoi dedi symbolum; mansi ut jusserat :
Leno ubi esset domi, me aibat arcessere :
Verum ubi is non venit, nec vocat, venio huc ultro,

1. *Malus et nequam*, etc. Haud semel Plautinos servos audias sapienter, quid servile ferat officium, edissereutes. Vid. Aul. IV, 1; Menæchm. V, 6, et Most. IV, 1.

6. *Lustrantur. Lustro, lustronis*, est qui in lustris patrita et avita absumit. Nævius : « Pessumorum pessume, audax, ganeo, lustro, aleo ». Et verbum *lustrari*, Lucil. « Quem sumlum facis in lustris circa oppida lustrans ». Et *lustramentum* apud JCtum ἀσέλγεια, ἀρρεδισιασμός. SCAL. — *Comedunt quod habent*. Non est necesse mutari distinctionem, et referri id *quod habent* ad sequens *nomen*. Servi comedunt quod habent, dum peculium suum tuburcinantur. SALM.

8. *Nec boni ing. quidq.* neque industria valent, nisi ut, etc.

10. *Gnobilis*. Vide supra sc. 2, vs. 9, 39.

14. *Sineret* desidere, nisi ultro officium capesserem. — *Syrus*. Vide supra II, 2, 42.

Ut sciam quid rei siet; ne illic homo me ludificetur.
Neque quidquam 'st melius, quam ut hoc pultem, atque aliquem
Evocem huc intus. Leno argentûm hoc volo a me adcipiat,
Atque amittat mulierem mecum simul.
BALL. Heus tu? SIM. Quid vis? BALL. Hic homo meu'st. SIM. Quîdum? BALL. Quia
Præda hæc mea'st : scortum quærit, habet argentum.
Jam admordere hunc mihi lubet.
SIM. Jamne illum comesurus es? BALL. Dum recens est,
Dum datur, dum calet, devorari decet : nam
Boni viri me pauperant, inprobi alunt,
Augent rem meam mali ; populi strenui
Damno mihi, inprobi usui sunt. SIM. Malum,
Quod tibi dei dabunt, qui sic scelestus!
HARP. Me nunc conmoror, quom has foreis non ferio,
Ut sciam sitne Ballio domi. BALL. Venus mihi hæc
Bona dat, quom hos huc adigit lucrifugas, damni
Cupidos, qui se suamque ætatem bene curant;
Edunt, bibunt, scortantur : illi sunt alio ingenio atque tu,

20. *Intus*. Amph. II, 2, 138.

21. *Amittat*, emittat, dimittat.

26. *Dum datur*, sese offert.

28. *Populi*. Nunc in mente non nationes, sed homines habet. Ut dicimus gallice, *ce monde-là*, Germani *leute*. — *Strenui*, i. e. gnavi, rei bene gerendæ studiosi. N.

29. *Damno mihi*. Tò *damno* supplementum est Camerarii. Gruterus pro eodem facit *inusui*. Neutrum in scriptis ullis aut editis antiquis repererunt. Acad. « populi strenui mihi improbi usui sunt ». Nos distinctionem modo et literam mutamus unam : imo si grave est, ne literam quidem : « Bono viri me pauperant, improbi alunt, Augent rem meam : malo populi strenui mihi, improbi usui sunt ». Potes et eadem interpunctione : « mali populi strenui ». Strenui, inquit, mihi sunt mali, i. e. inutiles et non boni : improbi mihi sunt usui. GRON.

34. *Ætatem*, i. q. vitam. Bene curare vitam est idem quod dicunt vivere peculiari sensu, sicut Catullus : « Vivamus, mea Lesbia ». Et Horat. Epist. I, 4 : « Me pinguem et nitidum in bene curata cute vises ». N.

Qui neque tibi bene esse patere, et illis, quibus est, invides.

HARP. Heus, ubi estis vos? BALL. Hic quidem ad me recta habet rectam viam.

HARP. Heus, ubi estis vos? BALL. Heus, adulescens, quid isteic debetur tibi?

Bene ego ab hoc prædatus ibo; gnovi, bona scæva est mihi.

HARP. Ecquis hoc aperit? BALL. Heus, chlamydate, quid isteic debetur tibi?

HARP. Ædium dominum lenonem Ballionem quærito.

BALL. Quisquis es, adulescens, operam fac conpendi quærere.

HARP. Quid jam? BALL. Quia te ipsus coram præsens præsentem videt.

HARP. Tun' is es? SIM. Chlamydate, cave, sis, tibi a curio infortunio,

Atque in huuc intende digitum; hic leno est. BALL. At hic est vir probus.

39. *Bona scæva.* « Scævum a Græcis; qui scævum dicunt sinistrum. Varro: ... ne quid obsit bonæ scævæ causa. Inde Scævola appellatus a sinistra, quod quæ sinistra sunt, bona auspicia esse existimantur, a quo dicuntur comitia, aliudve, quod sit ave sinistra, scæva ». Festus. Vid. Epid. II, 2.

42. *Fac conpendi.* Conf. Bacch. II, 2, 6.

44. *A curio infortunio.* Non probo *crucio infortunio* legi pro *curio*. Nec enim verisimile videtur, vocem adeo notam mutatam fuisse a correcturibus in eam quæ difficilioris esset intellectus. *Curius* a cura. Ita *agnum curionem* supra dixit pro macro, quia præ curis emaciantur homines. Ita hoc loco *curium infortunium* dixit, quo macer reddi possit iste, qui tam sollicite quæreret, ubi esset Ballio leno. SALM. —Si *curio* pro *cyrio* scriptum auspicari liceat, ut fuit *Sulla* pro *Sylla*, vox κύριος venerit in mentem; κυρίως ἀτυχεῖν idem sonet quod « solidum infortunium », de quo vid. Mercat. I, 1, 21. Ita Plautus facit « basilicus, graphicus, morus », et infra V, 1, 23, *prothyme.* N.

45. *Digitum.* Martial. Epigr. II, 28: « Rideto multum, qui te, Sextille, cinædum, Dixerit, et digitum porrigito medium ». Idem VI, 70: « Ostendit digitum, sed impudicum, Alconti, etc. » Juvenalis: « quum Fortunæ ipse minaci Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem ». Aliquem deridere. GRONOV. — *At hic*, Harpax. Le-

Sed tu, bone vir, flagitare sæpe clamore in foro,
Quom libella nusquam'st, nisi quid leno hic subvenit tibi.
HARP. Quin tu mecum fabulare? BALL. Fabulor : quid vis tibi?
HARP. Argentum adcipias. BALL. Jamdudum, si des, porrexi manum.
HARP. Adcipe: heic sunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ.
Hoc tibi herus me jussit ferre Polymachæroplacides,
Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phœnicium.
BALL. Herus tuus? HARP. Ita dico. BALL. Miles? HARP. Ita loquor. BALL. Macedonius?
HARP. Admodum, inquam. BALL. Te ad me misit Polymachæroplacides?
HARP. Vera memoras. BALL. Hoc argentum ut mihi dares? HARP. Si tu quidem es
Leno Ballio. BALL. Atque ut a me mulierem abduceres?
HARP. Ita.
BALL. Phœniciumne esse dixit? HARP. Recte meministi. BALL. Mane;
Jam redeo ad te. HARP. At maturate propera: nam propero; vides
Jam die multum esse? BALL. Video; hunc advocare etiam volo.
Mane modo isteic, jam revortar ad te. Quid nunc fiet, Simo?
Quid agimus? manifesto hunc hominem tenco, qui argentum adtulit.

no palpatur alliciendo hospiti. N.

46. *Flagitare*, flagitaris clamore, convicio creditum repetentium.

59. *Die*. Hæc locutio valde antiquis familiaris: « dies multum præteriit: jam diei multum est », Græci πολλὸν τῆς ἡμέρας. *Die*, ἀρχαϊκὸν pro diei. Ut apud poetam : « Libra die somnique pares ». Et alio loco, « lætitiamque die ». SALM. — *Hunc*, Simonem. — *Advocare* in consilium. Bacch. II, 3, 28.

61. *Quid agimus?* Mostell. II, 1, 21. — *Qui arg. adt.* Vid. vs. 66.

SIM. Quid jam? BALL. An nescis quæ sit hæc res? SIM. Juxta cum ingnarissumis.
BALL. Edepol, hominem verberonem Pseudolum : ut docte dolum
Conmentu'st! tantumdem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret.
Pseudolus tuos adlegavit hunc, quasi a Macedonio
Milite esset. SIM. Habesne argentum ab homine? BALL. Rogitas, quod vides?
SIM. Heus, memento ergo dimidium isthinc mihi de præda dare :
Conmune istuc esse oportet. BALL. Quid, malum? id totum tuum'st.
HARP. Quam mox mihi operam das? BALL. Tibi do equidem : quid nunc mihi es auctor, Simo?
SIM. Exploratorem hunc faciamus ludos subpositītium.
BALL. Adeo, donicum ipsus sese ludos fieri senserit,
Sequere. (Ad Harpagem.) Quid ais? nempe tu illius servos es? HARP. Planissume.
BALL. Quanti te emit? HARP. Suarum in pugna virium victoria.
Nam ego eram domi inperator summus in patria mea.
BALL. An etiam ille unquam expugnavit carcerem, patriam tuam?

62. *Juxta c. ingnarissumis.* Æque nescin ac ignarissimi. Vide Aulul. IV, 7.

69. *Quid, malum?* Jocus. *Malum* interjectiva particula, in indignatinne soleunis : sed et damnum et crnciatum nutat : dumque hoc dicere videtur : Quid adeo commune lucrum istuc postulas? totum id quidem est tuum : illnd interim dicit : Quid commune tibi postulas mecum? Malum? id vero totum tuum sit : nec mihi partem inde peto. ACIDAL. — Hanc nolui docti viri prælerire commentatinnem. Quæ tamen mihi nimium intelligere videtur, adeo ut prave intelligat. Vide quid compacti sint sc. sup. vs. 8 sqq. N.

71. *Faciamus ludos.* Cf. Captiv. III, 4, 47.

72. *Adeo.* Aulul. IV, 2. 16.

73. *Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7. — *Illius*, militis.

HARP. Contumeliam si dices, audies. BALL. Quotumo die
Ex Sicyone huc pervenisti? HARP. Altero ad meridiem.
BALL. Strenue, me hercle, isti. Quamvis pernix hic est homo!
Ubi suram adspicias, scias posse eum gerere crassas compedes.
Quid ais? tune etiam cubitare solitus es in cunis puer?
SIM. Scilicet. BALL. Etiamne facere solitus es? scin' quid loquar?
SIM. Scilicet solitum esse. HARP. Sanine estis? BALL. Quid hoc, quod te rogo?
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebatne in vaginam tuam machæra militis?
HARP. I in malam crucem. BALL. Ire licebit tibi tamen hodie tempori.
HARP. Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? BALL. Mane.
HARP. Quid, maneam? BALL. Chlamydem hanc conmemores quanti conducta'st. HARP. Quid est?

78. *Altero ad meridiem.* Uno die integro et dimidio.

79. *Quamvis.* Cf. Menæchm. II, 2, 43.

81. *In cunis puer.* Hæc partim male corrigunt, partim non bene intelligunt docti viri: nec enim obscœnitatis significatio in eo est, quod *cunæ* vocabulum alludat ad eam vocem quæ honeste nominari non potest, qua feminæ sunt; sed ad solam cunarum motitationem respicit comicus: « tune etiam cubitare solitus es in cunis puer? » id est, « tune etiam moveri solitus es? » hoc est, κινεῖσθαι· quo sensu κινεῖν Græci accipiant, solos eos latet, qui græca vel primoribus labris nondum attigerunt. SALM.

82. *Etiamne facere solitus es?* Maluissem: « Scilicet. BALL. Etiamne solitus es puer? scin' quid loquar? » neque enim pueri meritorii faciunt, sed patiuntur: ignorataque vis illius *solitus.* Ab eadem mente, *consuetum puerum*, quoque vocat Plaut. Asin. III, 3, 113, et Lucret. *canes consuetos*, absolute, sine præterea verbo; exemplo eodem, sensu alio: « At consueta domi catulorum blanda propago, etc. » GRUT.

83. *Scilicet.* Asin. IV, 1, 42. — *Quid hoc te rogo?* Hoc quoque roganti responde.

85. *Conveniebatne.* Cato cap. 21: « Eo fistulam ferream indito, quæ in columellam conveniat et in cupam ». Κουλεὸς, *vagina.* Et sane pars illa in nobis, quæ honeste nominari non potest, inde dicta est: quo Plautus alludere videtur. SCAL.

86. *Tempori*, mox.

SIM. Quid meret machæra? HARP. Helleborum hisce hominibus est opus.

BALL. Eho! HARP. Mitte. BALL. Quid mercedis petasus hodie domino demeret?

HARP. Quid, domino? quid somniatis? mea quidem hæc habeo omnia,

Meo peculio emta. BALL. Nempe quod femina summa sustinent.

HARP. Uncti hi sunt senes, fricari sese ex antiquo volunt.

BALL. Responde, obsecro, hercle, hoc vero serio, quod te rogo:

Quid meres? quantillo argento te conduxit Pseudolus?

HARP. Qui istic Pseudolu'st? BALL. Præceptor tuus, qui te hanc fallaciam

Docuit, ut fallaciis hinc a me mulierem abduceres.

HARP. Quem tu Pseudolum, quas tu mihi prædicas fallacias?

Quem ego hominem nullius coloris gnovi. BALL. Non tu istinc abis?

Nihil est hodie hic sycophantis quæstus: proin' tu Pseudolo

89. *Quid meret*, quo pretio conducta ad utendum.

92. *Meo peculio.* Ad eam rem dictum etiam in Phallicis: « Pulcre pensilibus peculiati ». Petronius in Satyrico Massiliensi: « prolatoque peculio stuprum rogare cœpit ». In vita Heliogabali leguntur: « homines bene vasati et majoris peculii ». *Vasa* quoque in eam partem dicebant. Unde *vasati* Lampridio, qui in Phallicis *bene peculiati*. SCALIG. — *Femina summa sustinent*: ut me breviter absolvam; *femina* hic non mulierem, sed *femora* significant: quod quum non intellexissent nonnulli, *sustinent* in *sustinet* perperam mutarunt. Quam quidem corporis partem summa sustinent femina, nemo dubitat. CANTER.

93. *Uncti sunt, fricari volunt.* Proverbium conveniens in eos qui per lasciviam ultro sibi malum arcessunt, seu jocularium in malum propria inquietudine incidunt. GRONOV.* — *Ex antiquo*, jamdiu, itaque moræ impatientes.

99. *Nullius col. gnovi.* Qui homo mihi plane est ita ignotus, ut id, quod nullo colore præditum est. Phædr. Fab. 54, lib. III: « Unde illa scivit, niger an albus nascerer? » Apul. in Apolog. « Etiam li-

Nunties, abduxisse alium prædam, qui obcurrit prior
Harpax. HARP. Is quidem, edepol, Harpax ego sum. BALL. Imo, edepol, esse vis.
Purus putus hic sycophanta est. HARP. Ego tibi argentum dedi,
Et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo,
Heri imagine obsignatam epistolam, heic, ante ostium.
BALL. Meo tu epistolam dedisti servo? quoi servo? HARP. Syro.
BALL. Non confidit : sycophanta hic nequam 'st; nugas meditatur male :
Nam illam epistolam ipsus verus Harpax huc ad me adtulit.
HARP. Harpax ego vocor; ego servos sum Macedonis militis :
Ego nec sycophantiose quidquam ago, nec malefice,
Neque istum Pseudolum mortalis qui sit gnovi, neque scio.
SIM. Tu, nisi mirum'st, leno, plane perdidisti mulierem.
BALL. Edepol, næ istuc magis magisque metuo, quom verba audio.
SIM. Mihi quoque, edepol, jamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui hoc adcepit: mira sunt! Pseudolus est. Eho,
Tu! qua facie fuit dudum, quoi dedisti symbolum?
HARP. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum

benter te, nuper usque albus an ater esses, ignorsvi » : quod summi contemtus indicium. GRON.

107. *Non conf.* non usque audax est et imperterritus. Vulgo, *nugis meditatur male.* Nescio an sit latinum *nugis meditari* : mihi sine exemplo est. Nisi velis ita dictum *nugis meditari*, ut curare amicis, curare rebus alienis, quod alibi annoto. Certe nihil nos vetat legere *nugas meditatur male*. Ait non esse satis confidentem, ut probum sycophantam decet, eumque male meditatas nugas proferre. DISSALD. — *Nugis meditatur male.* Videtur scribendum : « Sycophanta hic nequam est, nugax, meditatus male ». Non bene edoctus suas partes. Pers. IV, 2 : « Satin' estis meditati »; V, 4 : « tragici atque comici Nunquam æque sunt meditati ».

Magnis pedibus. SIM. Perdidisti, postquam dixisti pedes.
Pseudolus fuit ipsus. BALL. Actum 'st de me: jam morior, Simo.
HARP. Hercle, haud te siuam emoriri, nisi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. SIM. Atque etiam mihi aliæ viginti minæ.
BALL. Auferetur id præmium a me, quod promisi per jocum?
SIM. De inprobis viris auferri præmium et prædam decet.
BALL. Saltem Pseudolum mihi dedas. SIM. Pseudolum ego dedam tibi?
Quid deliquit? dixin', ab eo tibi ut caveres, centies?
BALL. Perdidit me. SIM. At me viginti modicis mulctavit minis.
BALL. Quid nunc faciam? HARP. Si mihi argentum dederis, te suspendito.
BALL. Di te perdant: sequere, sis, me ergo hac ad forum, ut solvam. HARP. Sequor.
BALL. Hodie ego peregrinos absolvam, cras agam cum civibus.

Aut, si malis, « nugas meditatus male ». GRUN.

119. SIM. *Perdidisti, postquam.* Hoc cum tutu sequente versu Balliuni dandum. SCRIVER. — Hæc ad alium transcribi nun upus est, siquidem Harpagem alloquutus Simo: perdidisti (Ballionem), inquil, effecisti, ne nun possit esse sua illi pernicies, quum argumentu manifestu Pseudolum moustrasti. Si autem nunnullis fides adhibenda sit, suam ipse adumbraverit Plautus hanc imaginem. Quam tamen non adeo leporibus et venustate insignitam upinor, ut maudandam posteris, si fuisset ea similitudo, studiose curaret. N.

122. *Quod promisi per jocum.* Jus civile stipulationes introduxit, et ex stipulatu actiunes: ideoque stipulationes omnes fere ipso jure sic ex interrogatione et responsione subsistere intelligebantur, ut ad obligatiunem, etiam jocaudi animo essent interpositæ, ipso jure prodessent. RÆV.

123. *Præmium.* Cf. Men. I, 2, 26.

127. *Modicis*, i. e. justi modi. Hæc ridicule dicit. Lambinus mutavit ex ingeniu *commodis*, quod postea vulgu sequuti sunt. Boxhornius tristius quam ipse Simu rem accipere nobis videtur, quum censet scribendum *immodicis*, siquidem nun modicam existimet mulctam mulctatus. N.

128. *Si mihi*, etc. Postquam reddideris argentum, te suspendito, si voles.

Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie adlegavit, mulierem qui abduceret.
Sequere tu. Nunc ne exspectetis dum hac domum redeam via.
Ita res gesta'st : angiporta hæc certum'st consectarier.
HARP. Si graderere tantum, quantum loquere, jam esses ad forum.
BALL. Certum'st mihi emortualem facere ex natali die.

SCENA OCTAVA.

SIMO.

Bene ego illum tetigi, bene autem servos inimicum suum,
Nunc mihi certum'st, alio pacto Pseudolo insidias dare,
Quam in aliis comœdiis fit, ubi cum stimulis aut flagris
Insidiantur : at ego jam inultus promam viginti minas,
Quas promisi, si ecfecisset; obviam ei ultro deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis vorsutus, nimis malus,
Superavit Dolum Trojanum atque Ulyssem Pseudolus.
Nunc ibo intro, argentum promam; Pseudolo insidias dabo.

131. *Centuriata habuit*, etc. Significat Pseudoli consilia omnibus artibus fuisse instructissima et callidissima. Alludit ad *comitia centuriata*, quæ erant omnium maxima. *Curiata* enim et *tributa* erant minora. LAMB. — Me ad exitium adegit, morte damnavit. Conf. Aul. IV, 7, 20.

133. *Ne exspectetis*. Hæc ad spectatores. Sic Terent. Andr. V, 6, 16.

134. *Angiporta*. Hoc angiportum et hic angiportus dicebant. In angiportis erant posticæ domuum januæ, hortorum maceriæ.

2. *Alio pacto Pseudolo insidias dare*, opperiri, parare me ad excipiendum Pseudolum, ubi redierit.

6. *Malus*. Sup. IV, 1, 5.

7. *Superavit Dolum Trojanum*. *Dolum*, id est, Dolonem. Sic *Tranium* dixit pro *Tranionem* Mostell. I, 3, et *Electri* pro *Electrionis* Prologo Amphitruonis. Quod sic accipiendum, ut per Dolonem Ballio intelligatur, per Ulyssem Simo. Quemadmodum enim Dolo speculator in castra Græcorum missus, ab Ulysse, qui et ipse speculatum venerat, interfectus est; sic et Ballio a Simone factus. DOUZA. — Nonne per hendyadin : « dolum Ulyssis adversus Trojam? » Sic Bacchid. IV, 8, Chrysalus semet Ulyssi comparat.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS.

Quid hoc? siccine hoc fit? pedes, statin' an non?
An id voltis, ut me heic jacentem aliquis tollat?
Nam, hercle, si cecidero, vostrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? ah, sæviundum mihi
Hodie 'st. Magnum hoc vitium vino 'st,
Pedes captat primum : luctator dolosu'st.
Profecto, edepol, ego nunc probe abeo madulsa :
Ita victu excurato, ita munditiis digne, ah!
Itaque in loco festivo sumus festive adcepti.
Quid opus me multas agere ambages? hoc
Est homini quamobrem vitam amet, heic omneis
Voluptates, in hoc omneis venustates sunt,
Deis proxumum esse arbitror: nam ubi amans conplexu'st

1. *Siccine hoc fit?* Lepida ebrioli objurgatio adversus vacillantes pedes. N.

4. *Pergitin' pergere?* vultisne prorsus ingredi? — *Ah, sæviundum mihi Hodie 'st.* Frustra est Boxhornius, qui, quum Roverii codex quidam det *sedendum*, inde effinxerit *sed eundum*. Camerarii exemplaribus vera sententia præbetur, ebrium istum sævire in pedes suos voluisse, quia officium suum facere nollent. Sæviunt etiam qui verbis atrocibus et immoderatis in aliquem utuntur. « Ne sævi, magna sacerdos » apud Virgilium. Satis bene conveuit hæc oratio ebrioso, et mentis suæ impoti. Salm.

7. *Abeo madulsa.* Festus : « Madulsa, ebrius, a græco μαδᾶν deductum, vel quia sit madidus vino ». Si hoc recte Festus, quis hærebit quin recta mea correctio sit : « probe habeo madulsa! » *Probe habeo*, id est, pulchre mihi est: vel etiam, « Ab eo madulsa ». Lips.

Amantem, ubi labra ad labella adjungit,
Ubi alter alterum bilingui manifesto
Inter se prehendunt, ubi mamma manicula
Obprimitur alia; aut si lubet, corpora
Conduplicant. Manu candida cantharum dulciferum
Propinare amicissumam amicitiam; neque ibi esse alium alii
Odio, ibi nec molestum, nec sermonibus morologis uti;
Unguenta, atque odores, lemniscos, corollas dari dapsileis.
Non enim parcipromi victu cætero, ne quis me roget.
Hoc ego modo, atque herus minor hanc diem sumsimus prothyme,
Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hostibus fugatis:

16. *Manicula*. Nihil certius quam aut *mammicula*, aut *mammillula*, quæ duo idem significant, hic esse reponendum. Dulce est, inquit, ibi esse, ubi Veneris frequentantur complexus, ubi mamma alia mammillula suaviter premitur. Boxh. — Nihil puto mutandum: nihil notius in istis amantium nequitiis, quam mammillarum *oppressiunculæ* et pertractationes. Apud Apollon. de Jasone et Medea: καλὰ μεμαρπὼς στήθεα παρθενικῆς. At si legitur: « mamma mammillula opprimitur alia », hæc esset conduplicatio corporum, de qua statim sequitur: « aut si lubet, corpora conduplicant ». Salm.

18. *Manu candida*. Hæc veterum librorum scriptura est, quam non debuerant mutare viri docti. Constructio est et ordo: cantharum dulciferum candida manu propinare amicissimam salutem. Sententia est: Diis proximum esse arbitror, ibi esse, ubi cantharus dulcifer candida manu propinat amicissimam salutem. Non ergo necesse erat hic hærere. Boxh. — Difficile est retrahere hanc orationem ad ea quæ longo jam intervallo absunt: « Deis proxumum esse arbitror ». Et nimiæ diligentiæ esset, sermonem madidi hominis ad normam exigere. Non ægre inducar haud absolutam orationem, qualis qualis labitur, admittere, intellecto quod in mente paulo turbidiore fortasse habebat, scilicet « hoc est venustissimum », aut aliquid simile. N.

21. *Lemniscos*. « Lemnisci sunt fasciolæ purpureæ dependentes ex coronis. Solebant enim veteres coronas fasciis laneis ex purpura alligatas donare ». Fest.

22. *Non enim parcipromi* fuimus, *victu cætero*, scilicet eduliis, nam memoravit adhuc vinum et ornatum convivalem. — *Ne quis roget*, quam multa et qualia pulpamenta degustaverimus. N.

23. *Prothyme*, lubenter.

Illos adcubanteis, potanteis, amanteis, cum scortis
Reliqui, et meum scortum ibidem, cordi atque animo suo
Obsequenteis : sed postquam exsurrexi, orant med uti saltem.
Ad hunc me modum intuli, ut illis satisfacerem ex disciplina, quippe ego
Qui probe Ionica perdidici ; sed palliolatim amictus
Sic hac incessi ludibundus : plaudunt partim; clamitant me ut revortar.
Obcepi denuo hoc modo volvi : idem amicæ dabam me meæ,
Ut me amaret : ubi circumvortor, cado : id fuit nænia ludo.
Itaque dum enitor, pax ! jam pæne inquinavi pallium : nimiæ tum
Voluptati, edepol, fui ob casum; datur cantharus, bibi : conmuto
Inlico pallium, illud posivi : inde huc exii, crapulam dum amoverem.

25. *Illos*, Callidorum et Charinum.

27. *Uti saltem*. Saltare in convivio ebriosorum fuit. Cicero indignabunde crimen a Dejotaro depellit quod potus exuta veste saltavisset. N.

28. *Ad hunc modum*. Videlicet saltandi exemplum edebat.

29. *Ionica*. Vid. Stich. V, 7. — *Palliolatim*. Tunica palliolata mixtum est genus vestis, et formam quodammodo referens et usum præstans duarum, tunicæ et pallii. Utraque vestis tam muliebris quam virilis. Quæ non male pallæ manicatæ dicuntur, quibus matronæ domi utuntur, et *mantelia cubicularia* vocant. Casaub.

31. *Obcepi denuo*. De saltatione servum agere apparet, quam a se instauratam ait flagitatione sodalium, et ut amicæ suæ bellus amasius videretur. Ea causa non dubium mihi, quin recte correxerim : « Obcepi denuo hoc modo volvi ». J. Gul. — *Volvi*, Homericum κυλινδεῖσθαι.

32. *Id fuit nænia ludo*. Inepti sunt interpretes, qui Pseudolum hoc velle volunt : is casus cantus et carminis vicem fuit. Imo hoc vult : is casus huic ludo meo finem fecit. Notum est, næniam cani solitam iis, qui finierant vitam. Inde tracta loquendi ratione, hic nænia ludi esse dicitur ludi finis. Boxh.

33. *Pax*. Vid. Mil. III, 1, 211.

34. *Voluptati ... ob casum*. Magna hilaritas ex meo casu orta est.

Nunc ab hero ad herum meum majorem venio fœdus conmemoratum.

Aperite, aperite, heus! Simoni me adesse quis nuntiate.

SCENA SECUNDA.

SIMO, PSEUDOLUS, BALLIO.

SIM. Vox viri pessumi me exciet foras : sed quid hoc? quo modo? quid tu? video ego?....

PSEUD. Cum corona ebrium Pseudolum tuum. SIM. Libere, hercle, hoc quidem : sed vide statum!

Num mea gratia pertimescit? magis cogito, sæviter blanditerne adloquar.

Sed hoc me vetat vim facere nunc, quod fero, si qua in hoc spes sita'st mihi.

PSEUD. Vir malus viro optumo obviam it. SIM. Di te ament, Pseudole : phui! in malam crucem.

PSEUD. Cur ergo me adflictor? SIM. Quid tu, malum, ergo in os mihi ebrius inructas?

PSEUD. Molliter siste nunc me, cave ne cadam : non vides me ut madide madeam?

36. *Fœdus conmemoratum.* Fœdus, stipulatio est. *Conmemorare* valet commonefacere, in memoriam revocare. ACID. — Admonitum, quod ex pacto debeat. Sed dictione utitur magnifica. Tacit. Annal. II: « Inter quæ ab rege Parthorum Artabano legati venere : miserat amicitiam ac fœdus memoraturos ». Idem lib. IV : « Antequam arma inciperent, misere legatos amicitiam fœdusque memoraturos ». GRONOV.

37. *Quis.* Menæchm. IV, 2, 111.

1. *Quid tu? Video ego?* Lege : « quo modo? quid? ten' video ego? » quomodo hic homo adstat coronatus? quid fit? tene ego video? tune es, Pseudole, qui corona ornatus es? BOXH.

2. *Cum corona.* Vid. Amph. III, 4, 16. — *Libere, hercle.* Quasi diceret, coronatus tu, quasi jam manu emissus : nam manumissos coronatos disertim affirmat Tertull. c. 13. GRON.

3. *Mea gratia*, me aspiciens.

4. *Si qua in hoc spes.* Si forte aliquid ex pecunia promissa recipere possim, aut servare. TAUBM.

SIM. Quæ ista hæc audacia'st, te sic interdius cum corolla ebrium incedere? PSEUD. Lubet.
SIM. Quid, lubet? pergin' ructare in os mihi? PSEUD. Suavis ructus mihi est, sic sine modo.
SIM. Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrumos quatuor
Fructus ebibere in hora una. PSEUD. Hiberna, addito. SIM. Haud male mones :
Sed dic tamen, unde onustam celocem agere te prædicem? PSEUD. Cum tuo filio
Perpotavi modo : sed, Simo, ut probe tactus Ballio'st ! quæ tibi dixi, ut
Ecfecta reddidi! SIM. Derides? pessumus homo est. PSEUD. Mulier hæc
Feci cum tuo filio libera adcubet. SIM. Omnia, ut quidque egisti ordine,
Scio. PSEUD. Quid ergo dubitas dare mihi argentum? SIM. Jus petis, fateor.
Tene. PSEUD. At negabas daturum esse te mihi, tamen das : onera hunc hominem, atque me

11. *Fructus*, vindemias. — *Hiberna*, scil. hora : quæ brevissimæ sunt. Atque ita strennior essem potor. Cæl. Rhodig. Lect. Antiq. lib. XII, cap. 9. ERN.

12. *Onustam celocem*. Quod ἀναβάλλειν esset onus imponere et onerare, hinc elegauti tralatione de bibulis dicitur, qui celocem onerant et vino se implent. Inde *celocem onerare*, pro inebriare sese, dixit hoc loco comicus. Hinc ἀναβάλλουσα mulier, quæ celocem libenter saburrat, bibula nempe et multibiba. Vide Milit. IV, 1, 40. SALMAS.

15. *Ordine*. Captiv. II, 3, 17.

17. *Onera hunc hominem*. Lambini expositio non convenit. Jam enim dederat argentum senex illo verbo : *Tene*. Volt Pseudolus Ballioni, quem nunc conspicatur, ab hero illudi, et maledictis, aut alia re mala onerari. Mercatore : « quibus est dictis dignus, oneremus usque ambo ». Ita, *Consequere hac*, scil. ad Ballionem, ad quem ibat. PIST. — Sensus quem Pistoris comminiscitur, non constabit, nisi suppl. *maledictis* vel quid simile. Præterea non vides convicii quidquam neque a Simone, neque a Pseudolo Ballioni geri. Sententia erit igitur crumenam ipse collocato in me. — *Hunc hominem* i. q. me. Bacch. IV, 4, 1. Aristoph. Nub. 1214 :

Consequere hac. SIM. Ego istum onerem? PSEUD. Onerabis, scio. SIM. Quid ego huic homini faciam?
Satin' ultro et argentum aufert, et me inridet? PSEUD. Væ victis! SIM. Vorte ergo humerum.
Hem! BALL. Hoc ego nunquam ratus sum fore, me ut tibi fierem subplex.
Heu heu heu! PSEUD. Desine. BALL. Doleo. PSEUD. Ni doleres tu, ego dolerem.
BALL. Quid hoc? auferrene, Pseudole, abs tuo hero? PSEUD. Lubentissumo corde atque animo.
BALL. Non audes, quæso, aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti?
PSEUD. Gnovi, me dices avidum esse : nam hinc nunquam eris numo divitior.
Neque te mei tergi misereret, si hoc non hodie ecfecissem.
BALL. Erit ubi te ulciscar, si vivo. PSEUD. Quid minitare? habeo tergum.
BALL. Age sane. PSEUD. Igitur redi. BALL. Quid redeam? PSEUD. Redi modo, non eris deceptus.
BALL. Redeo. PSEUD. Simul mecum potatum. BALL. Egone eam? PSEUD. Fac quod te jubeo.
Si is, aut dimidium, aut plus etiam, faxo, hinc feres. BALL. Eo, duc me quo vis. PSEUD. Quid nunc?

Εἴτ' ἄνδρα τῶν αὑτοῦ τί χρὴ προϊέναι; Soph. Phil. vs. 30 : Φίλου μετ' ἀνδρὸς τοῦδε τῆσδ' ἐκπλεῖν χθονός. Id. Trach. vs. 1138 ed. Both. : τῷδε τἀνδρὶ σύμμαχον. Conf. Herod. I, 108. Viginti item minæ in collo feruntur, Asin. III, 3, 67. Qnod autem servus ab hero sibi collocari plane in collo pecuniam, quam evicit, hæc mera est procacitas, qna se inrideri Simo fatetur. Et « quid huic homini faciam? » exclamatio est jocose irascentis Pseudolo. N.

19. *Vorte ergo humerum.* Hæc perperam in vulgatis Psendolo attribuuntur. Editor Bipontinus hæc Simoni convenire vidit facienti quod servus jusserat. N.

21. *Ni doleres tu*, etc. Nisi te Phœnicio intervortissem, quod promiseram Simoni, in pistrinum conditus essem. TAUBM.

23. *Non audes.* Sup. I, 1, 76.

26. *Si vivo.* Bacch. IV, 6, 6.

Numquid iratus es aut mihi, aut filio, propter has res, Simo? SIM. Nihil profecto.
PSEUD. I hac. BALL. Te sequor. Quin vocas spectatores simul? PSEUD. Hercle, me isti
Haud solent vocare, neque ergo ego istos. Verum si voltis adplaudere
Atque adprobare hunc gregem et fabulam, in crastinum vos vocabo.

31. *Vocas.* Menaechm. III, 1, 11.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

RUDENS[1]

(1) Vid. IV, 3, 1.

DRAMATIS PERSONAE.

ARCTURUS, prologus.
SCEPARNIO, servus.
PLEUSIDIPPUS, adolescens.
DÆMONES, senex.
PALÆSTRA, } mulieres.
AMPELISCA, } mulieres.
SACERDOS, anus.
PISCATORES.
TRACHALIO, servus.
LABRAX, leno.
CHARMIDES, parasitus.
LORARII.
GRIPUS, piscator.

RES AGITUR CYRENIS.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

RETI piscator de mari extraxit vidulum,
Ubi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ subrepta venerat.
Ea in clientelam suipte inprudens patris
Naufragio ejecta devenit: congnoscitur,
Suoque amico Pleusidippo jungitur.

ALIUD ARGUMENTUM

CAMERARII.

Nomen fabulæ ex re inditum. Introducitur enim piscator, qui in mari cepisset vidulum. Funes autem nauticos atque omnino grandiores, rudentes dixere, sive a strepitu, seu aliunde. Argumentum tale est. Amiserat parvulam filiam civis quidam Atheniensis, ea venierat lenoni Cyrenensi. Pater hujus, injuriis civium suorum ad inopiam redactus, Athenis sese Cyrenas contulit. Puellam Atticam amat adolescens, et redimere vult: sed leno spe majoris lucri clanculum in Siciliam avehere illam parat. Navi autem fracta, hæc et altera quædam, conserva ipsius, ad litus Cyrenaicum in scapha referuntur; et leno rejicitur fluctibus; omnibus, quæ secum auferre voluerat, bonis amissis. Repertas autem puellas ad fanum Veneris abducere vult. Quibus senex ille Atticus opem fert, ignarus adesse filiam suam. Supervenit adolescens, lenonem in jus rapit. Senex filiam cognoscit de crepundiis inditis in vidulum, quem servus senis illius de mari extraxerat captum reti. Tum prospera contingunt omnibus omnia. Uxorem ducit puellam amatam adolescens; lenoni pecunia redditur, et piscatori conciliatur libertas.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
RUDENS.

ARCTURUS*
PROLOGUS.

Qui genteis omneis, mariaque et terras movet,
Ejus sum civis civitate cælitum.
Ita sum, ut videtis, splendens stella candida,
Signum quod semper tempore exoritur suo,
Heic atque in cælo : nomen Arcturo'st mihi.
Noctu sum in cælo clarus, atque inter deos :
Inter mortaleis ambulo interdius.
Et alia signa de cælo ad terram adcidunt.

* *Arcturus* proprie dicitur ad femur seu coxam Bootæ, quem et ἀρκτοφύλακα nominant : stella clara tempestatem ciens occasu suo, qui est autumnalis. Est et hiemalis vespertinus. CAMER.

2. *Ejus*, Jovis.

4. *Tempore suo.* Diebus XI ante æquinoctium autumnale : sic quidam ; verum ego simpliciter intelligo de tali ortu, quo per vices nunc in cælo, nunc in terra adsit. ACIDAL.

5. *Heic.* Explicat vss. 7 sqq.

8. *Et*, quoque. — *Ad terram adcidunt.* Dicit : alia etiam signa idem munus habere, ut noctu quidem in cælo luceant, interdiu autem in terra obambulent, et facta hominum annotent, etc. alludit scilicet ad opinionem communem, quæ obtinet cæteros Deos de die cælum fere tenere, de nocte vero versari in terris : ergo quidquid die noctuque fit in orbe universo a mortalibus, minime latet cælestes : quare

Qui est inperator divom atque hominum Jupiter,
Is nos per genteis alium alia disparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem et fidem
Gnoscamus; ut quemque adjuvet opulentia.
Qui falsas liteis falsis testimoniis
Petunt, quique in jure abjurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscribta ad Jovem.
Cotidie ille scit, quis heic quærat malum.
Qui heic litem adipisci postulant perjurio,
Mali res falsas qui inpetrant ad judicem;
Iterum ille eam rem judicatam judicat,
Majore multa multat, quam litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exscribtos habet.
Atque hoc scelesti in animum inducunt suum,
Jovem se placare posse donis, hostiis:
Et operam et sumtum perduunt: id eo fit, quia

si qui suam non reverentur conscientiam, et vereantur saltem tot testes Deos. Taubm.

10. *Alia* via. Mallem *alio*.

12. *Ut quemque adjuvet opulentia.* Quare hic *Opulentia* nomen sit Deæ opes largientis, causam nullus video. Qua ratione ad quemque venisnt divitiæ, quibus juvantur homines. Gron.

14. *In jure abjurant.* Apud prætorem cum perjurio inficiantur. Curc. « qui abjurant, si quid creditum est ». Lamb.

15. *Eorum referimus*, etc. Ita Hesiodus Deos inspectores mortalium et testes fandi atque nefandi memorat Op. et Dieb. I, 250-258. Vid. Captiv.

17. *Litem*, litis causam, litigiosum argentum.

20. *Majore multa.* Jupiter rem ab improbo judice contra leges et jusjurandum judicatam, iterum judicat et sententiam latam corrigit; et eos, qui vicerunt, majore multa multat, quam sit ea utilitas, quam ex lite eis condonata consequantur. Lamb. — *Litem auferunt.* Id est, judicio vincunt, causam obtinent. Ejus correlatum a parte judicis est, « Litem secundum aliquem dare ». Gron.*

21. *Tabulis.* Alluditur ad *diphtheram*, in qua Jupiter omnium mortalium acta describere fingitur a poetis. Taubm.

22. *Atque*, disjunctiva. I. q. autem. Bacch. II, 3, 93.

23. *Donis, hostiis.* Donatus Eun. V, sc. ult. « Donum deorum est: Præmium virorum fortium: Munus hominum ». *Et*, conjunctio illa copulativa elegantiæ vel energiæ causa, quum hic, tum alibi, sæpissime prætermissa est. Douza.

Nihil ei adceptum 'st a perjuris subplici.
Facilius, si qui pius est, a dis subplicans,
Quam qui scelestu'st, inveniet veniam sibi.
Idcirco moneo vos ego hæc, qui estis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate et cum fide,
Retinete porro : post factum ut lætemini.
Nunc, huc qua causa veni, argumentum eloquar.
  Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit : illeic habitat Dæmones
In agro atque villa proxuma propter mare;
Senex, qui huc Athenis exsul venit, haud malus.
Neque is adeo propter malitiam patria caret;
Sed, dum alios servat, se inpedivit interim.
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filiola virgo periit parvola;
Eam de prædone vir mercatur pessumus;
Is eam huc Cyrenas leno advexit virginem.
Adulescens quidam civis hujus Atticus
Eam vidit ire e ludo fidicino domum.
Amare obcœpit : ad lenonem devenit,
Minis triginta sibi puellam destinat,

25. *Subplici. Supplicia*, pro precibus et supplicationibus, pro hostiis et sacrificiis, sæpe capiuntur. Sallust. « In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant ». Taubm.

27. *Inveniet veniam sibi.* Hoc et quæ præcedunt sapientiæ documenta e puro philosophiæ fonte, Platonisoæ in primis, scriptor comicus hauserat. Cf. Pers. Sat. II; Senec. de Benef. I, 6; Montesq. De legibus componendis, lib. XXV, cap. 7; Xenoph. Mem. Socrat. I, 3, 3. N.

32. *Diphilus.* Asin. not. Prol. 11, et Terent. Adelph. Prol. 6.

36. *Malitiam.* Videtur hic *malitiam* accipere, pro ea quam græce κακίαν appellant. Lambinus.

38. *Comitate.* Dubitat Gruterus, an velit auctor, vel sua perdidisse, dum aliis subvenit fidejussor, aut benefactor; vel eadem illa prodegisse inter scorta et parasitos. Cæterum prius illud modo velle Plautum, ex sequentibus satis est manifestum. Neque *comitatis* vocabulo aliud significatur. Boxhorn.—Vid. supra I, 5, 28.

39. *Periit.* Captiv. III, 4, 5.

43. *Ludo fidicino.* Ubi fidibus canere discitur. Cam.—Vide Terent. Phorm. I, 2, 30-38.

45. *Puellam destinat.* Cf. Most. III, 1, 109.

Datque arrhabonem, et jurejurando adligat.
Is leno, ut se æquom 'st, flocci non fecit fidem,
Neque quod juratus adulescenti dixerat.
Ei erat hospes, par illius, Siculus, senex
Scelestus, Agrigentinus, urbis proditor:
Is illius laudare infit formam virginis,
Et aliarum itidem, quæ ejus erant mulierculæ.
Infit lenoni suadere, ut secum simul
Eat in Siciliam; ibi esse homines voluptarios
Dicit; potesse ibi fieri eum divitem;
Ibi esse quæstum maxumum meretricibus.
Persuadet: navis clanculum couducitur.
Quidquid erat, noctu in navem conportat domo
Leno; adulescenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait sese Veneri velle votum solvere.
Id heic est fanum Veneris, et eo ad prandium
Vocavit adulescentem huc. Ipse hinc inlico
Conscendit navem, avehit meretriculas.
Adulescenti alii narrant, ut res gesta sit:
Lenonem abivisse. Ad portum adulescens venit;
Illorum navis longe in altum abscesserat.
Ego, quoniam video virginem absportarier,
Tetuli ei auxilium et lenoni exitium simul.
Increpui hibernum, et fluctus movi maritumos:

47. *Ut se æquom 'st.* Nomen *æquus* eumdem sensum fert atque *dignus*, et eodem casu completur. Commutationem casuum jam non semel vidimus fieri, Amphitr. I, 1, 37; Pers. V, sc. ult. vs. 54; nisi tamen velis hanc syntaxim intelligi: « ut æquom est *fecisse* talem virum ». *Se* pro illo jam Plautus admisit, Mil. II, 2, 26, et vetus poeta apud Nonium voc. *tangere*: « pater mihi est iratus, quia se..... tetigi ». N.

49. *Ei*, lenoni. — *Par illius.* Pers. V, 1, 15.

56. *Quæstum meretricibus*, pro eo qui fit habendis meretricibus, vel ex meretricibus, per lenocinium. Inf. II, 6. Acidal.

57. *Persuadet.* Vide collato hoc versu cum 53 quid intersit inter *suadere* et *persuadere*. N.

61. *Eo*, ideo, ob visceratiouem, Mil. III, 1, 118, et Amph. III, 3, 11, 12. N.

69. *Increpui hibernum.* Id est,

Nam Arcturus signum sum omnium acerrumum :
Vehemens sum exoriens ; quom obcido, vehementior.
Nunc ambo in saxo, leno atque hospes, simul
Sedent ejecti ; navis confracta 'st ibus.
Illa autem virgo atque altera itidem ancillula,
De navi timidæ desiluerunt in scapham.
Nunc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt,
Ad villam illius, exsul ubi habitat senex,
Quojus deturbavit ventus tectum et tegulas.
Et servos illic est ejus qui egreditur foras.
Adulescens huc jam adveniet quem videbitis,
Qui illam mercatu'st de lenone virginem.
Valete, ut hosteis vostri disfidant sibi.

aiunt ventos et fluctus hibernos : nam *increpo* non modo significat reprehendo, sed et inclamo, invoco, provoco. Imo *increpui hibernum*, est insonui hiberno more : tempestatem feci, qualis solet esse, quum hiemat. GRON.

74. *Virgo*, Palæstra.—*Ancillula*, Ampelisca.—*Itidem ancillula*. Quæ eadem forte fortuna serviebat lenoni, virginis conserva.

77. *Illius*, senis; supervacuum.

82. *Disfidant sibi*. Illas, quibus fausta spectantibus poeta optat, preces modestas et a superba exsultatione abstinentes, quum considero, hanc fabulam, eo tempore, quo Hannibal adhuc visceribus Italiæ inhæreret, edoctam fuisse vehementer suspicor, ut, illo demum profligato, Cistellariam, et Pœnulum, et Truculentum, in scenam productas ipsarum prologi demonstrant. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

RUDENS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

SCEPARNIO.

PRO di inmortaleis, tempestatem quojusmodi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!
Detexit ventus villam: quid verbis opu'st?
Non ventus fuit; verum Alcumena Euripidi,
Ita omneis de tecto deturbavit tegulas:
Inlustriores fecit, fenestrasque indidit.

4. *Alcumena Euripidi*. Tragœdia Euripidis, nomine Alcumena: in qua quum Alcumena pariebat, Jupiter faciebat spurcam tempestatem oriri. *Euripidi*, genitivus antiquus, pro *Euripidis*, ut *Thucydidi*, *Thymarchidi*, etc. LAMB.

6. *Inlustriores*. Propter lumen per rimas et fenestras in tecto factas, tegulis vento dejectis immissum. TAUBM. — *Inlustrioris fecit*. Sic MSS pro *Illustriores*. Cæterum non est mutandum, ut sit « Inlustrioris fecit », vel, « Inlustriores fecit fenestras: quin dedit »: nec loquitur Plautus quasi priore versu *ædes*, non *tegulas* nominasset. Sed loquitur prorsus respiciens ad *tegulas*, quæ dupliciter dicuntur: partim nempe, ut singulos imbrices significent, partim ut tectum omne ex iis compositum. Ut in Mil. II, 2, 1: « Nisi, hercle, defregeritis talos, ut quemque in tegulis videritis alienum ». Et sequente: « Simiam hodie sum sectatus nostrum in ho-

SCENA SECUNDA.

PLEUSIDIPPUS, DÆMONES, SCEPARNIO.

PLEUS. Et vos a vostris abduxi negotiis,
Neque id processit, qua vos duxi gratia,
Neque quivi lenonem ad portum prehendere.
Sed mea desidia spem deserere nolui;
Eo vos, amici, detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris fanum venio visere,
Ubi rem divinam se facturum dixerat.
SCEP. Si sapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum.
PLEUS. Prope me hinc nescio quis loquitur. DÆM. Heus, Sceparnio!
SCEP. Qui nominat me? DÆM. Qui pro te argentum dedit.
SCEP. Quasi me tuum esse servom dicas, Dæmones?
DÆM. Luto usu'st multo, multam terram confode;
Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc perlucet ea, quam cribrum, crebrius.
PLEUS. Pater, salveto, amboque adeo. DÆM. Salvos sies.
SCEP. Sed utrum tu mas an femina es, qui illum patrem
Voces? PLEUS. Vir sum equidem. DÆM. Quære vir porro patrem.
Filiolam ego unam habui, eam unam perdidi.

rum tegulis ». Plin. XXXV, 12: « tegularum extremis imbricibus ». Altera significatione versu priore, altera posteriore Plautus accepit. Quum legis: « Ita omnes », accipe ὑπερβολικῶς, quasi esset, ita passim. GRON.

1. *Et vos abduxi.* Alloquitur homines, quos secum ex urbe advocatos adduxerat (vid. II, 2, 9), ut sibi testes adessent simul et adjutores ad rapiendum in jus lenonem. Vid. Pœn. III, scenn. 1-6. N.

8. *Mactat.* Mactat, affligit. Ita interpretantur Glossæ veteres. Nihil ergo hic mutandum. BOXH. — *Concinnem*, id est, conficiam. NON. —Concinnem lutum, commisceam cæmentum tegulis resarciendis, quod laboriosum.

15. *Pater, salveto.* Sic vocat, ut senem juvenis. LAMB.

Virile secus nunquam ullum habui. PLEUS. At di dabunt.
SCEP. Tibi quidem, hercle, quisquis es, magnum malum,
Qui oratione heic nos obcupatos obcupes.
PLEUS. Isteiccine vos habitatis? SCEP. Quid tu id quæritas?
An quo furatum mox venias, vestigas loca?
PLEUS. Peculiosum eum esse decet servom et probum,
Quem hero præsente prætereat oratio;
Aut qui inclementer dicat homini libero.
SCEP. Et inpudicum et inpudentem hominem addecet,
Molestum ultro advenire ad alienam domum,
Quoi debeatur nihil. DÆM. Tace, Sceparnio.
Quid opus, adulescens? PLEUS. Isti infortunium,
Qui præfestinet, ubi herus adsit, præloqui.
Sed nisi molestum'st, paucis percontarier
Volo ego ex te. DÆM. Dabitur opera, atque in negotio.
SCEP. Quin tu in paludem is, exsicasque arundines,
Quî pertegamus villam, dum sudum'st? DÆM. Tace.
Tu, si quid opus est, dice. PLEUS. Dic, quod te rogo.

19. *Virile secus.* Varro lib. VI: « Secus pro sexus, neutri generis, et unius casus ». Ita Sallust. Hist. lib. II: « Concurrentium undique virile el muliebre secus ». Gell. lib. III: « Quod ejus virile secus futurum est ». GRON.—*Di dabunt.* Futurus modus optantibus usurpatur. Pers. I, 1, 16.

24. *Probum.* Non puto quidquam mutandum in his versibus. Sed sic eos interpretor: Peculiosi servi ut plurimum sunt audaces ad loquendum, etiam præsente domino; sunt etiam probi servi. Nam servi nequam peculium non acquirunt. Ab eadem confidentia et audacia, quam facit peculium, illud etiam venit, quod homini libero tales servi audacter convitium dicant. Non multum differt, quantum attinet ad audaciam, peculiosus servus a liberto opulento. SALM.

25. *Quem prætereat oratio.* Qui interloqui occupet. Vid. vs. 31. Daceria hoc esse græcum loquendi genus animadvertit, σ' ἔπος ἐκφυγεν. N.

27. *Inpudicum et inpud.* nequam et perfricta fronte esse oportet. Impudicus i. q. impurus. Asin. II, 4, 66.

33. *Atque in negotio.* Operam dabat, siquis audiebat. Vid. Curc. II, 2, 9. Nunc vero probus senex profitetur se non operam tantum aurium præbere, sed et negotio, si opus sit, adesse paratum N.

34. *Exsicasque. Exsicare, præsicare*, pro *exsecare* dicebant. TURN. —Curcul. III, 1, 54.

35. *Qui.* Aul. III, 5, 28.

Ecquem tu heic hominem crispum, incanum videris,
Malum, perjurum, palpatorem? DÆM. Plurimos.
Nam ego propter ejusmodi viros vivo miser.
PLEUS. Heic dico, in fanum Veneris qui mulierculas
Duas secum adduxit, quique adornaret sibi,
Ut rem divinam faciat aut hodie aut heri.
DÆM. Non, hercle, adulescens, jam hos dies conplusculos
Quemquam isteic vidi sacruficare: neque potest
Clam me esse, si qui sacruficant; semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid; quid verbis opu'st?
Veneri paravi vasa et puteum, non mihi.
Nunc intervallum jam hos dies multos fuit.
PLEUS. Ut verba præhibes, me periisse prædicas.
DÆM. Mea quidem, hercle, causa salvos sis, licet.
SCEP. Heus tu, qui fana ventris causa circumis,
Jubere meliu'st prandium ornari domi:
Fortasse tu huc vocatus es ad prandium;
Ille, qui vocavit, nullus venit. PLEUS. Admodum.
SCEP. Nullum'st periclum te hinc ire inpransum domum.

37. *Ecquem.* Captiv. II, 3, 99. — *Incanum*, valde canum, vel canum, simpliciter. Virg. Georg. III: « Incanaque menta », i. e. cana. CHARIS.

41. *Quique adornaret*, i. e. et ut necessaria sibi adornaret ad rem faciendam sacram.

47. *Aulam extarem.* Ollam in qua exta coquuntur. Festus: « Aulicoqua exta dicebant, quæ in aulis coquebantur, id est, elixa ». Nam sæpe torrebant. Virg. Georg. II: « Pingniaque in verubus torrebimus exta colurnis ». Varro: « Hæ sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur »: hinc et *olla exturis.* Et in antiquo Lexico, *Extar* exponitur *olla*, *ubi exta coquuntur.* TAUBM.

49. *Interv. jam hos dies.* Aulul. Prol. 4.

51. *Mea causa*, quatenus ad me attinet, opto ut salvus sis.

52. *Fana ventris causa circumis.* Βωμολόχος circumscribitur: dicebantur autem βωμολόχοι proprie scurræ, qui templa et aras frequentabant, sacrificiorum nidorem sequuti, ut dicacitate sua victum emerent, et sacris scilicet epulis ventrem explerent. ACIDAL.

55. *Admodum.* Modus est affirmandi.

Cererem te melius quam Venerem sectarier;
Amore hæc curat, tritico curat Ceres.
PLEUS. Deludificavit me ille homo indignis modis.
DÆM. Pro di immortaleis, quid illuc est, Sceparnio,
Hominum secundum litus? SCEP. Ut mea'st opinio,
Propter viam illi sunt vocati ad prandium.
DÆM. Quî? SCEP. Quia post cœnam, credo, laverunt heri.
Confracta navis in mari est illis. DÆM. Ita est.
SCEP. At, hercle, nobis villa in terra et tegulæ. DÆM. Hui!
Homunculi, quanti estis! ejecti ut natant!
PLEUS. Ubi sunt ii homines, obsecro? DÆM. Hac ad dexteram,
Viden' secundum litus? PLEUS. Video, sequimini.
Utinam sit is, quem ego quæro, vir sacerrumus!

58. *Amore hæc curat.* Venus amore, Ceres cibo homines reficit et delectat. Schoppius leg. *amori.* Notat et Meurs. non nisi cum dativo extulisse τὸ *curo*, pro ἐπισκοπῶ.—*Amore hæc curat.* MSS, *Amorem.* Et quum utrovis modo alibi Plautus, non video quare utroque genere loquendi ludere non potuerit. Sed et MSS Sambuci : *tritico com curat.* Ut suspicari possis, *tritico concurat* dixisse. Bacch. I, 2 ; « Satis ut commode Pro dignitate obsonii hæc concuret coquus ». GRONOV.

62. *Propter viam.* Jocus ex ambiguo. Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur *Propter viam*; in eo si quid ex epulis superfuisset, igne consumi necesse erat. Festus : « Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus ». Significat Sceparnio hos naufragium fecisse omnium bonorum : ut illi, qui propter viam faciunt, omnes reliquias flammis consumunt. TURNEB. — Nimium, credo, aut videt aut vidisse putat ille doctissimus. Viatica præbebatur (propter viam) cœna proficiscentibus, ut hospitalis peregre advenientibus. Bacch. I, 1, 60; II, 2, 8. Nunc lusus fit in verbo prandium. Non ad cœnam, inquit, vocati sunt viaticam, sed ad viaticum prandium? quare? quia video illos hac hora matutina jam paratos ad epulas, hesterna lotione, siquidem nocte proxima balineis maritimis usi sunt. Nemo ad mensam accubabat, nisi lotus. N.

63. *Post cœnam*, etc. Putem velle servum eos lavisse priore vespera, ut interessent maturius sacrificio *Propter viam*: id enim fere fieri solitum illo casu. GRUT.

64. *Confracta*, etc. Nunc serio explicat, quod jocnlariter significavit.

67. *Quanti*, quantuli; hæc dicit videns nantes in gurgite vasto. Cf. Captiv. Prol. 51.

69. *Sacerrumus*, id est, omnibus modis exsecrandus. Vid. Pœn. Prol. 90.

Valete. (abeunt.) SCEP. Si non moneas, nosmet meminimus.
Sed, o Palæmon, sancte Neptuni comes,
Quique, hercule, illi socius esse diceris,
Quod facinus video! DÆM. Quid vides? SCEP. Mulicrculas
Video sedenteis in scapha solas duas.
Ut adflictantur miseræ! euge euge, perbene,
Ab saxo avortit fluctus ad litus scapham.
Neque gubernator unquam potuit [rectius].
Non vidisse undas me majores censeo.
Salvæ sunt, si illos fluctus devitaverint.
Nunc, nunc periculum'st; ejecit alteram,
At in vado'st: jam facile enabit: eugepæ!
Viden' alteram illam ut fluctus ejecit foras!
Subrexit; horsum se capessit; salva res.
Desiluit hæc autem altera in terram e scapha.
Ut præ timore in genua in undas concidit!
Salva 'st, evasit ex aqua, jam in litore'st.
Sed dextrovorsum avorsa it in malam crucem.
Hem, errabit illæc hodie! DÆM. Quid id refert tua?
SCEP. Si ad saxum quo capessit, ea deorsum cadit,
Errationis fecerit conpendium.
DÆM. Si tu de illarum cœnaturus vesperi es,

70. ***Moneas***, scil. ut valeamus. LAMB.

73. *Facinus*. Cf. Menæchm. III, 1, 2. — ***Mulierculas***, etc. Commiserationis est hoc diminutivum. Qui hinc incipiunt, 14 versibus fit enarrationis ἐνάργεια, quæ haud inferior est illa quam tantopere Longinus Euripideo Phaethonte admirabatur. N.

77. *Neque gubernator unq. potuit.* Quasi dicat: adeo feliciter scapha ad litus sua sponte appulit, ut nullus gubernator melius eamdem regere potuisset. Gubernatorem non habuisse, ex istis patet: « Video sedentes in scapha solas duas ». PISTOR.

87. *In malam crucem.* In malum, in perniciem. Vid. Men. Prol. 66.

91. *Si tu de illarum*, etc. Hunc senem tam benignum, tam liberalem (Prol. 37, 38) prurigine jocandi præpostera ab humanitate sua nunc abstrahi, nescio an Romani probum censerent, nos ægre ferimus. Gravius etiam hujus modi decori negligentia peccatum esse infra deprehendemus. — *Vesperi.* Vid. Mil. IV, 2, 5. N.

Illis curandum censeo, Sceparnio :
Si apud me esurus es, mihi dari operam volo.
SCEP. Bonum æquomque oras. DÆM. Sequere me hac ergo.
SCEP. Sequor.

SCENA TERTIA.

PALÆSTRA.

PAL. Nimio hominum fortunæ minus miseræ memorantur,
Quam reapse experiundo iis datur acerbum!
Hoc Deo conplacitum'st? me hoc ornatu ornatam,
In incertas regiones timidam ejectam?
Hanccine ego ad rem gnatam miseram me memorabo?
Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mihi haud labori est laborem hunc potiri,
Si erga parentem aut deos me inpiavi :
Sed id si parate curavi ut caverem,
Tum hoc mihi indecore, inique, inmodeste
Datis, di : nam quid habebunt sibi igitur inpii
Posthac, si ad hunc modum'st innoxiis honor

94. *Æquomque oras.* Cf. Captiv. II, 2, 83.

1. *Nimio minus*, multo minus.

2. *Hoc ornatu ornatam.* Hic ornatus est, omni ornatu destitui.

4. *Timidam.* Bacch. I, 1, 72.

5. *Hanccine*, etc. Egone ad has miserias nata sum? De hoc ambitu loquendi *me memorabo*, i. e. dicam, vid. Pseud. II, 4, 54.

6. *Partem capio.* Μοῖραν, *sortem.* Ex antiquorum consuetudine dictum, qui sæpe a diis pietatis suæ in ipsos præmia mercedemque petebant : quod æquum esse videretur, a diis eos facilius aliquid impetrare, qui numina pie colerent. Tuan. — Eadem notione providentiæ summæ bona mala distribuentis locutiones proferimus : *avoir en partage, tel est mon partage.* Vid. sc. seq. vs. 19. N.

7. *Labori est laborem.* Illudere verbis non vere dolentis videtur.

9. *Parate*, accurate, dedita opera. Vid. Joh. Merceri Opin. lib. I, cap. 9.

10. *Inmodeste*, sine modo.

12. *Honor.* Similis sensus atque illa locutione : « honoris vestri causa », Amphitr. I, 2, 24, 30. Vid. Pers. IV, 3, 43. Ennius etiam audacior : « Ego deum genus esse semper dixi, et dicam cælitum,

Apud vos? nam me si sciam fecisse
Aut parenteis sceleste, minus me miserer.
Sed herile scelus me sollicitat; ejus me inpietas male
Habet; is navem atque omnia perdidit in mari.
Hæc bonorum ejus sunt reliquiæ; etiam, quæ simul
Vecta mecum in scapha'st, excidit : ego nunc sola sum.
Quæ si mihi foret salva saltem, labor
Lenior esset hic mihi ejus opera.
Nunc quam spem, aut opem, aut consili quid capessam?
Ita heic solis locis conpotita sum.
Heic saxa sunt, heic mare sonat, nec quisquam
Homo mihi obviam venit.
Hoc quod induta sum, summæ opes oppido;
Nec cibo, nec loco tecta quo sim scio.
Quæ mihi est spes, qua me vivere velim?
Nec loci gnara sum, nec diu heic fui.
Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis
Aut viam aut semitam monstret: ita nunc hac
An illac eam, incerta sum consili :
Nec prope usquam heic quidem cultum agrum conspicor.

Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus. Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest ». N.

13. *Apud vos.* Nihil est addendum : vult enim æquiore animo laturam calamitatem, si aut ipsa peccasset enorme, aut adeo parentes suos : horum sane delicta puniri etiam in liberis, notius est quam uti probari debeat. Grut.

14. *Minus me miserer.* Sic Epid. IV, 1, « ... quæ ipsa se miseratur », id est, miseram se dolenter prædicat. Tacit. « Planci gravem casum facunde miseratur », i. e. movendæ miserationi commemorat. Gr.

17. *Hæc rel.* Semet demonstrat, *hæc.* Vide Aulul. III, 5, 58.

24. *Obviam venit.* Catull. Nupt. Thetid. 186 : « Nulla fugæ ratio, nulla spes; omnia muta, Omnia sunt deserta; ostentant omnia mortem ». N.

25. *Summæ.* Ex conjectura leg. *sunt meæ* : de puella naufraga, cui nihil reliqui erat, præter vestitum. Ita I, 5, 21 : « Neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quidquam est ». Hodie vulgi joco dicitur : « Quom subsilio, facultates omnes meæ commoventur ». Lips.—*Summæ* retinendum; i. e. summa opum hæc superest.

30. *Viam aut semitam.* Vid. Casin. III, 5, 40.

Algor, error, pavor, membra omnia tenent.
Hæc parenteis haud mei scitis miseri,
Me nunc miseram ita esse uti sum : libera ego
Proguata fui maxume; nequidquam fui :
Nunc quî minus servio, quam si forem serva gnata?
Neque quidquam unquam iis profui, qui me sibi eduxerunt.

SCENA QUARTA.

AMPELISCA, PALÆSTRA.

AMP. Quid mihi meliu'st, quid magis in rem'st, quam corpore vitam secludam?
Ita male vivo atque ita mihi multæ in pectore sunt curæ exanimaleis.
Nunc dein vitæ haud parco : perdidi spem, qua me oblectabam.
Omnia jam circumcursavi, atque omnibus in latebris perreptavi
Quærere conservam voce, oculis, auribus, ut pervestigarem.
Neque eam usquam invenio, neque quo eam, neque qua quæram consultum'st,
Neque quem rogitem responsorem, quemquam interea invenio.
Neque magis solæ terræ sunt, quam hæc loca atque hæ regiones.

38. *Neque ...profui.* Reddere parentibus operam, ita ut ab iis nutriti ipsos nutrirent, hoc vocatur Hesiodo θρεπτήρια διδόναι, et Homero θρέπτρα ἀποδιδόναι. DACERIA.

1. *Vitam secludam.* Idem est cum *excludere.* Sed præposita litera propter suavitatem, vel hiatum vitandum; ergo notat hic *secernere*, *separare*. Inde *seclusa sacra* Festo, mysteria arcana. PASSER.

2. *Exanimaleis.* Tabificæ, βρεφθόροι, quæ ψυχολέτειρας exanimant. L.

4. *Perreptavi.* Amph. IV, 1, 3.

8. *Neque magis solæ.* Meursius legit : « Neque magis sola terræ

Neque, si vivit, eam vivam unquam quin inveniam, desistam.
PAL. Quænam vox mihi prope heic sonat? AMP. Pertimui.
Quis heic loquitur prope? PAL. Spes bona, obsecro, subventa
Mihi. AMP. Mulier est, muliebris vox mihi ad aureis
Venit; an eximes ex hoc miseram metu?
PAL. Certo vox muliebris aureis tetigit meas.
Num Ampelisca, obsecro, 'st? AMP. Ten', Palæstra, audio?
PAL. Quin voco, ut me audiat, nomine illam suo?
Ampelisca! AMP. Hem, quis est? PAL. Ego Palæstra sum.
AMP. Dic, ubi es? PAL. Pol, ego nunc in malis plurimis.
AMP. Socia sum, nec minor pars mea'st quam tua.
Sed videre expeto te. PAL. Mihi es æmula.
AMP. Consequamur gradu vocem: ubi es? PAL. Ecce me,
Adcede ad me, atque adi contra. AMP. Fit sedulo.
PAL. Cedo manum. AMP. Adcipe. PAL. Dic, vivisne, obsecro?
AMP. Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,
Quando mihi te licet tangere: ut vix mihi
Credo ego hoc, te tenere! obsecro, amplectere,
Spes mea; ut me omnium jam laborum levas!
PAL. Obcupas præloqui, quæ mea'st oratio.

sola sunt ». Vid. Bacch. II, 3, et Trin. IV, 3. ERN. — Nihil demutandum. Sic Catullus l. c. « Præterea litus; nullo sola insula tecto ».

11. *Subventa*, a *subventare*.

13. *Eximes*. Alloquitur quam audiit nondum visam. Ut illius scenæ actio intelligatur, sibi in mente lector proponat oportebit amfractus in litore saxorum, quos inter mulierculæ perreptant, rupibus conspectum præcludentibus. N.

27. *Laborum levas*. Genitivus pro usitatiore casu haud semel verbis subjici vidimus (Epid. I, 2, 35; II, 2, 55; Asin. II, 4, 53) græco more. Intellige vel *causa*, vel *ad respectum*. N.

28. *Obcupas præloqui*. *Obcupare* est prævenire et antevertere. Græc. φθάνειν. Ita Phædrus Fab. lib. II: « Quoniam occuparat alter, ne primus forem: Ne solus esset, studui quod superfuit ». RITTERSH.

Nunc abire hinc decet nos. AMP. Quo, amabo, ibimus?
PAL. Litus hoc persequamur. AMP. Sequor quo lubet.
PAL. Siccine heic cum uvida veste grassabimur?
AMP. Hoc quod est, id necessarium'st perpeti.
Sed quid hoc, obsecro, est? PAL. Quid? AMP. Viden', amabo,
Fanum, videsne hoc? PAL. Ubi est? AMP. Ad dexteram.
PAL. Video decorum dis locum viderier.
AMP. Haud longe abesse oportet homines hinc, ita heic
Lepidu'st locus: nunc, quisquis est deus, veneror,
Ut nos ex hac ærumna miseras eximat,
Inopes, ærumnosas ut aliquo auxilio adjuvet.

SCENA QUINTA.

SACERDOS, PALÆSTRA, AMPELISCA.

SAC. Qui sunt, qui a patrona preces mea expetessunt?
Nam vox precantum me huc foras excitavit.
Bonam atque obsequentem deam, atque haud gravatam
Patronam exsequontur, benignamque multum.
PAL. Jubemus te salvere, mater. SAC. Salvete,
Puellæ: sed unde vos ire cum uvida
Veste dicam, obsecro, tam mœstiter vestitas?
PAL. Inlico hinc imus haud longule ex hoc loco:

29. *Amabo.* Casin. I, 1, 49.

37. *Nunc, quisquis est deus.* Veteres ne errore laberentur, de nomine dei alicujus certo dubitantes, dicere solebant: *Quisquis es.* Virg. Æn. IV, 577: «..... sequimur te sancte, deorum, Quisquis es». MER. — *Veneror.* Bacch. II, 1, 41.

2. *Excitavit.* Vid. Amph. I, 1, 10.

4. *Exsequontur*, experiuntur.

5. *Salvere, mater.* Solenne est compellantibus *matres* salutare. Petron. «Accedo aniculam quamdam, quæ agreste olus vendebat, Rogo, inquam, mater, numquid scis ubi ego habitem, etc.» WOUW.

8. *Inlico.* Si quæras unde nunc veniamus; hinc (demonstrat mare proxumum) venimus. Sed si, unde vectæ, antea fuerimus in has regiones, longe est hinc (patrias Athenas in mente habet). N.

Verum longe hinc abest, unde huc vectæ sumus.
SAC. Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Estis vectæ. PAL. Admodum. SAC. Ergo æquius vos erat
Candidatas venire hostiatasque : ad hoc
Fanum ad istunc modum non veniri solet.
PAL. Quæne ejectæ e mari sumus ambæ, obsecro,
Unde nos hostias agere voluisti huc?
Nunc tibi amplectimur genua egenteis opum,
Quæ in locis nesciis nescia spe sumus,
Ut tuo recipias tecto, servesque nos,
Miserarumque te ambarum ut misereat,
Quibus nec locus ullus, nec spes parata 'st,
Neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quidquam 'st.
SAC. Manus mihi date, exsurgite a genibus ambæ :
Misericordior nulla me est feminarum.
Sed heic pauperes res sunt inopesque, puellæ:
Egomet vix vitam colo; Veneri cibo meo
Servio. AMP. Veneris fanum, obsecro, hoc est? SAC. Fateor : ego
Hujus fani sacerdos clueo : verum, quidquid est,

10. *Equo ligneo*, id est, navi : etiam Homerus, Douza indice, oaves ἁλὸς ἵππους appellat. Et vetus versos est apod Charis. « Typhin aurigam celeris fecere carioæ ». Vid. Muret. Var. Lect. lib. I, cap. 10. — Vetus poeta dixit : « Dum copia tanta durateorum equitum volitant per Tethyos æquor ». DACER. — Hac locotiooe *equo vectæ* commioisci poterat rem ooo satis podicam, si quis barum rerum paulo liberior indagator esset. N.

11. *Admodum*. Se. 2, vs. 55.

12. *Candidatas*. Albati eoim, id est, caodida et pora veste ad deos adibaot. Pers. Sat. II : « ... oegato, Jupiter, hæc illi, quamvis te albata rogarit ». CASAUB. — *Hostiatas*, hostiis instruetas. LAMB.

14. *Quæne ejectæ*. Vide Epid. V, 2, 54.

17. *Nesciis*, id est, in locis ignotis dubia et incerta spe. *Nescium* passive posuit, pro ignoto. Arminius apud Taeit. Annal. I, in oratiooe ad Cheruscos : « Aliis geotibus ignoraotia imperii romani inexperta esse sopplicia, oescia tributa ». *Nescia tributa*, ut hic *nescia loca*, qoæ ignorantur. Vid. Gell. IX, 12; item Capt. II, 2. BOXH.

25. *Cibo meo*, i. e. meo somtu; qui servit alieui, ab eo cui servit eum ali jus est. Sed aliter ibi res habet. N.

Comiter fiet a me, quo nostra copia
Valebit : ite hac mecum. PAL. Amice benigneque
Honorem, mater, nostrum habes. SAC. Oportet.

28. *Comiter*. Prol. 38. — *Quo nostra copia*. Ita J. Guliel. et Lud. Carrio, id est, quantum potero sciveroque. Sic Mercat. « facere certum pro copia et sapientia, quæ te velle arbitrabor », id est, ut sese ferent res fortunæ et sapientiæ. GRONOV.

30. *Honorem nostr. habes*. Nostri rationem habes. Sc. 13, vs. 12.



ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PISCATORES.

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri vivont,
Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicere artem ullam;
Necessitate, quidquid est domi, id sat est habendum.
Nos jam de ornatu propemodum, ut locupletes simus, scitis.
Hice hami, atque hæ harundines sunt nobis quæstu et cultu.
Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum:
Pro exercitu gymnastico et palæstrico, hoc habemus,
Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus, conchas,
Marinam urticam, musculos, plagusias, striatas.
Post id piscatum hamatilem et saxatilem adgredimur.

5. *Quæstu et cultu.* Supinum. His vitam quærimus, hæc exercemus.

7. *Exercitu*, i. q. exercitatioue. Vid. Captiv. I, 2, 50.

8. *Lepadas.* Λεπὰς, ostrei genus est, quæ exteriore tautum parte coucha tegitur: interiore et carnosa ita scopulis adhærescit, ut tauquam osculetur, et arctissime juucta vix divellatur. Vid. Casin. II, 8, 54. — *Captamus.* Hoc habemus ut captemus. Meu. IV, 2, vv. 3, 4.

9. *Plagusias.* Versus osteudit legi debere, *plagusias*, *striatas*, vel potius, *placusias*, πλακόεσσα, πλακοῦσσα, a latitudiue. Inde latiuum *placussia.* Nam *pelagusia* a pelago, ratio græci nominis uon fert. Imo πλακούσιος revera græcum est. Nam ex πλακοῦς πλακοῦντος factum πλακούσιος, ut a Ῥαμνοῦς, Ῥαμνοῦντος, Ῥαμνούσιος, et similia. Ergo legeudum, *placusias striatas*, a latitudiue qualis est placentarum, quæ πλακοῦντες. Salm.

10. *Hamatilem et saxatilem.* In scopulis olim piscatores piscatum exercuere; quod ex Oppiano, Aristæneto, Petronio, aliisque patet. Hinc Plautus *piscatum saxatilem.*

Cibum captamus e mari : sin eventus non venit,
Neque quidquam captum 'st piscium, salsi lautique pure
Domum redimus clanculum, dormimus incœnati.
Atque ut nunc valide fluctuat mare, nulla nobis spes est.
Nisi quid concharum capsimus, incœnati sumus profecto.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepide adjuverit hodie.

SCENA SECUNDA.

TRACHALIO, PISCATORES.

TRACH. Animo advorsavi sedulo, ne herum usquam præterirem:
Nam quom modo exibat foras, ad portum se aibat ire,
Me huc obviam jussit sibi venire ad Veneris fanum.
Sed quos perconter, conmode eccos video adstare; adibo.
Salvete, fures marutimi, conchitæ, atque hamiotæ,
Famelica hominum natio, quid agitis? ut peritis?
PISC. Ut piscatorem æquom 'st, fame, sitique speque. TRACH. Ecquem adulescentem huc,
Dum heic adstatis, strenua facie, rubicundum, fortem, qui treis
Duceret chlamydatos cum machæriis, vidistis venire?

12. *Salsi lautique.* Jocus ex ambiguo. *Salsi*, non salibus, sed aqua marina : *lauti*, non opiparis epulis, sed madidi. *Pure* dicit, qnia aqua marina sordes omnes abluit. L.— At tu mihi etiam vide quid *pure lautum* iu sacris sit, Anl. II, 3, 3, quo allusum arbitror. TAUBM.

13. *Redimus clanculum.* Nihil hic mutandum. Qui rebus pro voto gestis domum redeunt, palam et læti se osteudunt; qui vero re infecta latere, quam aspici malunt, et clanculum se domum recipiunt. BOXHORN.

16. *Veneremur.* Sc. 4, vs. 37.

6. *Quid agitis?* Aul. I, 2, 39. — *Ut peritis?* procax ludus pro « ut valetis? »

5. *Conchitæ atque hamiotæ.* Vos, qui conchas legitis et hamo pisces captatis. LAMB.

9. *Duceret.* Nota subjunctivi modi hoc loco virtutem. Si rem certe factam narraret, indicativnm usurparet : « vidi adulescentem qui du-

PISC. Nullum istac facie, ut prædicas, venisse huc scimus.
TRACH. Ecquem
Recalvom ac silonem senem, statutum, ventriosum,
Tortis superciliis, contracta fronte, fraudulentum,
Deorum odium atque hominum, malum, mali viti probrique plenum,
Qui duceret mulierculas duas secum satis venustas?
PISC. Cum istiusmodi virtutibus operisque gnatus qui sit,
Eum quidem ad carnuficem est æquius, quam ad Venerem conmeare.
TRACH. At, si vidistis, dicite. PISC. Huc profecto nullus venit.
Vale. TRACH. Valete! Credidi : factum'st quod subspicabar.
Data verba hero sunt; leno abiit scelestus exsulatum,
In navem ascendit, mulieres avexit : hariolus sum.
Is huc herum etiam ad prandium vocavit sceleris semen.
Nunc quid mihi meliu'st, quam inlico hcic obperiar herum dum veniat?
Eâdem hæc sacerdos Veneria si quid amplius scit,
Si videro, exquæsivero : faciet me certiorem.

SCENA TERTIA.

AMPELISCA, TRACHALIO.

AMP. Intellego; hanc quæ proxuma'st villam Veneris fano
Pulsare jussisti, atque aquam rogare. TRACH. Quoja ad aureis

cebat ». Sed nunc quærit, dubitat, an ille venerit ducens secum viros. Vid. vers. 15 ejusmodi exemplum *qui sit*. N.

11. *Silonem*. *Silo*, qui et *silus* Ciceroni, σιμὸς, qui nasum habet resimum, id est, sursum versus repandum, more simiæ. SCALIG.— *Statutum*, id est, magnæ staturæ. Vid. Asin. II, 3, 21.

20. *Hariolus sum*. Cist. II, 1, 31.

21. *Sceleris semen*. Sceleris origo et artifex, vir scelestissimus.

23. *Eadem*. Bacch. I, 1, 15.

1. *Intellego*. Loquitur ad sacerdotem intus.

Vox mihi advolavit? AMP. Obsecro, quis heic loquitur? quem ego video?
TRACH. Estne Ampelisca hæc, quæ foras e fano egreditur?
AMP. Estne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi?
TRACH. Ea est. AMP. Is est. Trachalio, salve. TRACH. Salve, Ampelisca.
Quid agis tu? AMP. Ætatem haud mala male. TRACH. Melius ominare.
AMP. Verum omneis sapienteis decet conferre et fabulari.
Sed Pleusidippus tuus herus ubi, amabo, est? TRACH. Eia vero,
Quasi non sit intus! AMP. Neque, pol, est, neque ullus quidem huc venit.
TRACH. Non venit? AMP. Vera prædicas. TRACH. Non est meum, Ampelisca.
Sed quam mox coctum'st prandium? AMP. Quod prandium, obsecro te?
TRACH. Nempe rem divinam facitis heic. AMP. Quid somnias, amabo?
TRACH. Certe huc Labrax Pleusidippum ad prandium vocavit
Herum meum, herus voster. AMP. Pol, haud miranda facta dicis;
Si deos decepit et homines, lenonum more fecit.
TRACH. Non rem divinam facitis heic vos, neque herus? AMP. Hariolare.
TRACH. Quid tu agis heic igitur? AMP. Ex malis multis, metuque summo,

5. *Calator*, id est, servus. Vid. Pseud. IV, 2, 52.

7. *Quid agis tu?* Sup. sc. 2, v. 6. — *Melius ominare.* Monet ut ominosis verbis parcere velit. Bona verba, quæso.

8. *Verum*, veritatem. — *Conferre* in medium, in commercium colloquendi.

11. *Non est meum* vera prædicare, utpote servi mali et vafri.

17. *Ariolare.* Sc. sup. vs. 21.

Capitalique ex periculo, orbas auxilique opumque huc
Recepit ad se Veneria hæc sacerdos, me et Palæstram.
TRACH. An heic Palæstra'st, obsecro, heri mei amica?
AMP. Certo.
TRACH. Inest lepos in nuncio tuo magnus, mea Ampelisca.
Sed istuc periculum perlubet quod fuerit vobis scire.
AMP. Confracta'st, mi Trachalio, hac nocte navis nobis.
TRACH. Quid, navis? quæ istæc fabula'st? AMP. Non audivisti, amabo,
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, et quidquid domi fuit, in navem inposivit?
Ea nunc perierunt omnia. TRACH. Oh! Neptune lepide, salve:
Nec te aleator ullus est sapientior; profecto
Nimis lepide jecisti bolum, perjurum perdidisti.
Sed nunc ubi est leno Labrax? AMP. Perît potando, opinor.
Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.
TRACH. Credo, hercle, anancæo datum quod biberet: ut ego amo te,
Mea Ampelisca! ut dulcis es! ut mulsa dicta dicis!
Sed tu et Palæstra quomodo salvæ estis? AMP. Scibis, faxo.
E navi timidæ ambæ in scapham insiluimus; quia videmus

30. *J. bolum.* Et aleatores et piscatores bolon jaciunt. Perdidisti, Neptune, hominem maxime perdendum: propterea, Neptune, aleam pulchre jecisti; pulcherrimum jactum fecisti. Id. Curc. V, 2: « si vis tribus bolis vel in chlamydem, etc. » Ab hoc *eubolin* Græci Venereum jactum dicunt, qui in alea felicissimus. Cic. lib. I de Divin. BUDÆUS.

33. *Anancæo. Anancæum* puto fuisse poculum magnum, quod in potandi certamine necesse esset ebibere, quasi ἀναγκαῖον. TURN. — Poeta vetus Ἀνάγκαν vocat τὴν φρενῶν ἔκστασιν, quum, poto liberalius vino, homo suæ sponti non est, neque mentis sanæ: et hanc necessitatem vocant γλυκεῖαν· quia erat aliud olim *anancææ potionis* genus, cujus tristis necessitas. Plautus, *perit potando*, etc. Alludit vel ad sorbitionem cicutæ necessariam, et fatalem sontibus in Græciæ aliquot urbibus, vel ad haustum illum e flumine Lethæo, qui nemini mortalium non est necessarius. CAS.

34. *Mulsa dicta.* Pœn. I, 2.

36. *E navi timidæ ambæ.* MSS

Ad saxa navem ferrier, properans exsolvi restim,
Dum illi timent; nos cum scapha tempestas dextrovorsum
Disfert ab illis. Itaque nos ventisque fluctibusque
Jactatæ exemplis plurimis miseræ perpetuam noctem,
Vix hodie ad litus pertulit nos ventus exanimatas.
TRACH. Gnovi, Neptunus ita solet; quamvis fastidiosus
Ædilis est; si quæ inprobæ sunt merceis, jactat omneis.
AMP. Væ capiti atque ætati tuæ! TRACH. Tuo, mea Ampelisca,
Scivi lenonem facere hoc quod fecit: sæpe dixi.
Capillum promittam, optumum'st, obcipiamque hariolari.
AMP. Cavistis ergo tu atque herus, ne abiret, quom scibatis?
TRACH. Quid faceret? AMP. Si amabat, rogas quid faceret? adservaret
Dies nocteisque, in custodia esset semper; verum, ecastor,
Ut multi fecit, ita probe curavit Pleusidippus.

sine præpositione: *Navis timidæ*. Scioppius: *Navi timidæ*. Quid si retineamus scriptam lectionem? *Navis timidæ ambæ*, id est, navem timentes ambæ. Quemadmodum Ovid. Metam. V: « Emathion æqui cultor, timidusque deorum ». Horat. « Timidus procellæ ». GRON. — Cf. sc. I, 3, 4.

39. *Differt*, in diversa aufert ab illis. LAMB.

40. *Exemplis*. Capt. III, 5, 33.

42. *Quamvis fastidiosus*, id est, admodum fastidiosus. Conf. Men. II, 43, 2.

43. *Ædilis est*. Solebant enim ædiles improbas merces in profluentem interjectum jactare, ut edulia quæ putebant. De mensuris etiam cognoscebant, quas æquas: iniquas frangebant. D. Hieronym. « Ab ædilibus, quos ἀγορανόμους Græci appellant, vendentium coercebatur rabies ». TURN.

44. *Capiti atque ætati*. Imprecatur ut pereat (capiti), aut miser sit (ætati). — *Tuo*, scil. capiti, rejicit preces malas in imprecantem; ita fert vulgata. Sed malim *tun'*. N.

45. *Scivi lenonem facere*. Equidem jam ante opinabar sic facturum lenonem. Capt. III, 4, 55.

46. *Capill. promittam*. Sic Tibull. lib. II, 5: « Jactavit fusa sed caput ante coma ». Nam fanaticorum hic mos erat, ut capillum funderent. SCALIG.

50. *Ut multi fecit*. *Multi facere* hic idem quod *magni facere*, eique opponitur *minoris facere*: diciturque ex levi cura, quam ei herus impenderit, fidem facile facere, amicam in exiguo apud eum fuisse pretio. Possent verba illa compelli in unum,

TRACH. Cur tu istuc dicis? AMP. Res palam'st. TRACH. Scin' tu etiam : qui it lavatum
In balineas, ibi quom sedulo sua vestimenta servat,
Tamen subripiuntur; quippe qui, quem illorum observet, falsus est;
Fur facile, quem observet, videt; custos, qui fur sit, nescit.
Sed duce me ad illam : ubi est? AMP. I sane in Veneris fanum huc intro,
Sedentem flentemque obprimes. TRACH. Ut jam istuc mihi molestum 'st!
Sed quid flet? AMP. Ego dicam tibi : hoc sese excruciat animi,
Quia leno ademit cistulam ei, quam habebat; ubique habebat
Quî suos parenteis gnoscere posset : eam veretur
Ne perierit. TRACH. Ubinam ea fuit cistellula? AMP. Ibidem in navi.
Conclusit ipse in vidulum, ne copia esset ejus,
Quî suos parenteis gnosceret. TRACH. O facinus inpudicum,
Quam liberam esse oporteat, servire postulare!
AMP. Nunc eam cum navi scilicet abivisse pessum in altum.
Et aurum et argentum fuit lenonis omne ibidem.

sed forte non magis quam *lucrificare*, *sumtifacere*, *compendifacere* : quod ultimum totis vocibus separatum Bacchid. II, 2 : « conpendi verba multa jam faciam tibi ». TAUBM.

51. *Qui it lavatum*. Vide Alciat. Parerg. lib. II, cap. 38; Pet. Vict. Var. Lect. VII, 17, et Muret. ad Carm. xxx Catulli : « O furum optime balneariorum ». EAN.

53. *Quippe qui*, etc. Quippe qui non bene novit quem ex illis qui ibi sunt, debeat observare.

56. *Sedentem*. Ritus adorationis et eorum qui precabantur deos. Propert. lib. II : « Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit ». Item supplicium, et eorum qui tutelæ sui causa confugiebant ad deum aras. COLVIUS. — *Obprimes*. Te videbit inexspectatum.

62. *Inpudicum*, hominis quem nil pudet.

63. *Servire postulare!* Cupiti ut serviat. Amph. I, 1, 205.

64. *Scilicet*. *Scire licet*, perspicuum est, eam demersam in profundum. Asin. IV, 1, 42.

65. *Ibidem*, in vidulo.

Credo aliquem immersisse, atque eum excepisse: id misera mœsta 'st,
Sibi eorum evenisse inopiam. TRACH. Jam istoc magis usus facto 'st,
Ut eam intro, consolerque eam, ne se sic excruciet animi:
Nam multa præter spem scio multis bona evenisse.
AMP. At ego etiam, qui speraverint, spem decepisse multos.
TRACH. Ergo animus æquos optumum'st ærumnæ condimentum.
Ego eo intro, nisi quid vis. (It intro.) AMP. Eas; ego, quod mihi inperavit
Sacerdos, id faciam, atque aquam hinc de proxumo rogabo.
Nam extemplo, si verbis suis peterem, daturos dixit:
Neque digniorem censeo vidisse anum me quemquam,
Quoi deos atque homines censeam benefacere magis decere.
Ut lepide, ut liberaliter, ut honeste, atque haud gravate
Timidas, egenteis, uvidas, ejectas, exanimatas
Adcepit ad sese! haud secus, quam si ex se simus gnatæ:
Ut eapse sic subcincta aquam calefactat, ut lavemus!
Nunc ne moræ illi sim, petam hinc aquam, unde mihi inperavit.
Heus, ecquis in villa'st? ecquis hoc recludit? ecquis prodit?

66. *Credo*, etc. Aliquis, credo, se in mare dejecit, et vidulum ereptum undis servavit. — *Misera mœsta 'st*, valde mœret. Vid. Casin. II, 3, 58. N.

67. *Usus*. Epid. IV, 1, 9.

71. *Ergo animus*, etc. Eadem aliis verbis sententia Horatiana, « levius fit patientia, Quidquid corrigere est nefas ». Et Ovidius: « paupertatemque ferendo effecere levem », Met. VIII. Par sententia Captiv. II, 1, 2.

72. *Nisi quid vis*. Asin. I, 1, 95.

74. *Verbis suis*. Cf. Amph. III, 3, 12.

79. *Ex se*. Inconstans loquendi norma satis est in hujus generis oratione; nam modo vs. 58 dixit « hoc sese excruciat », quia leno ademit *ei* pro *sibi*; nunc « quasi ex se simus gnatæ » pro « ex ea ». N.

SCENA QUARTA.

SCEPARNIO, AMPELISCA.

SCEP. Quis est, qui nostris tam proterve foribus facit injuriam?

AMP. Ego sum. SCEP. Hem, quid hoc boni est? heu, edepol, specie lepida mulier!

AMP. Salve, adulescens. SCEP. Et tu multum salveto, adulescentula.

AMP. Ad vos venio. SCEP. Adcipiam hospitio, si nox venis,
Item ut adfecta : nam nunc nihil est quî te inanem.
Sed quid ais, mea lepida, hilara? AMP. Aha, nimium familiariter
Me adtrectas. SCEP. Pro di immortaleis, Veneris ecfigia hæc quidem 'st.

4. *Nox*, noctu. Asin. III, 3, 7. Vulgata *mox*, perperam.

5. *Item ut adfecta*. Vulgo, « Item ut adfectam », syntaxi claudicante. Editor Bipontinus cum nonnullis *affectas*, i. e. desideras. Bothianam recepimus, haud longe recedentem a scriptis et facillimam, quam tamen aliter atque ipse Bothius intelligo. Ille : ut affecta, i. e. ambiguo sensu, ut affecta es (et miseria et pulchritudine), ut te habes. Ego malim : te accipiam prout affecta eris; ut te habebis, ita te accipiam, i. e. si ornatu voluptario adieris. Festus hunc locum citat quo comprobat *adfectatam*, vel *adsectatam*, esse duplici sensu « honoratam et ad summum periculum adductam mulierem », sed non satis diserte, ut docti opinantur. — *Inanem*. Locus multis eruditorum conjecturis vexatus est, præsertim illud, *qui te inanem;* quod nulla ratione potest defendi. Libri Palatini habent *manem* pro *inanem*. Unde scribendum conjiciebam, « maneam. Nam nunc nihil est quî te maneam », id est, exspectem. BOXH. — Quum Palatini codices habeant *manem*, pro eo legendum *maneam* aut *mantem*. Et hoc verius. Nam hujus verbi ignoratio ansam loco corrumpendo dedit. *Mantare* supra legitur, pro exspectare, in Mostell. SALMAS. — Bothius legit : « nunc nihil est quidem in manum », ingeniosa sane conjectura. Quam si recipere nolis, retineas potius vulgatam, quam *mantem* aut *maneam* emendes, et sit intelligendum *hospitio accipiam*, i. e. non possum nunc te hospitio excipere nil afferentem, nil dantem (inanem). N

Ut in ocellis hilaritudo est! eia, corpus quojusmodi!
Subvolturium; illud quidem, subaquilum volui dicere.
Vel papillæ quojusmodi! tum quæ indoles in savio est?
AMP. Non ego sum pollucta pago: potin' ut me abstineas manum?
SCEP. Non licet te sicce placide bellam belle tangere?
AMP. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo et delitiæ dabo:
Nunc, quamobrem sum missa, amabo, vel tu mihi aias, vel neges.
SCEP. Quid nunc vis? AMP. Sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
SCEP. Meus quoque hic sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
AMP. Hæc sacerdos Veneris hinc me petere jussit a vobis aquam.
SCEP. At ego basilicus sum: quem nisi oras, guttam non feres.

9. *Subvolturium*, etc. Hujusmodi ἁμαρτήματα, voluntaria quidem, passim occurrunt apud Plautum. Nunc memini Pseud. III, 2, 52-54. — *Illud quidem*. Cas. III, 5, 39. N. — *Subaquilum*. Quia aquilæ generosiores sunt vulturibus, hac correctione usus est, ut quidem Lambino visum. Quid *aquilus color* sit, diximus Pœnul. V, 2, 152. Quamvis Marcell. Donatus in Dilucidat. *aquilum colorem* non ab *aqua*, sed ab *aquila* alite, cujus color sit subniger, dictum censet. TAUBM.

10. *In savio*, in labellis quæ savium darent; nam adhuc refugit Ampelisca vel ab attrectatione.

11. *Pollucta pago*. Vult se non esse scortum pagi publicum, vel tamquam dapem profanatam omnibus expositam, qualem *publicam libidinis victimam* vocat Tertullianus. SCALIGER. — Turnebus, *polluctam pago*, interpretatur «communem atque expositam pago, ut in pollucto Herculis omnia exponebantur obviis».

12. *Sicce*, modeste, more hominis non madidi vino. Ita *sobrie*. Sciopp. et cum eo Daceria interpretantur *sic*, et *ce* putant paragogen.

13. *Ludo*, jocis. — *Delitiæ*, argutiis colloquendi. Cf. Menæchm. II, 3, 30.

15. *Sapienti*, intelligenti. — *Ornatus*, scil. urna. Sc. 1, vs. 4.

16. *Quid velim*. Nihil profecto pudicum Sceparnio se velle modo significavit. Quis sit ille nunc ornatus quem monstret, piget divinare. N.

18. *Basilicus*, magnificus, et a quo nihil auferas, nisi vel per interpretem, vel supplici habitu. GRUT.

Nostro illum puteum periculo et ferramentis fodimus.
Nisi multis blanditiis, a me gutta non ferri potest.
AMP. Cur tu operam gravare, amabo, quam hostis hosti conmodat?
SCEP. Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi conmodat?
AMP. Imo etiam tibi, mea voluptas, quæ voles faciam omnia.
SCEP. Eugepæ! salvos sum! hæc jam me suam voluptatem vocat:
Dabitur tibi aqua, ne nequidquam me ames: cedo mihi urnam. AMP. Cape,
Propera, amabo, ecferre. SCEP. Manta; jam heic ero, voluptas mea.
AMP. Quid sacerdoti me dicam heic demoratam tam diu?
Ut etiam nunc misera timeo, ubi oculis intueor mare!
Sed quid ego misera video procul in litore?
Meum herum lenonem Siciliensemque hospitem,
Quos periisse ambos misera censebam in mari.
Jam illud mali plus nobis vivit, quam ratæ.
Sed quid ego cesso fugere in fanum, ac dicere hæc
Palæstræ, in aram uti confugiamus prius,
Quam huc scelestus leno veniat, nosque heic obprimat?
Confugiam hinc; res ita subpetit subito mihi.

19. *Ferramentis* nostris. I. e. nostro sumtu hunc fodimus puteum, ergo inde aqua hauriri non licet gratis.

21. *Aquam gravare. Gravare* i. q. gravaris, dixit, pro gravate dare: sicut Cicero, *præcidere alicui*, pro, præcise negare: sic Mil. « ut, quod cupiam, ne gravetur », et Epid. « ne gravetur quod velis ». SCIOPP. — Græcos eodem modo uti suo βαρύνεσθαι docent Salmas. Exercit. Plin. p. 265, et Vechner. de Hellenism. II, 2. Vetus Epigramma: Μὴ Ζεὺς ἀλγήσῃ τοῦτο βαρυνόμενος. GRONOV.*

22. *Civis civi conmod.* Osculo se invicem excipiebant.

25. *Cedo*, da.

34. *In aram.* Vide Mostell. V, 1, 45-65.

36. *Subpetit.* Hoc factu optumum.

SCENA QUINTA.

SCEPARNIO.

Pro di immortaleis, in aqua nunquam credidi
Voluptatem inesse tantam! ut hanc traxi lubens!
Nimio minus altus puteus visu'st, quam prius.
Ut sine labore hanc extraxi! præfiscine,
Satis nequam sum; utpote qui hodie inceperim
Amare. Hem tibi aquam, mea tu bella: hem, sic volo
Te ferre honeste, ut ego fero; ut placeas mihi.
Sed ubi tu es, delicata? cape aquam hanc, sis: ubi es?
Amat, hercle, me, ut ego opinor: delituit mala.
Ubi tu es? etiamne hanc urnam adceptura es? ubi es?
Conmodule melius; tandem vero serio.
Etiam adceptura es urnam hanc? ubi tu es gentium?
Nusquam, hercle, equidem illam video: ludos me facit.
Adponam, hercle, urnam jam ego hanc in media via.
Sed autem, quid si hanc hinc abstulerit quispiam
Sacram urnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo, hercle, ne illa mulier mihi insidias locet,
Ut conprehendar cum sacra urna Veneria.
Nempe optumo me jure in vinculis enecet
Magistratus, si quis me hanc habere viderit.
Nam hæc literata'st; ab se cantat quoja sit.

4. *Præfiscine*. Asin. II, 4, 84.

5. *Satis nequam*, etc. Homo nihili et stultus sum, qui noudum amare cœperam; siquidem in eo tantum laboris levamentum inest. N.

7. *Honeste*, comiter.

8. *Delicata*. Gall. *espiègle*.

9. *Amat ... delituit mala.* « Malo me Galatea petit, lasciva puella, Et fugit ad salices ».

11. *Conmodule melius*. Melius est, oportet, modum adhiberi, commode agi.

13. *Ludos me facit*. Cf. Captiv. III, 4, 47.

16. *Exh. neg.* i. q. πράγματα παρέχειν, molestiam præbere.

19. *Optumo jure*, lege damnatus sim fur manifestus.

21. *Literata 'st*. Id est, literis

Jam, hercle, evocabo hinc hanc sacerdotem foras,
Ut hanc adcipiat urnam: adcedam huc ad foreis.
Heus, sis, Ptolemocratia, cape hanc urnam tibi:
Muliercula hanc nescio quæ huc ad me detulit.
Intro ferunda 'st: reperi negotium;
Siquidem his mihi ultro adgerunda etiam'st aqua.

SCENA SEXTA.

LABRAX, CHARMIDES.

LABR. Qui homo sese miserum et mendicum volet,
Neptuno credat sese atque ætatem suam;
Nam si quis quid cum eo rei conmiscuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol, Libertas, lepida es, quæ nunquam pedem
Voluisti in navem cum Hercule una inponere.
Sed ubi ille meus est hospes, qui me perdidit?
Atque eccum incedit. CHAR. Quo, malum, properas, Labrax?

inscripta est : vel potius Veneris imagine insignita; unde sacrificiis inservire significetur : id quod in omnibus sacrorum vasis observari solitum, ad Plinium ex Athenæo notat Hermol. Barbarus. Apuleius quoque lib. VI, « lacinias auro literatas » fingit Psychen in Junonis fano vidisse, id est, literis aureis inscriptas. *Literatum* Gr. γραμματικὸν vocatur, quidquid literis inscriptum est, et ποτηρίου γραμματικοῦ meminit etiam Lexiphanes Luciani. CASAUB.

24. *Sis.* Asin. II, 3, 43; Amph. I, 1, 130.

4. *Ad hoc exemplum*, ut ego, sum. Vid. Epid. III, 2, 2; Captiv. III, 5, 33. — *Amittit*, Neptunus dimittit eum. — *Ornatum*. Cf. I, 3, 3.

6. *Cum Hercule*. Quæ hæc libertas, quæ cum Hercule noluit navigare? Nugamenta mera. Lego ex vett. codd. « in navem mecum, hercle, una imponere ». Jocatur adhuc leno in miseria sua, dicens se mendicum factum, amisisseque omnes fortunas suas naufragio, præter Libertatem, quæ secum pedem navim inferre noluerat. MEURS. — Quæ sit illa Libertas nescio, quæ nunquam voluit pedem cum Hercule una in navem imponere. Alludit ad aliquam fabulam quæ mihi ignota est. SALMAS. — Vehementer profecto significans fuit atque altæ sapientiæ illa vetus allegoria.

8. *Malum*. Amph. I, 1, 247.

Nam equidem te nequeo consequi tam strenue.
LABR. Utinam te prius quam oculis vidissem meis,
Malo cruciatu in Siciliam perbiteres,
Quem propter hoc mihi obtigit misero mali!
CHARM. Utinam, quom in ædeis me ad te adduxisti tuas,
In carcere illo potius cubuissem die!
Deosque inmortaleis quæso, dum vivas, uti
Omneis tui simileis hospites habeas tibi.
LABR. Malam Fortunam in ædeis te adduxi meas.
Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?
Quidve hinc abitio? quidve in navem inscensio?
Ubi perdidi etiam plus boni quam mihi fuit.
CHARM. Pol, minume miror, navis si fracta 'st tibi,
Scelus te et sceleste parta quæ vexit bona.
LABR. Pessum dedisti me blandimentis tuis.
CHARM. Scelestiorem cœnam cœnavi tuam,
Quam quæ Thyestæ quondam anteposita 'st, et Tereo.
LABR. Perii, animo male fit! contine, quæso, caput.
CHARM. Pulmoneum, edepol, nimis velim vomitum vomas.
LABR. Eheu, Palæstra, atque Ampelisca! ubi estis nunc?
CHARM. Piscibus in alto credo præbent pabulum.
LABR. Mendicitatem mihi obtulisti opera tua,
Dum tuis ausculto magnidicis mendaciis.
CHARM. Bonam est quod habeas gratiam merito mihi,

11. *In Siciliam.* Aulul. IV, 3, 4. — *Perbiteres*, perires, antique. Cf. Pseud. III, 1, 12.

17. *Malam fortunam.* Vid. Aulul. I, 2, 22.

18. *Quid mihi*, etc. Cur tibi scelesto auscultavi?

20. *Ubi perdidi*, etc. Et enim perdidit mulieres per quas multum rem suam aucturum se sperabat.

25. *Thyestæ*, etc. Fabula nota est, qua Atreus Thyestæ fratri suos liberos epulandos apposuisse narratur. De Tereo, cui Progne uxor communem filium Itym comedendum objecit, vide vel Ovidii Met. lib. VI, 7 et seqq. GRON.

26. *Animo male fit.* Λειποψυχῶ· significat se vomiturire. LAMB.

29. *Pabulum.* Sic Petron. Satir. « ..... regnum Neptuni pavit Ulysses ». Nimirum, quod piscibus in mari pabulum præbuerit toties, et suis et sociorum naufragiis : apud Hom. DOUZA.

30. *Obtulisti*, adtulisti.

Qui te ex insulso salsum feci opera mea.
LABR. Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem?
CHARM. Eas; easque res agebam commodum.
LABR. Eheu, quis vivit me mortalis miserior?
CHARM. Ego multo tanto miserior, quam tu, Labrax.
LABR. Quî? CHARM. Quia ego indignus sum, tu dignus, qui sies.
LABR. O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas,
Qui semper servas gloriam aritudinis.
CHARM. Equidem me ad velitationem exerceo:
Nam omnia corusca præ tremore fabulor.
LABR. Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis posteaquam abs te abii, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum instruit;
Ita salsam præbet potionem et frigidam.
CHARM. Ut fortunati sunt fabri ferrarii,
Qui apud carbones adsident! semper calent.
LABR. Utinam fortuna nunc anatina uterer,

33. *Salsum*. Jocus ex ambiguo. *Salsum* enim et urbanum significat, et aqua marina imbutum. LAMB.

35. *Eas; easque res*. Meudnsa est scriptura codicis Camerarii: « Dat easque res ». Nec etiam probo ex ea legi, « meas tuasque res ». Nuuquam veteres imprecatinnem sibi factam tacitam prætericruut, quin regererent iu caput ejus qui eam fecisset. Qnnm igitur Labrax Charmidi dixisset, « Quin is hinc a me in maxumam malam crncem », respondet Charmides, *eas*, sed figurate, quasi alio sensu illud *eas* diceret, repetit ac dixit, « easque res agebam commodum », id est, eas res agcbam commodum, h. e. id agebam ut a te abirem. Hujus locutionis figuratæ, qua regeritur in dicentem maledictio et imprecatin, multa exempla reperiuntur. SALM. — *Eas*, imo te iu crucem malam.

39. *O scirpe*. Leuo se præ scirpo contemnit; quia si suis bouis conteutus, ut scirpus ariditate sua, fuisset, nnnquam eo miseriarnm venisset. SCIOPP.—Laudat in scirpo, quod ne in mediis quidem aquis uvescat. GRUT.

42. *Corusca fabulor*. Coruscant quæ motando videutur scintillare, nt mota veutis folia, Virg. Æn. I, 164; XII, 701. Igitur qui nunc præ frigore tremeus, et crepitans dentibus verba singultim lapsantia balbutit, jculariter se dicit verbis coruscare, ut mucronibus coruscant qui velitantur. N.

45. *Thermopolium*. Vide Curcul. II, 3, 13; Trin. IV, 3.

49. *Fortuna anatina*. Anates enim

Uti quom exivissem ex aqua, arerem tamen!
CHARM. Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?
LABR. Quapropter? CHARM. Quia, pol, clare crepito dentibus.
Jure optumo me lavisse arbitror.
LABR. Quî? CHARM. Quia auderem tecum in navem ascendere,
Qui a fundamento mihi usque movisti mare.
LABR. Tibi auscultavi, tu promittebas mihi
Illeic esse quæstum maxumum meretricibus;
Ibi me conruere posse aibas divitias.
CHARM. Jam postulabas te, inpurata belua,
Totam Siciliam devoraturum insulam.
LABR. Quænam balæna meum voravit vidulum,
Aurum atque argentum ubi omne conpactum fuit?
CHARM. Eadem illa, credo, quæ meum marsupium,

licet diu sint in aquis : neque madent tamen, neque algent.

51. *Manduco. Manducus* est μορμολυκεῖον, quod in ludis circumferebatur inter cæteras ridicularias et formidulosas personas, magnis malis lateque dehiscens, et clare crepitans dentibus : in Atellanis præsertim. Juvenalis, Sat. III : « tandemque redit ad pulpita notum Exodium; quum personæ pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans ». Dentes enim magnos, et voracitatem attribuebant nocturnis illis terriculamentis. Quo nomine factum, ut *Lamiam* puerorum infantium deglutricem fingerent. Etiam *Pythonem* pro terriculamento, et *Gorgonium* pro manduco dixerunt; quia Γοργόνες cum magnis dentibus pingebantur. Lucilius : « Illo quid fiet Lamia et Pytho oxyodontes, etc. » SCAL. — Præferebant in pompis vel ludicris, vel triumphalibus, vel funereis, prosopa monstrosa simul et ridicule conficta, cujus generis fuit manducus ille, et aliud quod citeriam vocant. Vide Festum. N.

54. *Auderem. Quia* ut *quod* subjunctivum trahere potuit.

57. *Illeic*, in Sicilia.

58. *Conruere*, conjicere, coacervare, συναθροίζειν. Varro : « spicæ corruuntur in corbem ». Quod inde est, quia *rutrum* significat quod græce χρωπίον. Varro : « Rutro caput displanavit ». Significat et *hostorium*, quod græce ῥύχανον. Lucil. « Frumentarius est, modium secum, atque rutellum Unum adfert ». *Ruere* enim est modio cumulum adæquare. Cic. ad Att. XVI : « De laudibus Dolabellæ deruam cumulum ». Hor. Serm. II, 5 : « Divitias ærisque acervos ruam ». SCAL.

Quod plenum argenti fuit, in sacciperio.
LABR. Eheu, redactus sum usque ad hanc unam tuniculam,
Et ad hoc misellum pallium: perii oppido!
CHARM. Vel consociare mihi quidem tecum licet:
Æquas habemus parteis. LABR. Saltem si mihi
Mulierculæ essent salvæ, spes aliquæ forent.
Nunc si me adulescens Pleusidippus viderit,
A quo arrhabonem pro Palæstra acceperam,
Jam ipse exhibebit heic mihi negotium.
CHARM. Quid, stulte, ploras? tibi quidem, edepol, copia'st,
Dum lingua vivet, quî rem solvas omnibus.

SCENA SEPTIMA.

SCEPARNIO, CHARMIDES, LABRAX.

SCEP. Quid illuc, obsecro, negoti, quod duæ mulierculæ
Heic in fano Veneris signum flenteis amplexæ tenent?
Nescio quem metuenteis miseræ. Nocte hac vero proxuma
Se jactatas atque ejectas hodie esse aiunt e mari.
LABR. Obsecro, hercle, adulescens, ubi istæc sunt, quas memoras, mulieres?
SCEP. Heic in fano Veneris. LABR. Quot sunt? SCEP. Totidem quot ego et tu sumus.
LABR. Nempe, meæ. SCEP. Nempe nescio istuc. LABR. Qua sunt facie? SCEP. Scitula.

64. *Sacciperio. Sacciperium* majoris modi marsupium, a sacco et pera: quod alia etiam recipere posset. CAMER.

74. *Quî rem solvas omnibus.* Forsan *resolvas*. Asin. II, 4, 26. Resolvet lingua, scilicet perjurio debita denegans.

2. *Amplexæ tenent.* Qui magno affectu et studio deos colebant, aut in magno periculo erant, ut deorum fide tuti essent, aut a diis magni periculi liberationem petebant, aut aras, aut divum simulacra amplectebantur. Virg. Æn. II: « ... et divum amplexæ simulacra tenebant ». TURN.

7. *Scitula.* Forma scita est lepida, Merc. Argum. 2; at *scitula* inest aliquid blandius.

Vel ego amare utramvis possim, si probe adpotus siem.
LABR. Nempe, puellæ? SCEP. Nempe, molestus es: vise, si lubet.
LABR. Meas oportet intus esse heic mulieres, mi Charmides.
CHARM. Jupiter te perdat, et si sunt, et si non sunt tamen.
LABR. Intro rumpam jam huc in Veneris fanum. CHARM. In barathrum mavelim.
Obsecro, hospes, da mihi aliquid, ubi condormiscam loci.
SCEP. Isteic ubi vis condormisce: nemo prohibet, publicum'st.
CHARM. At vides me, ornatus ut sim vestimentis uvidis;
Recipe me in tectum, da mihi vestimenti aliquid aridi,
Dum mea arescunt; in aliquo tibi referam gratiam.
SCEP. Tegillum eccillud mihi unum arescit: id si vis, dabo;
Eodem amictus, eodem tectus esse soleo, si pluvit.
Tu istæc mihi dato; exarescant faxo. CHARM. Eho, an te pœnitet,
In mari quod elavi, ni heic in terra iterum eluam?
SCEP. Eluas tu an exungare, ciccum non interduim.

8. *Amare ... si ... adpotus.* Asinar. Argum. not. 1.

18. *Tegillum*, id est, cucullinunculum e scirpo factum. FEST. — *Tegillum* pro integumento corporis, seu veste vili et plebeia frequentatum, constat etiam e Nonio. Apul. lib. IX: « Nonnulli exiguo tegillo tantummodo pubem intecti ». Porro adjicit Nonius, deminutum esse a *tecto*, recte: sic enim a *recta*, quod itidem vestis genus est, *regilla*; et *tecto* quoque vestem significari idem docet. TAUBM.

20. *Exarescant faxo.* At servus efficere etiam possit, ut nusquam compareant. — *An te p. Pœnitere* interdum, ut ei hic, usurpatur pro non contentum esse, non satis judicare. GRON.* — Cf. Aul. III, 2, 20; Mil. III, 1, 143.

21. *Elavi.* Perlepide jocatur. Nam qui naufragium fecerat, elavisse se dicit: quum etiam *eluere* sit amittere, perdere, consumere: nam *in terra eluam*, est amittam et perdam. Asin. I, 2: « in mari reperi, hic elavi bonis »: translatio ducta est a balneis, in quibus luxu lavandi nequiores rem profligabant et edebant. TURN.

22. *An exungare.* Trinum. II, 4. J. Gul. tamen hic, inquit, malim legi: « Eluas tu, an emungare ». — *Ciccum non interduim. Ciccum* est leve quiddam, ut *hilum*. Glos-

Tibi ego nunquam quidquam credam, nisi adcepto pignore.
Tu vel suda, vel peri algu, vel tu ægrota, vel vale:
Barbarum hospitem mihi in ædeis, nihil moror: sat litium 'st.
CHARM. Jamne abis? venaleis illic ductitavit, quisquis est:
Non est misericors: sed quid ego heic adsto infelix, uvidus?
Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiscam hanc crapulam,
Quam potavi præter animi, quam lubuit, sententiam.
Quasi vinis Græcis Neptunus nobis subfudit mare:
Itaque alvom prodi speravit nobis salsis poculis.
Quid opu'st verbis? si invitare nos paulisper pergeret,
Ibidem obdormissemus: nunc vix vivos amisit domum.
Nunc lenonem, quid agit intus, visam, convivam meum.

sæ: « Ciccum ῥοᾶς ὑμήν. Membrana tenuis, quæ est in malo Punico cellularum discrimen », ut Varro ait. Hesychius, κοκκὸς διαχώρησις. Glossarium H. Stephani: *Ciccum*, γρὺ κόκκος· quod Græci, οὐδὲ γρύ· Latini, *nec ciccum*; et κόκκος eadem notione apud Græcos. Timon Sillographus: Πτωχὸς μὲν φρένας εἰμὶ, νόου δέ μοι οὐκ ἔνι κόκκος. « Exsensum mihi pectus, et haud bilum mihi mentis ». LIPS.

25. *Barbarum.* Videlicet timere se simulat, ne sit ille fugitivus (nam plerique servi e barbaris gentibus deducti, Syrus, Geta); et sibi lis tanquam fugitivorum receptori intentetur. N.

26. *Jamne abis?* Locutio a se repellentis importunum, vel morantem urgentis. Pers. I, 1, 51. N. — *Venaleis.* Servos venales hic homo ductitavit: est mango. Hoc eo dicit, quod mangones sævi et immisericordes esse soleant. LAMB.

29. *Quam lubuit.* Τὸ *quam*, trahitur præpositione *præter*, præterquam.

30. *Vinis Græcis.* Vinis Græcis, quæ travehebantur in titulum, solebant aquam marinam suffundere, præterquam Chiis: ad quem morem alludit Plautus. Vide Athen. lib. I, et Plutarch. Διὰ τί τῷ οἴνῳ θάλασσαν παραχέουσι. LAMB.

31. *Prodi speravit.* Sunt qui scribant uno verbo *prodisperavit*, ac interpretentur *distorsit*. Multi vero eruditi viri hoc tanquam monstrum locutionis damnant, et divisere voces, quas dedimus; *prodi* autem explicant « decipi ita ut magis quam par esset biberetur », et Epist. Galli Cic. lib. VII allegant. Malim sic habente oratione intelligere, *prolatari*, *distendi*. At mihi *prodisparavit* arridet, vox nempe sexcentis Plauti confictionibus annumeranda. Vid. infra III, 2, 43. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

DÆMONES.

Miris modis di ludos faciunt hominibus,
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Ne dormienteis quidem sinunt quiescere.
Velut ego hac nocte, quæ præcessit, proxuma
Mirum atque inscitum somniavi somnium.
Ad hirundininum nidum visa est simia
Adscensionem ut faceret admolirier,
Neque eas eripere quibat inde : postibi
Videbatur ad me simia adgredirier,
Rogare, scalas ut darem utendas sibi.
Ego ad hoc exemplum simiæ respondeo,
Gnatas ex Philomela atque ex Progne esse hirundines:
Ago cum illa, ne quid noceat meis popularibus.
Atque illa animo jam fieri ferocior,
Videtur ultro mihi malum minitarier.
In jus vocat me : ibi ego nescio quomodo
Iratus videor mediam adripere simiam :
Concludo in vincla bestiam nequissumam.

5. *Somnium.* Hujusmodi comicum somnium videre est. Mercat. II, 1.

6. *Hirundininum.* Hoc possessivum notat Prisc. lib. II.

11. *Ad h. e.* in hunc modum.

12. *Gnatas ex.* Confundit Plautus hanc metamorphosin, comica licentia. Vide Pierii Valer. Hieroglyph. lib. II. Douza.

13. *Popularibus.* Senex Athenis natus erat.

Nunc quam ad rem dicam hoc adtinere somnium,
Nunquam hodie quivi ad conjecturam evadere.
Sed quid heic in Veneris fano
Clamoris oritur? animus mirat.

SCENA SECUNDA.

TRACHALIO, DÆMONES.

TRACH. Pro, Cyrenenseis populareis! vostram ego inploro fidem,
Agricolæ, adcolæ, propinqui qui estis his regionibus,
Ferte opem inopiæ, atque exemplum pessumum pessumdate,
Vindicate: ne inpiorum potior sit pollentia,
Quam innocentium, qui se scelere fieri nolunt gnobileis.
Statuite exemplum inpudenti, date pudori præmium,
Facite heic lege potius liceat, quam vi, victo vivere.
Currite huc in Veneris fanum; vostram iterum inploro fidem,
Qui prope heic adestis, quique auditis clamorem meum,
Ferte subpetias, qui Veneri, Veneriæque antistitæ
More antiquo in custodiam suum conmiserunt caput,
Prætorquete injuriæ prius collum, quam ad vos perveniat.

19, 20. *Nunc quam*, etc. Ordo sententiæ: hodie conjicere nunquam potui quo pertineat somnium. De ambitu loquendi «quam ad rem dicam adtinere», vid. I, 3, 5, et Mil. IV, 5, 2.

6. *Statuite exempl. inp.* Facite ut inde sit exemplum scelestæ audaciæ, ne postea quidquam tale committat.

7. *Victo vivere* i. q. simplex *vivere*. *Victo* est ablativum pro *victu*. Vide Captiv. act. IV, sc. 2, v. 75.

10. *Ferte subpetias.* Et hæc quidem moris antiqui religionisque prærogativa tam servis quam libertis hominibus competebat: ut hic apparet. «Hic aræ sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacræ religionis cerimoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit». Ræv.—Vid. Mostell. V, 1, 45.—*Qui Veneri*, etc. Supple *illis*.

DÆM. Quid istuc est negoti? TRACH. Per ego te hæc genua obtestor, senex,
Quisquis es. DÆM. Quin tu ergo omitte genua, et quid sit, mihi expedi,
Quid tumultues? TRACH. Teque oro et quæso, si speras tibi
Hoc anno multum futurum sirpe et laserpitium,
Eamque eventuram exagogam Capnam salvam et sospitem,
Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi.
DÆM. Sanun' es? TRACH. Seu tibi confidis fore multam magudarim,
Ut te ne pigeat dare operam mihi, quod te orabo, senex.
DÆM. At ego te per crura et talos, tergumque obtestor tuum,
Si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam,

16. *Sirpe et laserpitium.* Sirpe est σίλφιον (*benjoin*), et laserpitium, succus sirpis. Cyrenenses vocabant plantam σίρφι, unde Latini serpe, dein laserpitium quasi lae serpicium. Ex voce *laserpitium* truncata, factum *laser*, quod ὀπὸν proprie significat Latinis, postea *laser* et *laserpitium* pro ipsa planta usurparunt. Plinius: « auctoritate clarissimum laserpitium, quod Græci σίλφιον appellant ». Et *laserpitiferæ Cyrenæ* Catullo. Ita et σίλφιον Græci aliquando pro succo ipso posuerunt; unde σιλφιωτὰ *lasere* inspersa, quæ Latinis *laserata*. SALM.

17. *Exagogam*, id est, exportationem sive evectionem eam, et eas merces Cyrenis aut ex Libya exportatas, salvas Capnam venturas. LAMB. — Hic Capna notatur tanquam luxu diffluens, ubi scilicet magnus unguentorum usus. Jam Campani, opinor, ad Pœnos defecerant.

19. *Magudarim.* Veteres σίλφιον radicem appellarunt, semen vero μαγύδαριν. Pollux, τὸ δὲ σιλφίου σπέρμα καλεῖται μαγύδαρις. Nihil certius quam *magudarim* pro semine laserpitii hoc loco poni. Si tibi confidis, inquit Trachalio, fore multum laserpitii sementem. Quum enim magudaris semen sit, prout multum est et abundans; ita bona laserpitii annona laserisque, et contra: nam ex semine laserpitium nascebatur, ex laserpitio semen, ut in aliis. Erat etiam *magudaris*, non laserpitii semen tantummodo, sed aliud etiam fruticis genus, quod in Syria, non etiam in Cyrenaica proveniebat: verum de hac Syriaca magudari non potest accipi hic versus Plautinus, sed de semine laserpitii. SALM.

22. *Si tibi ulmeam.* Taubmanus et Gruterus: Ita Acidal. cogente sententia. Vulgo, *Ut tibi*, et *speres*. Pareus: MSS Pall. et pr. edd. *Ut tibi*, nullo sensu: sequitur enim *Ut* vs. 24. At, o boni, non est hoc

Et tibi esse eventuram hoc anno uberem messem mali,
Ut mihi istuc dicas negoti quid sit, quod tumultues.
TRACH. Quî lubet maledicere? equidem tibi bona exoptavi omnia.
DÆM. Bene equidem tibi dico, qui, te digna ut eveniant, precor.
TRACH. Obsecro, hoc prævortere ergo. DÆM. Quid negoti'st? TRACH. Mulieres
Duæ innocenteis intus heic sunt, tui indigenteis auxili,
Quibus advorsum jus, legesque insignite injuria heic
Facta'st, fitque in Veneris fano: tum sacerdos Veneria
Indigne adflictatur. DÆM. Quis homo est tanta confidentia,
Qui sacerdotem audeat violare? sed eæ mulieres
Quæ sunt? aut quid iis iniqui fit? TRACH. Si das operam, eloquar.
Veneris signum sunt amplexæ, nunc***
Eas deripere volt: eas ambas esse oportet***
DÆM. Quis istic est, qui deos tam parvipendit?
TRACH. Fraudis, sceleris, parricidi, perjuri plenus,
Legirupa, inpudens, inpurus, inverecundissumus:
Uno verbo absolvam, leno'st: quid illum porro prædicem?

mutandum, et nulla cogit sententia. Obtestor te, ut tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam, dictum est: « Ut vos in vostris voltis mercimoniis, etc. ita huic facietis ». Et, « Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ, etc. ita te obtestor ». Sed sequitur τὸ *Ut* vers. 40, alio sensu. Quid tum? Etiam Cicero sic solet diversos significatus ejus particulæ eodem in complexu orationis jungere. Vide Observ. III, 6. GRON.

27. *Hoc prævortere*, hoc quod dico attende præ cæteris rebus.

32. *Sacerdotem audeat violare.* Ei enim ordini eumdem habuere honorem homines quem ipsis deis. Artemidor. lib. II, cap. 74.

33. *Si das operam*, si me audis. Cf. Curc. II, 2, 9.

34. *Nunc.* Ita est in MSS et edd. primis: quod Camerarius ad hoc exemplum expleri posse suspicatus est: « Vir sceleratissimus », aut, « Vir audacissimus ». Idem ad vs. sequentem attexit *liberas;* quod nusquam alibi video. Ita tertium compleri posse censet tali clausula: « .....parvipendit? eloquere, obsecro ».

36. *Deos tam parvipendit.* Forte addendum *et deas.* SCRIVER.

DÆM. Edepol, infortunio hominem prædicas donabilem.
TRACH. Qui sacerdoti scelestus fauceis interpresserit.
DÆM. At malo cum magno suo fecit, hercle : ite istinc foras,
Turbalio, Sparax, ubi estis? TRACH. I, obsecro, intro, subveni
Illis. DÆM. Iterum haud inperabo, sequimini hac. TRACH. Age nunc jam,
Jube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui.
DÆM. Proripite hominem pedibus huc, itidem quasi obcisam suem.
TRACH. Audito tumultum : opinor leno pugnis pectitur.
Nimis velim inprobissumo homini malas edentaverint.
Sed ecce ipsæ huc egrediuntur timidæ e fano mulieres.

SCENA TERTIA.

PALÆSTRA, AMPELISCA, TRACHALIO.

PAL. Nunc id est, quom omnium copiarum atque opum,
Auxili, præsidi viduitas nos tenet;
Nec ulla specula'st, quæ salutem adferat :
Nec scimus quam in partem ingredi persequamur.
Maxumo miseræ in metu nunc sumus ambæ,
Tanta inportunitas, tantaque injuria
Facta in nos est modo heic intus ab nostro hero,

40. *Donabilem,* donandum, multabilem. LAMB.

43. *Turbolio*, *Sparax.* Lorariorum nomina; utrumque græcæ formæ : prius ἀπὸ τῆς τύρβης, τυρβαλίων, *tumultuator ;* alterum ἀπὸ τῆς σπαράξεως, *lacerator.* CAMER.

44. *Iterum haud inperabo.* Sunt qui mutent « iterum haud imperabis », hoc ad Trachalionem. At illud bene habet, siquidem moram minaciter objurgantis est.

45. *Sepiis.* Vide Casin. II, 8, 59.

47. *Pugnis pectitur.* Locutio est, qua gaudet Plautus. Cf. Menæchm. V, 7, 28.

3. *Salutem adferat.* J. Gul. leg. *adserat.* Spes, inquit, salutem non affert, sed promittit, animo certis rationibus inducto. *Adserere* autem confirmare est, causis, cur ita sentias, expositis.

Qui scelestus sacerdotem anum præcipem
Repulit, propulit, perquam indignis modis,
Nosque ab signo intimo vi deripuit sua.
Sed nunc, sese ut ferunt res fortunæque nostræ,
Par est moriri : neque est melius morte, in malis
Rebus, miseris. TRACH. Quid est? quæ illæc oratio'st?
Cesso ego has consolari? heus, Palæstra! PAL. Qui vocat?
TRACH. Heus, Ampelisca! AMP. Obsecro, quis est qui vocat?
PAL. Quis is est, qui nominat? TRACH. Si respexis, scies.
PAL. O salutis meæ spes! TRACH. Tace, ac bono animo es.
Me vide. PAL. Si modo id liceat, vis ne obprimat:
Quæ vis, vim mihi adferam ipsa, adigit. TRACH. Ah, desine : nimis inepta es.
AMP. Desiste dictis nunc jam miseram me consolari.
PAL. Nisi quid re præsidium adparas, Trachalio, acta hæc res est:
Certum'st moriri, quam hunc pati grassari lenonem in me:
Sed muliebri animo sum tamen : miseræ ubi venit in mentem
Mihi, mortis metus membra obcupat, edepol. TRACH. Etsi hoc acerbum,
Bonum animum habete. PAL. Nam, obsecro, unde animus mihi invenitur?
TRACH. Ne, inquam, timete : adsidite heic in ara. AMP. Istæc quid ara
Prodesse nobis plus potest, quam signum in fano heic intus
Veneris, quod amplexæ modo, unde abreptæ per vim miseræ?

8. *Præcipem.* Antiqui dixere *præceps*, *præcipis.*

10. *Ab signo intimo*, i. e. quod interiore ædis parte stabat. « In eo sacrario intimo signum fuit Cereris », Cic. de Sign. 45. Daceria intelligit « ab intimo amplexu signi ».

17. *Tace.* Curc. I, 1, 84.

18. *Me vide.* Merc. V, 4, 53.

24. *Etsi hoc acerbum*, quod nunc agitur. Præsens mœstum, spes melior.

TRACH. Sedete heic modo, ego hinc vos tamen tutabor; aram habete hanc
Vobis pro castris, mœnia hinc ego defensabo.
Præsidio Veneris malitiæ lenonis contra incedam.
AMP. Tibi auscultamus: et, Venus alma, ambæ te, obsecramus,
Aram amplexanteis hanc tuam lacrumanteis, genibus nixæ,
Nos in custodiam tuam ut recipias, et tutere:
Illos scelestos, qui tuum fecerunt fanum parvi,
Ut ulciscare, nosque ut hanc tua pace aram obsidere
Patiare, quæ elautæ ambæ sumus opera Neptuni noctu:
Ne invisas habeas, neve idcirco nobis vitio vortas,
Si quidpiam 'st minus quod bene esse lautum arbitrare.
TRACH. Æquom has petere intellego; decet abs te id impetrari:
Ingnoscere his te convenit; metus has, id ut faciant, subigit.
Te ex concha gnatam esse autumant; cave tu harum conchas spernas.
Sed optume, eccum, exit senex, patronus mihique et vobis.

30. *Mœnia*. Alia sunt castra, alia mœnia ipsorum. Meurs.

39. *Si quidpiam*, etc. Non adire deos fas erat nisi comto et puro ornatu. Itaque veniam a dea petit pro veste sordida.

42. *Te ex concha*. Huc examussim festivissimum et scita est Lipsii observatio; *conchas* inter verba nequitiæ usitatas antiquitus: neque id tamen propter id concharum genus quæ a conchigena illa alma Æneadum genetrice Veneriarum nomen sortitæ (quarum mentio est apud Senec. Ep. 96), sed vero ob alterum illud potius, quod *virginalium* et *spuriorum* titulo venit Apuleio. Nec abhorrens ab hocce tralatitio dicendi genere idiotismus noster. Douza. — *Autumant hom.* Capt. IV, 2, 105. — *Cave tu harum conchas.* *Concha* pro natura muliebri, cui ea non nimium absimilis: allusumque forte ad græcum, quo marinæ conchæ χοιρίναι vocantur, tanquam dicas *porcinas*. Porca autem et χοῖρος inter verba nequitiæ: unde lepide in Acharn. apud Aristophanem nescio quis affirmat, « soli dearum Veneri porcum maxime sacrum ». Occasione hujus voculæ jucunda est narratio apud Macrob. Saturn. lib. I, cap. 6, in fine. Grut.

SCENA QUARTA.

DÆMONES, LABRAX, MULIERES, LORARII, TRACHALIO.

DÆM. Exi e fano, gnatum quantum'st hominum sacrilegissume.
Vos in aram abite sessum : sed ubi sunt? TRACH. Huc respice.
DÆM. Optume. LOR. Istuc volueramus : jube modo adcedat prope.
DÆM. Tune legirupionem heic nobis cum dis facere postulas?
Pugnum in os inpinge. LABR. Iniqua hæc patior cum pretio tuo.

2. *Vos*, puellæ. Plerique interpretes intelligunt hoc dici lorariis. Sed in ara sedere, sessum abire supplices par est, non eos qui vim vi arcebunt.

3. *Istuc volueramus*. Locutio paratorum obsequi.

4. *Tun' legirupionem*. Ita retinendum, contra Carrionem et Palmerium. Inepte tamen interpres explicat. Nam *Legirupio* est nomen. — *Dis facere*, est sacrificare. Tune, inquit, putas licere tibi, ut una nobiscum diis sacrifices? GRUT. — At nescio unde potuerit Dæmones lenonem arguere, quod ille sacra diis facere, commercium habere sacrificandi cum Cyrenensibus voluerit, qui sacerdoti vim attulerit profanumque fanum fecerit. Præterea syntaxis grammatica non minus quam sententiæ ratio Gruterianæ interpretationi repugnat, nisi rescribas, ut nonnulli volunt, « Tun', legirupio » ; vel cum Bothio, « jube modo adcedat legirupionem hunc. DÆM. Tune heic nobis, etc. » Legirupio, ni fallor, nomen fuerit, non hominis, sed rei. « Legirupionem facere » interpreter « violare leges ». Tune, inquit, audeas sacrosanctas deorum leges apud nos rumpere, quæ vetant supplices ab aris abstrahi? Vid. inf. 18. N.

5. *Cum pretio*. Est quod alias dicit, « magno cum malo tuo » : quasi dicat minitans, non impune illi abiturum. Casina : « Malo, hercle, vostro tam vorsuti vivitis ». Nam *pretium* pro *pœna* a poetis identidem ponitur. Horat. Od. III, 24 : « Et peccare nefas, aut pretium est mori ». Quemadmodum item e contrario, *pœna* pro *præmio* a Propertio accipitur, lib. III : « At postquam sacra captiva est reddita pœna, Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis ». DOUZA. — Injuria indictinue multæ plectebatur; ea sanctio fuit XII Tabb.

DÆM. At etiam minitatur audax. LABR. Jus meum ereptum'st mihi.
Meas mihi ancillas invito me eripis. TRACH. Ergo dato
De senatu Cyrenensi quemvis opulentum arbitrum,
Si tuas esse oportet, nive eas esse oportet liberas,
Nive te in carcerem conpingi est æquom, ætatemque ibi
Te usque habitare, donec totum carcerem contriveris.
LABR. Non hodie isti rei auspicavi, ut cum furcifero fabuler.
Te ego adpello. DÆM. Cum istoc primum, qui te gnovit, disputa.
LABR. Tecum ago. TRACH. Atqui mecum agundum'st: suntne illæ ancillæ tuæ?
LABR. Sunt. TRACH. Agedum ergo, tange utramvis digitulo minumo modo.
LABR. Quid, si adtigero? TRACH. Extemplo, hercle, ego te follem pugilatorium
Faciam, et pendentem incursabo pugnis, perjurissume.
LABR. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?
DÆM. Non licet; ita est lex apud nos. LABR. Mihi cum vostris legibus
Nihil est conmerci. Equidem istas jam ambas educam foras.

6. *Jus meum*, rem jure meam.

9. *Si tuas*, etc. I. e. qui dijudicet utrum, etc.

10. *Ætatem*. Asin. I, 1, 6.

12. *Auspicavi*. Non hodie hoc consilium cepi, ut, etc. Tractum a more veterum, qui nihil nisi auspicato suscipiebant. LAMB.

14. *Tecum*. Hoc ad Dæmonem.

16. *Follem pugilatorium*. Follis pugilatorius pila est coriacea, vento completa. Pugilatorius autem dictus, quod non palma, sed pugno percutiatur. Cæterum et follem suspensum pugnis insectabantur pogiles. TAUBM.

20. *Ambas educam foras*. Multa hoc loco docti viri frustra laborarunt, quo nihil mutandum. Scilicet ambæ mulieres in ara sedebant, non in publico præ foribus templi, ut aiunt, sed intra templi septum maceria haud alta quidem, quæ sineret mulieres adspici desuper, circumdatum. Igitur leno dicere potuit non præter rationem rerum: « educam foras ». Vid. sc. sup. vs. 30. DACERIA.

Tu senex, si istas amas, huc arido argento 'st opus.
DÆM. Hæ autem Veneri conplacuerunt. LABR. Habeat, si argentum dabit.
DÆM. Det tibi argentum? Nunc adeo ut scias meam sententiam,
Obcipito modo illis adferre vim joculo paucillulum,
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non gnoveris.
Vos adeo, ubi ego innuero vobis, si ne ei caput exoculassitis,
Quasi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam.
LABR. Vi agis mecum. TRACH. Etiam vim obprobras, flagiti flagrantia?
LABR. Tun', trifurcifer, mihi audes inclementer dicere?
TRACH. Fateor, ego trifurcifer sum, tu es homo adprime probus.
Num quî minus hasce esse oportet liberas? LABR. Quid, liberas?
TRACH. Atque heras tuas quidem, hercle, atque ex germana Græcia:

21. *Huc.* Acidalius vult *huic*, i. e. mihi. Sed vulgatæ acquiescere licet. Nam in hac oratione inest notio pecuniæ dandæ in manus venditoris; ergo dixit *huc*, quasi *ad me*. — *Arido.* Turnebus existimat aridum dici sermonis plebeii more, eodem quo apud nos sensu dicunt *argent sec*. Daceria autem ξηρὸν, aridum, Græcis usurpatum, pro *solum* monet, laudatque Salmasium notantem in Capitolino « siccis vehiculis », i. e. solis, quibus comitatus adesset nullus; itaque hoc verbo lenonem significare, argento tantum, nulla alia re præterea, opus esse, si Dæmones parare mulieres sibi velit. N.

26. *Vos.* Alloquitur lorarios. — *Sine*, i. e. nisi. *Ne* pro *non*, haud rarum. Mostell. I, 2, 22, 43.

27. *Quasi murteta.* Fasciculi myrtorum junco colligati Veneri offerebantur. Est enim myrtus Veneri sacra.

28. *Flagiti flagrantia*, i. e. qui flagitio flagras. Ita sæpe abstractum pro concreto. O mea opportunitas, i. e. opportune vir. Cf. Menæchm. I, 2, 28.

29. *Inclementer dicere* significat contumeliose appellare, probra objectare. Cf. Amphitr. II, 2, 110; Pseud. I, 1, 25; Pœn. V, 5, 44, et Truc. II, 7, 44. GRON.*

32. *Germana Græcia.* Dicitur

Nam altera hæc est gnata Athenis ingenuis parentibus.
DÆM. Quid ego ex te audio? TRACH. Hanc Athenis esse gnatam liberam.
DÆM. Mea popularis, obsecro, hæc est? TRACH. Non tu Cyrenensis es?
DÆM. Imo Athenis gnatus altusque educatusque Atticis.
TRACH. Obsecro, defende civeis tuas, senex. DÆM. O filia
Mea! quom ego hanc video, mearum me absens miseriarum conmones.
Trima quæ periit mihi, jam tanta esset, si vivit, scio.
LABR. Argentum ego pro istisce ambabus, quojæ erant, domino, dedi:
Quid mea refert, hæ Athenis gnatæ, an Thebis sient,
Dum mihi recte servitutem serviant? TRACH. Itane, inpudens,
Tune heic, feles virginalis, liberos parentibus
Sublectos habebis, atque indigno quæstu conteres?
Nam huic alteræ patria quæ sit, profecto nescio;
Nisi scio probiorem hanc esse, quam te, inpuratissume.
LABR. Tuæ istæ sunt? TRACH. Contende ergo, uter sit tergo verior.
Ni obferumentas habebis plures in tergo tuo,
Quam ulla navis longa clavos, tum ego ero mendacissumus:

vera Græcia, quæ opponitur Græciæ majori in Italia, aliisque Græcis in Asia urbibus, in quibus barbari Græcis erant permixti. GRON.*

39. *Periit.* Captiv. III, 4, 5. — *Scio.* Captiv. III, 4, 55.

42. *Recte*, jure. DACER.

43. *Feles virginalis.* Vid. Pers. IV, 9, 14. TURN. lib XXI, 12.

44. *Sublectos*, furto raptos. — *Conteres*, i. e. prostitues. Captiv. IV, 2, 208.

48. *Obferumentas.* Eleganti joco ita appellat plagas et vibices, quæ tergo offerrentur, atque ita imprimerentur, ut sacris parietibus deorum donaria affigi solent. Festus: « Offerumenta sunt, quæ offeruntur ». DOUZA. — Eo inclinat animus, ut scribam *obferrumentas*, quod a *ferruminare* deducam, quodque commodius cum versu sequenti congruat « quam ulla navis longa clavos ». Nam perjuri hominis dorsum stimulis quasi obferruminatum est. N.

Postea adspicito meum, quando ego tuum inspectavero,
Nisi erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius
Optumum esse opere faciundo corium, et sincerissumum.
Quid causæ est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem?
Quid illas spectas? quas si adtigeris, oculos eripiam tibi.
LABR. Atqui, quia vetas, utramque jam mecum abducam simul.
DÆM. Quid facies? LABR. Volcanum adducam, is Veneris est adversarius.
DÆM. Quo illic it? LABR. Heus, ecquis heic est? heus! DÆM. Si adtigeris ostium,
Jam, hercle, tibi messis in ore fiet mergis pugneis.
LOR. Nullum habemus ignem, ficis victitamus aridis.
DÆM. Ego dabo ignem, siquidem in capite tuo conflandi copia'st.
LABR. Iho, hercle, aliquo quæritatum ignem. DÆM. Quid, quom inveneris?
LABR. Ignem magnum heic faciam. DÆM. Quin ut humanum exuras tibi.
LABR. Imo hasce ambas heic in ara, ut vivas, comburam. DÆM. Id volo:

51. *Ampullarius.* Qui ampullas corio integit. Posterior ætas scorteas ampullas vocabat *pilascas*. Isid. glossæ : *Pilasca, vas vinarium ex corio.* Græcis ὄλπαι. Scholiastes Theocr. Pharmac. ὄλπη κυρίως ἡ δερματίνη λήκυθος· hinc lucem capit Plautus. Varro : « Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant ». Lucill. *terginus calix*. Et Polluci ἀσκὸς inter vasa vini conditoria est. Wouw.

53. *Sauciem*. Paronomasia *satiem*.

56. *Volcanum adducam.* Mostell. V, 1, 65.

57. *Ecquis heic est?* Ipsas Dæmonis ædes adiit, quæ in deserto litore sese obtulerunt ignem quæritanti.

58. *Mergis pugneis.* Conf. Pœn. V, 2, 58.

60. *Siquidem in cap.* Cf. Captiv. III, 4, 65.

62. *Ut humanum exuras tibi.* Malo, « humanum exuras tibi », quam *manum*. Non enim satis mali precaretur lenoni, si manus cladem potius, quam mortem optaret. Festus autem scribit, *Humanum* esse sacrificium, quod mortui causa fiat. Ergo, *exurere sibi humanum*, est se exurere : si quis tamen *manum* defendit, a me non oppugnabitur. Turn.

Nam, hercle, ego te barba continuo adripiam, et in ignem conjiciam,
Teque ambustulatum objiciam magnis avibus pabulum.
Quom conjecturam egomet mecum facio, hæc illa est simia,
Quæ has hirundines ex nido volt eripere ingratiis,
Quod ego in somnis somniavi. TRACH. Scin' quid? tecum oro, senex,
Ut illas serves, vim defendas, dum ego herum adduco meum.
DÆM. Quære herum atque adduce. TRAHC. At hic ne.... DÆM. Maxumo malo suo,
Si adtigerit, sive obceptassit. TRACH. Cura. DÆM. Curatum 'st, abi.
TRACH. Hunc quoque adserva ipsum, ne quo abitat: nam promisimus,
Carnufici aut talentum magnum, aut hunc hodie sistere.

SCENA QUINTA.

DÆMONES, LABRAX, PALÆSTRA, AMPELISCA, LORARII.

DÆM. Utrum tu, leno, cum malo lubentius
Quiescis, an sic sine malo, si copia 'st?
LABR. Ego, quæ tu loquere, flocci non facio, senex.
Meas quidem, te invito, et Venere et summo Jove,
De ara capillo jam deripiam. DÆM. Tangedum.

65. *Magnis avibus.* Hoc nomine rapaces aves intelligit, et cadavera appetentes: fere enim quæ rapto vivunt alites et viscere, majoris sunt formæ, quam aliæ aves: ut vultures et aquilæ. TURN.

68. *Tecum oro.* Curc. III, 1, 62.

70. *At hic ne.* Scilicet ab ara abstrahat.

73. *Aut hunc hodie sistere*, adducere, coram carnifice.

2. *Sic*, id est, non attingens puellas.

5. *Deripiam. Deripere*, est deor-

LABR. Tangam, hercle, vero. DÆM. Agedum ergo, adcede huc modo.
LABR. Jubedum recedere istos ambo illuc modo.
DÆM. Imo ad te adcedent. LABR. Non, hercle, egomet censeo.
DÆM. Quid ages, si adcedent propius? LABR. Ego recessero.
Verum, senex, si te unquam in urbe obfendero,
Nunquam, hercle, quisquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos pessumos dimisero.
DÆM. Facito istuc quod minitaris : sed nunc interim
Si illas adtigeris, dabitur tibi magnum malum.
LABR. Quam magnum vero? DÆM. Quantum lenoni sat est.
LABR. Minacias ego istas flocci non facio tuas.
Equidem te invito jam ambas rapiam. DÆM. Tangedum.
LABR. Tangam, hercle, vero. DÆM. Tange : sed scin', quomodo?
Idum, Turbalio, curriculo adfer
Duas clavas. LABR. Clavas? DÆM. Sed probas; propera cito.
Ego te hodie faxo recte adceptum, ut dignus es.
LABR. Eheu, scelestus galeam in navi perdidi :
Nunc mihi obportuna heic esset, salva si foret.
Licet saltem istas mihi adpellare. DÆM. Non licet.
Ehem optume, edepol, eccum clavator advenit!
LABR. Illud quidem, edepol, tinnimentum'st auribus.

sum rapere vel trahere. Tibullus : « Sertaque de sanctis deripuisse focis ». Sic *degredi*, pro *descendere*, apud Sallustium, Livium, Tacitum, Ausonium. Victorinus de Orthographia : « Degredi, de superiore loco descendere ». RITTERSH.

8. *Non censeo*, nolo. *Censeo* annuentis est. Phorm. I, 2, 52.

12. *Ludos dimisero*, i. q. ludos aliquem facere. Capt. III, 4, 47.

17, 18. *Tangedum.* LABR. *Tangam*, etc. Hoc spurium olet; variante lectione, ab oscitantibus librariis ex vv. 5, 6 repetitum.

22. *Scelestus.* Asin. V, 2, 6.

25. *Clavator*, qui clavam gestat : κορυνήτης. De *servis clavigeris* vide Turn. lib. XIII, 6.

26. *Tinnimentum.* Clavam intelligit : quia, quum caput ea tunditur, aures tinnitum audiunt. TURN.

DÆM. Age, adcipe illanc alteram clavam, Sparax:
Age, alter istinc, alter hinc adsistite.
Adsistite ambo: sic! audite nunc jam:
Si, hercle, illic illas hodie digito tetigerit
Invitas, ni istunc istis invitassitis
Usque adeo, donec, qua domum abeat, nesciat,
Peristis ambo. Si adpellabit quempiam,
Vos respondetote istinc istarum vicem:
Sin ipse abire hinc volet, quantum potest,
Extemplo amplectitote crura fustibus.
LABR. Etiam me abire hinc non sinent? DÆM. Dixi satis.
Et ille ubi servos cum hero huc advenerit,
Qui herum arcessivit, itote extemplo domum.
Curate hæc, soltis, magna diligentia.
LABR. Heu, hercle, næ isteic fana mutantur cito!
Jam hoc Herculi est, Veneris fanum quod fuit.
Ita duo destituit signa heic cum clavis senex.
Non, hercle, quo hinc nunc gentium aufugiam scio,
Ita nunc mihi utrumque sævit et terra et mare.
Palæstra! LOR. Quid vis? LABR. Apage, controversia'st.

31. *Invitassitis. Invitare* hic non est occidere, sed accipere hospitio, imo et convivio: ut sicut ibi homines adeo implebantur cibo ac potu, ut nescirent qua abirent domum, etiam hic impleri velit lenonem fustibus (ut loquitur Aul. III, 3), donec nesciat ubi sit locorum. Sic in Amph. I, 1, eadem figura, « accipere hospitio pugnæ »: item, « pugnus edere ». Et quid mirum? quum saturitate quis non secus lædatur quam ferro: non secus alienetur mente quam plagis. Theocr. Idyll. ἔςη δὲ πληγαῖς μεθύων. GRUT.

33. *Adp.* Vid. vs. 24. — *Quemp.* p. quampiam. Supra II, 3, 75.

34. *Ist. vicem*, pro duabus puellis.

35. *Quantum potest.* Cf. Bacch. II, 3, 114.

40. *Soltis.* Asin. Prot. 1.

42. *Herculi.* Hoc eo dicit, quod senex duos servos cum clavis adstare jusserat: ac si essent duæ statuæ, clavas, in modum Herculis, gerentes. Silius lib. III: « ... clavigeri veneratur numinis aras ». *Herculi*, genitiv. ut *Euripidi*, *Achilli*.

43. *Destituit*, id est, statuit. Cic. Epist. Fam. « Destituit omnes servos ad mensam ante se ». Lib. VII: « duo armati in medio destituuntur ». LAMB.

46. *Controversia.* Nihil hic mutandum cum Carrione: nam dicit ludi se ambiguitate vocis *palæstræ*.

Hæc equidem Palæstra, quæ respondit, non mea est.
Heus, Ampelisca! LOR. Cave, sis, infortunio.
LABR. Ut pote'st, ingnavi homines satis recte mouent.
Sed vobis dico, heus vos! num molestia est,
Me adire ad illas propius? LOR. Nihil nobis quidem.
LABR. Numquid molestum mihi erit? LOR. Nihil, si caveris.
LABR. Quid est quod caveam? LOR. Hem a crasso infortunio.
LABR. Quæso, hercle, abire ut liceat. LOR. Abeas, si velis.
LABR. Bene, hercle, factum; habeo vobis gratiam.
Non: adcedam potius. LOR. Illeic adstato inlico.
LABR. Edepol, proveni nequiter multis modis.
Certum 'st hasce hodie usque obsidione vincere.

SCENA SEXTA.

PLEUSIDIPPUS, TRACHALIO, MULIERES, LABRAX, LORARII, CHARMIDES.

PLEUS. Meamne ille amicam leno vi, violentia,
De ara deripere Veneris voluit? TRACH. Admodum.
PLEUS. Quin obcidisti extemplo? TRACH. Gladius non erat.
PLEUS. Caperes aut fustem, aut lapidem. TRACH. Quid ego, quasi canem,
Hominem insectarer lapidibus nequissumum?
LABR. Nunc, pol, ego perii! Pleusidippus eccum adest:

Sic Epid. II, 2: « enim isthæc caplio est ». GRUT.

49. *Ut pote'st*, quantum fieri potest.

53. *Crasso infortunio.* Quod crassæ bæ clavæ tibi dabunt. L.—*Infortunium* i. q. verberatio. Curc. II, 3, 19.

55. *Bene, hercle, factum.* Curcul. II, 2, 22.

57. *Proveni nequiter.* Apul. « Favet enim Rufino Æmilianus, et proventum cupit »: qui sermo elegans et Plautinus. Atqui, « Bene provenisse: Recte provenisse », dicuntur qui re vel liberis aucti. In malam quoque partem sumi Nonius ostendit. Apul. lib. X: « At ille nequam ut posset de me suave provenire, lucro suo tantum contentus annuit ». STEWECH.—Conf. Truc. II, 4, 33; Menæchm. V, 5.

4. *Caperes.* Pers. IV, 6, 28.

Converret jam hic me totum cum pulvisculo.
PLEUS. Etiamne in ara tunc sedebant mulieres,
Quom ad me profectus ire? TRACH. Ibidem nunc sedent.
PLEUS. Quis illas nunc illeic servat? TRACH. Nescio quis senex,
Vicinus Veneris; is dedit operam optumam.
Is nunc cum servis servat; ego mandaveram.
PLEUS. Duc me ad lenonem recta: ubi illic est homo?
LABR. Salve. PLEUS. Nihil salutem moror: opta ocius,
Rapi te obtorto collo mavis, an trahi?
Utrum vis opta, dum licet. LABR. Neutrum volo.
PLEUS. Abi sane ad litus curriculo, Trachalio:
Jube illos in urbem ire obviam ad portum mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnuficem traderent.
Post huc redito, atque agitato heic custodiam:
Ego hunc scelestum in jus rapiam exsulem.

7. *Converret me cum pulv.* Proverbium quo quis significat nihil reliqui fore. Adeo strictim me converret, ut vel pulvisculum tollat. Hæc sententia videtur esse: me furem manifestum damnabit apud judicem, adeoque multabit, ut reliquum mihi fiat ne numulus quidem. Vid. Truc. Prol. 19. N.

9. *Profectus es.*

11. *Vicinus Veneris.* Pro ædi Veneris. ERN.

14. *Opta ocius*, id est, elige ocius. *Optare* non tantum desiderare significat, sed et eligere: quod et Donatus docet ad Terentianam Andriam. Inde *optio*, electio, αἵρεσις. Hinc et *adoptare aliquem*, pro in filium eligere. Quod et vetus vocabulista voluit: *optare, eligere, in filium facere.* Sic enim apud eum legendum. BOXH.

15. *Obtorto collo.* Vide Pœnul. III, 5, 45

18. *Obviam ad portum.* Vera lectio est: *ad forum.* Id liquet infra IV, 5, 10, ubi Dæmones servum Pleusidippi jussit exire ad forum arcessitum herum. PAREUS. — Videtur idem confirmari V, 1, 2: « Quem ad recuperatores modo damnavit Pleusidippus ». GRONOV. — *Ad portum.* Indubitato rescribendum *a portu;* quum nec ad portum adolescens erat, nec ire cogitabat, sed potius in urbem; nisi sit portus in urbe: Apella credat. ACIDAL.

19. *Carnuficem.* Carnificem fuisse carceris custodem, non triumviros capitales vix dubitem. Idque adeo verum est, ut *in carcerem* et *ad carnificem* trahere, uno eodemque sensu frequenter posuerint veteres: ut hoc loco Plautus. Proinde verisimilius est triumviros carceris custodes non fuisse, sed curam custodiæ carceris habuisse. REV.

21. *In jus.* Vide Menæchm. IV,

Age, ambula in jus. LABR. Quid ego deliqui? PLEUS. Rogas?
Quin arrhabonem a me adcepisti ob mulierem, et
Eam hinc abduxisti. LABR. Non avexi. PLEUS. Cur negas?
LABR. Quia, pol, provexi; avehere non quivi miser.
Equidem tibi me dixeram præsto fore
Apud Veneris fanum: quid muto? sumne ibi?
PLEUS. In jure causam dicito: heic verbum sat est:
Sequere. LABR. Obsecro te, subveni, mi Charmides:
Rapior obtorto collo. CHARM. Quis me nominat?
LABR. Viden' me ut rapior? CHARM. Video, atque inspecto lubens.
LABR. Non subvenire mihi audes? CHARM. Quis homo te rapit?
LABR. Adulescens Pleusidippus. CHARM. Ut nanctu's, habe
Bono animo: melius est te in nervom conrepere.
Tibi obtigit quod plurimi exoptant sibi.
LABR. Quid id est? CHARM. Ut id quod quærant, inveniant sibi.
LABR. Sequere, obsecro, me. CHARM. Pariter suades, qualis es:
Tu in nervom rapere, eo me obsecras, ut te sequar.
Etiam retentas? LABR. Perii! PLEUS. Verum sit velim!

2, 19. — *Exsulem.* Ludere verbi etymo adolescens mihi videtur. Nam ex solo sublatum rapi a famulis eum jubebit; quod vulgo dicitur *rapere sublimem.* Mil. V, 1, 1.

23. *Ob mulierem*, id est, pro muliere. Epid. « Dedin' tibi minas triginta ob filiam? » DOUZA.

24. *Avexi.* Hanc lectionem editor Bipontinus substituit vulgatæ *abduxisti*, quæ turbat metrum, neque sequenti cum diverbio quadrat. N.

25. *Provexi.* « *Provehimur* portu », Virg. Æneid. III, 72. « Creditis *avectos* hostes? » Æneid. II, 43.

28. *Verbum.* Bacch. IV, 8, 37.

32. *Audes.* Asin. II, 4, 70.

33. *Ut nanctu's* rem. Quod tibi contingit, serva æquo animo. Quando quis se rem habere communem cum aliquo nolle significabat, sic dicebat: habe tibi. N.

34. *Melius est.* Asin. II, 1, 1.

36. *Quod quærant.* Etenim quum furtum ille fecerit, sibi ipse malum quæsivit.

38. *Rapere*, raperis.—*Eo*, ideo.

39. *Etiam retentas?* Credo, Labrax conatus est Charmidem re-

Tu, mea Palæstra et Ampelisca, ibidem inlico
Manete, dum huc ego redeo. LOR. Equidem suadeo
Ut ad nos abeant potius, dum recipis. PLEUS. Placet:
Bene facitis. LABR. Fures mihi estis. LOR. Quid, fures?
PLEUS. Rape.
LABR. Oro, obsecro, Palæstra. PLEUS. Sequere, carnufex.
LABR. Hospes! CHARM. Non sum hospes; repudio hospitium tuum.
LABR. Siccine me spernis? CHARM. Sic ago: semel bibo.
LABR. Di te infelicent. CHARM. Isti capiti dicito.
Credo alium in aliam belluam hominem vortier,
Illic in columbum, credo, leno vortitur:
Nam in columbari collum haud multo post erit:
In nervom ille hodie nidamenta congeret.
Verumtamen ibo, ei advocatus ut siem,
Si quî mea opera citius addici potest.

prebendere pallio, qui enm a se amovet. Asin. III, 3, 1.

42. *Dum recipis*, donec eas recuperes. LAMB. — Imo, dum redis. Alibi: « Quam mox te recipis tu? » PISTOR.

43. *Benefacitis*. Curc. II, 2, 22.

46. *Sic ago*. Hæc mea est consuetudo. — *Semel bibo*. Non debuit mutari vera scriptura. De malo enim et infortunio, ut de potione aliqua sæpe loquitur Plautus. Aul. II, 3: « Nam, ecastor, malum mœrorem metuo ne mistum bibam ». Cas. extrema: « Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet ». Non lubet ergo Charmidi iterum cum lenone bibere, neque ad eum devorti in hospitium, qui tam acidis poculis nuper in mari acceptus esset: ea causa hospitii jus ei renuntiat, ne ea malæ rei potio iterum sibi bibenda sit. Ita recte et venuste interpretatus est J. Gulielmius. Gruteri, qui metaphoram a fullonibus tractam vult, sententia neque vera est, neque probari debebat postremis interpretibus. BOXH.

48. *Alium in aliam belluam*. Ridicule se metamorphoseon fabulas admittere profitetur, et contingere prædicat cuique suam.

50. *Columbari*. Ut κύφων est *numella*, nam utriusque vocabuli eadem notatio est, illius a κύπτω, hujus, a *nuo*: sic *columbar* genus est vinculi, cui collum inseritur, *collarium*que vocatur hic ex parte, quum foramen ipsum vinculi *columbar* sit: sed et quia *columbaria* sunt foramina in peristerotrophiis, ubi columbæ nidulantur, subdit ludens: « In nervum hodie ille nidamenta congeret ». TURN.

53. *Addici* Pleusidippo a prætore.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DÆMONES.

Bene factum et volupe 'st, hodie me his mulierculis
Tetulisse auxilium : jam clientas reperi;
Atque ambas forma scitula atque ætatula.
Sed uxor scelesta me omnibus servat modis,
Ne quî significem quidpiam mulierculis.
Sed Gripus servos noster, quid rerum gerat
Miror, de nocte qui abiit piscatum ad mare.
Pol, magis sapisset, si dormivisset domi :
Nam nunc et operam ludos facit, et retia,
Ut tempestas est nunc, atque ut noctu fuit;
In digitis hodie percoquam quod ceperit;
Ita fluctuare video vehementer mare.
Sed ad prandium uxor me vocat, redeo domum,
Jam meas obplebit aureis sua loquentia.

5. *Ne quî*, id est, aliquo modo. Acidal.

11. *In digitis*. Proverbialis loquendi ratio, cujus usus, quum quis nihil effectum dedit. In digitis nihil percoqui potest. Ergo nihil cepit, qui cepit, quod in digitis percoqui potest. Quomodo vulgo loquimur : habere quod in oculos potest compingi. Boxh.

14. *Loquentia*. Vulgo *vaniloquentia*, quod versus ferre non potest.

SCENA SECUNDA.

GRIPUS.

Neptuno has ago meo patrono gratias,
Qui salsis locis incolit pisculentis,
Quom me ex suis polchre ornatum expedivit
Templis reducem, plurima præda onustum,
Salute horiæ, quæ in mari fluctuoso
Piscatu novo me uberi conpotivit :
Miroque modo atque incredibili hic piscatus mihi
Lepide evenit; neque piscium ullam unciam hodie
Pondo cepi, nisi hoc quod fero heic in rete.
Nam ut de nocte multa inpigreque exsurrexi,
Lucrum præposui sopori et quieti;
Tempestate sæva experiri expetivi,
Paupertatem heri quî et meam servientiam
Tolerarem, opera haud fui parcus. Nimis homo
Nihili est, qui piger est; nimisque id genus odi ego male.
Vigilare decet hominem, qui volt sua tempori conficere
opficia :
Non enim illum exspectare oportet, dum herus se ad suum
suscitet opficium.

4. *Templis*. Mil. II, 5, 3.

5. *Salute horiæ*, id est, salva atque incolumi horia. Sic Bacchid. « salute nostra ». Menæchm. I, 2 : « Averti prædam ab hostibus nostrum salute socium », id est, salvis nostris sociis ». Est autem *horia*, navicula piscatoria : ut docent Nonius et Fulgentius. DOUZA.

6. *Conpotivit*, id est, compotem fecit. Lips. et Guil. sic supra : « Ita heic solis locis compotita sum ».

8. *Unciam pondo*. Quum unciam ponderalem significabant, dicebant veteres, ad distinguendam eam a mensurali. Libra enim, cum partium suarum vocabulis, et mensuram significat et pondus. GRON.*

13. *Servient*. Vulgo *sententiam*.

16. *Tempori*, id est, numero et celeriter.

17. *Se*, servum. Pendet hæc oratio ab illa « non oportet exspectare », quæ pertinet ad servum.

Nam qui dormiunt lubenter, sine lucro et cum malo quiescunt.
Nam ego nunc mihi, qui inpiger fui, reperi, ut piger, si velim, siem.
Hoc ego in mari, quidquid inest, reperi; quidquid inest, grave quidem 'st; aurum
Heic ego inesse reor: nec mihi conscius est ullus homo. Nunc hæc tibi
Obcasio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo prætor te.
Nunc sic faciam, sic consilium 'st, ad herum ut veniam docte atque astute:
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.
Jam ubi liber ero, igitur demum instruam agrum, ædeis, mancipia;
Navibus magnis mercaturam faciam; apud reges rex perhibebor:
Post, animi causa, mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum:
Oppida circumvectabor. Ubi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum conmunibo: ei ego urbi Gripo indam nomen,
Monimentum meæ famæ et factis: ibique regnum magnum instituam.

20. *Quidquid*, quodcumque.

22. *Ex populo prætor.* Ut prætor te non solum liberum faciat vindicta, sed etiam eximeris numero hominum inferioris loci atque ordinis. LAMB.

23. *Ad herum veniam.* Cf. Aul. V, 1, 9.

24. *Pro capite.* Mostell. I, 3, 54.

26. *Apud reges.* Reges dicebantur magnates atque opulenti viri. Ita Horatius: « Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos Inspiciunt », Sat. I, 2, 86.

27. *Animi causa, mihi navem faciam.* Tales, si usum spectes, veterum Gallorum *paradæ*. Item illa Neronis, de qua Plutarchus περὶ ἀοργησίας. Seneca *cubiculatas et lusorias* vocat. CAS. — *Stratonicum.* Stratonicus fuit quæstor regis Philippi, et deinde Alexandri Magni, homo prædives: quamobrem Græcis in Proverb. venit, ut Latinis *Crassus*. Auctor Diodorus in vita Alex. et Ælianus. Lambinus ait nomen esse fictum a Plauto: inscite. DOUZA.

Magnas res heic agito in mentem instruere : nunc hunc vidulum condam.
Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale, sine bono pulmento.

SCENA TERTIA.

TRACHALIO, GRIPUS.

TRACH. Heus, mane! GRIP. Quid maneam? TRACH. Dum hanc tibi, quam trahis, rudentem conplico.
GRIP. Mitte modo! TRACH. At, pol, ego te adjuvabo : nam bonis quod
Bene fit, haud perit. GRIP. Turbida tempestas heri fuit,
Nihil habeo, adulescens, piscium : ne tu mihi esse postules.
Non vides referre me uvidum rete, sine squamoso pecu?
TRACH. Non, edepol, pisceis expeto, quam tui sermonis sum indigens.
GRIP. Enecas jam me odio, quisquis es. TRACH. Non sinam ego abire hinc te : mane.
GRIP. Cave, sis, malo : quid tu, malum, nam me retrahis? TRACH. Audi.
GRIP. Non audio. TRACH. At, pol, quin audies. GRIP. Quin post loquere quid vis.

32. *Cum aceto.* Jocose. Quum rex diceretur servus : O bone, inquit, hic rex poscam bibet, et salem pro obsonio delinget! LIPS. — Vide Curc. IV, 4, 6.

1. *Rudentem.* Vide supra argumentum Camerarii in hanc fabulam.

4. *Esse.* Ne tu mihi esse pisces credas et contendas. LAMB. — *Postules.* Cf. Amph. I, 1, 205.

6. *Quam.* Supple *tam* in priore orationis parte.

7. *Odio.* Asin. V, 2, 71.

8. *Malum.* Amph. I, 1, 247. — *Nam*, per tmesin divisum a voce *quid.* Quidnam i. q. cur.

9. GR. *Quin post loquere.* Ita pauxilla mutatione sequor cætera Acidalium. Abstrudere prædam cupiebat ante Gripus. Igitur sermonem vult differri, et postea quidvis dici. In qua contentione vis est iteratarum utrinque particularum *quin.* Alter urget, ut statim audiatur : idque valet : *Eho modo.* TAUBM. — *Quin*

TRACH. Eho, modo est operæ pretium quod tibi ego narrare volo.
GRIP. Eloquere, quid id est? TRACH. Vide num quispiam consequitur prope nos.
GRIP. Ecquid est quod mea referat? TRACH. Scilicet: sed boni consili
Ecquid in te mihi est? GRIP. Quid negoti est, modo dic. TRACH. Dicam.
Tace, si fidem modo das mihi te non fore infidum.
GRIP. Do fidem tibi, fidus ero, quisquis es. TRACH. Audi: furtum ego vidi
Qui faciebat: gnoveram dominum, id quoi fiebat; post ad
Furem egomet devenio, feroque ei conditionem hoc pacto:
Ego istuc furtum scio quoi factum 'st; nunc mihi si vis
Dare dimidium, indicium domino non faciam. Is mihi nihil
Etiam respondit: quid inde æquom'st dari mihi? dimidium
Volo ut dicas. GRIP. Imo, hercle, etiam amplius: nam nisi dat, domino dicundum
Censeo. TRACH. Tuo consilio faciam: nunc advorte animum;
Namque hoc adtinet omne ad te. GRIP. Quid est factum? TRACH. Vidulum
Istum, quojus ille est, gnovi ego hominem jampridem. GRIP. Quid est?
TRACH. Et quo pacto periit. GRIP. At ego quo pacto inventu'st scio,
Et qui invenit, hominem gnovi; et dominus qui nunc est, scio.

post loquere. Ab Acidalio hoc accepit Gruterus. MSS et vulgatæ antea: « TR. At, pol, quin audies post. GR. Quin loquere ». Putem fuisse: « TR. At, pol, quin audies. GR. Pol, quin loquere ». GRON.

12. *Scilicet*. En hæc res est, quam te scire volo. — *Sed boni consili*, etc. Num te consiliarium probum habebo?

14. *Tace*, audi. — *Si modo*, dummodo pollicearis, etc.

23. *Vidulum istum*. Comicum est, pro, jampridem novi hominem, cujus iste vidulus est. LAMB. — Vid. Epid. IV, 2.

Nihilo, pol, pluris tua hoc, quam quanti illud refert mea.
Ego illum gnovi, quojus nunc est, tu illum, quojus antehac fuit.
Hunc homo feret a me nemo: ne tute speres potius. TRACH. Non ferat,
Si dominus veniat? GRIP. Dominus huic nemo, ne frustra sis,
Nisi ego, nemo gnatu'st, hunc quî cepi in venatu meo.
TRACH. Itane vero? GRIP. Ecquem esse dices in mari piscem meum?
Quos quom capio, siquidem cepi, mei sunt; habeo pro meis;
Nec manu adseruntur; neque illinc partem quisquam postulat.
In foro palam omneis vendo pro meis venalibus.
Mare quidem conmune certo'st omnibus. TRACH. Adsentio;
Quî minus hunc conmunem quæso mihi esse oportet vidulum?
In mari inventu'st, conmune'st. GRIP. Næ inpudenter inpudens.
Nam si istuc jus sit, quod memoras, piscatores perierint:
Quippe quom extemplo in macellum pisceis prolati sient,
Nemo emat; suam quisque partem piscium poscat sibi;
Dicat, in mari conmuni captos. TRACH. Quid ais, inpudens?
Ausus etiam conparare vidulum cum piscibus?
Eadem tandem res videtur? GRIP. In manu non est mea:

29. *Potius.* Gulielmii conjecturam plane rejicio. Vult enim: Nemo mortalium hoc a me auferet, nedum tu. Pseud. IV, 1, 2: « Nunquam, edepol, erit ille potior Harpax quam ego ». Aulul. IV, 10: « haud causificor, quin eam ego habeam potissimum »: et aliis millies. GRUT.

31. *In venatu meo.* Venatus de piscibus Homero etiam et Platoni dicitur. G. ANSELM.

34. *Manu adseruntur.* Vide Pœn. IV, 2, 84.

40. *Quom extemplo.* More græco dixit: ut ἐπειδὴ τάχιστα· pro *extemplo quam*, vel *statim quam.* LAMB.

42. *Quid ais.* Aulul. IV, 9, 7.

44. *In manu non est mea*, quid capiam venatu maritimo.

Ubi demisi retem atque hamum, quidquid hæsit, extraho,
Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissumum'st.
TRACH. Imo, hercle, haud est, siquidem quod vas excepisti. GRIP. Philosophe!
TRACH. Sed tu en unquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse? aut protulisse ullum in forum?
Non enim tu heic quidem obcupabis omneis quæstus quos voles;
Et vietorem et piscatorem te esse, inpure, postulas.
Vel te mihi monstrare oportet, piscis qui sit vidulus,
Vel, quod in mari non gnatum'st, neque habet squamas, ne feras.
GRIP. Quid tu, nunquam audivisti esse antehac vidulum piscem? TRACH. Scelus!
Nullus est. GRIP. Imo est profecto : ego, qui sum piscator, scio;
Vero rare capitur : nullus minus sæpe ad terram venit.
TRACH. Nil agis; dare verba speras mihi te posse, furcifer.
Quo colore est? GRIP. Hoc colore capiuntur pauxilluli;
Sunt alii puniceo corio, magni item atque atri. TRACH. Scio.
Tu, hercle, opinor, in vidulum te piscem convortes, nisi caves :
Fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo.
GRIP. Quod scelus hodie hoc inveni! TRACH. Verba facimus; it dies.
Vide, sis, quojus arbitratu nos facere vis? GRIP. Viduli

47. *Philosophe*. Capt. II, 2, 34: « Philosophatur quoque jam, non modo mendax est ». Pseud. IV, 2, 18.

51. *Vietorem*. Recte hoc loco legitur *vietorem*, aut potius *vitorem*; quod melius : nam a *vio* vel *vieo*, *vitor*, *vitulæ*, *vimen*. Qui ex vimine texto utensilia faciunt, *vitores*. Recte ita in glossis scribitur, et in scriptis codicibus hoc loco. SALMAS.

53. *Vel ... ne feras*, vel non poteris auferre.

54. *Scelus*. Curc. V, 2, 16.

59. *Puniceo*. Cædere virgis : et ita corium tuum fiet rubrum, etc. TAUBM.—Pseud. I, 2, 92.

62. *Quod scelus* viri, quem scelestum.

Arbitratu. TRACH. Ita enim vero? stultus es. GRIP. Salve, Thales!
TRACH. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum,
Quojus hæc res arbitratu fiat. GRIP. Quæso sanus es?
TRACH. Elleborosus sum. GRIP. Ego cerritus, hunc non amittam tamen.
TRACH. Verbum adde etiam unum, jam in cerebro colaphos abstrudam tuo.
Ego jam hic te, itidem quasi penicillus novos exurgeri solet,
Ni hunc amittis, exurgebo quidquid humoris tibi'st.
GRIP. Tange; adfligam ad terram te itidem, ut piscem soleo polypum.
Vis pugnare? TRACH. Quid opu'st? quin tu potius prædam divide.
GRIP. Hinc tu, nisi malum, frunisci nihil potes; ne postules.
Abeo ego hinc. TRACH. At ego hinc obflectam navem, ne quo abeas; mane.
GRIP. Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.

64. *Salve, Thales!* Irouice laudat, a quo coutemtim ipse appellatus est. Cf. Bacch. I, 2, 14.

65. *Sequestrum.* Cf. Merc. IV, 3, 36; Trucul. II, 2.

67. *Cerritus.* Vide Men. V, 4, 2; Amph. II, 2, 144. — *Elleborosus*, id est, insanus sum. LAMB.

68. *Abstrudam.* Pers. II, 4, 24.

69. *Penicillus.* Cur autem hic *novus?* Existimem quod *novus* plus humoris soleat imbibere, et ideo crebrius exsugendus. PISTOR. — *Exurgeri*, hypallage; i. e. premi, ut inde aqua effluat. Alii scribunt *exsugeri*.

73. *Frunisci.* Camer. in suis libris reperisse sit *frunisci*; quod et Lamb. de suis affirmat, idque rectum censeut: alludit prima editio *fruvisti*. Vulgo *fruisti*. Certe in glossis Papiæ idem verbum exstat: «Fruniscor, fruuiscitur, fruitur, incipit». BOXH.

75. *Proreta.* Proreta est, qui in prora et veutos aucupatur et captat, et eorum conversiones dicit in flectendis promontoriis gubernatori, quippe rupes scopulosque, ne navis eis impingatur, prospicit et explorat. Allusit Claudianus ad Mallium: « ...excitus leutandis navita tonsis Præficitur lateri custos; hinc ardua proræ Temperat, et flu-

Mitte rudentem, sceleste. TRACH. Mittam; omitte vidulum.
GRIP. Nunquam, hercle, hinc hodie ramenta fies fortunatior.
TRACH. Non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.
GRIP. Quemne ego excepi in mari? TRACH. At ego inspectavi e litore.
GRIP. Mea opera, labore, et rete, et horia? TRACH. Num quî minus,
Si veniat nunc dominus, quojus est, ego qui inspectavi procul,
Te hunc habere, fur sum, quam tu? GRIP. Nihilo. TRACH. Mane, mastigia.
Quo argnmento socius nou sum, et fur sum? facdum ex te sciam.
GRIP. Nescio: neque ego istas vostras leges urbanas scio,
Nisi quia, hunc meum esse, dico. TRACH. Et ego item esse aio meum.
GRIP. Mane jam; reperi rem, quo pacto nec fur, nec socius sies.
TRACH. Quo pacto? GRIP. Sine me hinc abire; tu abi tacitus tuam viam;
Nec tu me quoiquam indicassis, neque ego tibi quidquam dabo.
Tu taceto, ego mussitabo; hoc optumum atque æquissumum 'st.

ctus tempestatesque futuras Edocet ». TURN.—*Gubernator.* Gubernator sedet in puppi. Usurpatur autem proverb. quoties aliquo in negotio neuter alteri vult cedere. DOUZA.

77. *Ramenta.* Bacch. III, 4, 15.

78. *Probare*, facere rem probatam mihi, facere ut adsentiar.

83. *Te hunc habere.* Au ego, qui te vidi hunc habere, neque palam facio, minus furti arguar quam tu? ergo mea pars est, furtivo jure.

86. *Hunc meum esse dico.* Respexit solennem vindicationis morem; de quo Brissou. Form. V, p. 374.

TRACH. Ecquid conditionis audes ferre? GRIP. Jamdudum fero:
Ut abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne sies.
TRACH. Mane, dum refero conditionem. GRIP. Te obsecro, hercle, aufer te modo.
TRACH. Ecquem in his locis gnovisti? GRIP. Oportet vicinos meos.
TRACH. Ubi tu heic habitas? GRIP. Porro illeic longe usque in campis ultimis.
TRACH. Vin' qui in hac villa habitat, ejus arbitratu fieri?
GRIP. Paulisper remitte restem, dum concedo et consulo.
TRACH. Fiat. GRIP. Euge, salva res est: præda hæc perpetua'st mea.
Ad meum herum arbitrum vocat me, heic intra præsepeis meas.
Nunquam, hercle, hodie abjudicabit ab suo triobolum.
Næ iste haud scit quam conditionem tetulerit: ibo ad arbitrum.
TRACH. Quid igitur? GRIP. Quamquam istuc esse jus meum certo scio,
Fiat istuc potius, quam nunc pugnem tecum. TRACH. Nunc places.
GRIP. Quamquam ad ignotum arbitrum me adpellis; si adhibebit fidem,
Etsi est ingnotus, gnotus: si non, gnotus, ingnotissimu'st.

91. *Ecquid condit. audes ferre?* Ut istud faciam, quam conditionem vis offerre? Asin. II, 4, 70.

98. *Perpetua*, tota, integra. Cf. Mostell. I, 2, 69.

99. *Præsepes.* Curc. II, 1, 13.

105. *Etsi est ingnotus*, etc. Si bona fide aget, quamvis ignotus, erit tamen quasi familiaritate junctus mihi; si non bona fide sit, quamvis sit notus mihi, tamen quasi alienus esset. N.

SCENA QUARTA.

DÆMONES, PALÆSTRA, AMPELISCA, TRACHALIO, GRIPUS.

DÆM. Serio, edepol, quamquam volo vobis quæ voltis, mulieres,
Metuo, propter vos, ne uxor mea me extrudat ædibus,
Quæ me pellices adduxisse dicet ante oculos suos.
Vos confugite in aram potius, quam ego. MUL. Miseræ periimus!
DÆM. Ego vos salvas sistam, ne timete. Sed quid vos foras
Prosequimini? quoniam ego adsum, faciet, nemo injuriam.
Ite, inquam, domum ambo nunc jam ex præsidio præsides.
GRIP. O here, salve! DÆM. Salve, Gripe: quid fit? TRACH. Tuusne hic servos est?
GRIP. Haud pudet. TRACH. Nihil ago tecum. GRIP. Ergo abi hinc, sis. TRACH. Quæso, responde, senex.
Tuus hic servos est? DÆM. Meus est. TRACH. Hem istuc optume, quando tuu'st.
Iterum te saluto. DÆM. Et ego te: tune es, qui haud multo prius
Abiisti hinc herum arcessitum? TRACH. Ego is sum. DÆM. Quid nunc vis tibi?

4. *Quam ego*, scil. in aram confugiam, præ ira uxoris ex ædibus tantum non extrusus. TAUBM.

5. *Sed quid*, etc. Hæc ad lorarios. Sed si, ut Dissaldæos vult, scribatur *quin*, tum mulieres increpet senex morantes prosequi foras.

7. *Ambo*. Scil. lorarii: nam mulieres maxime foris esse volebat. Ad geminos igitur lorarios hæc loquitur, quos, act. III, sc. 5, lenoni custodes addiderat; qui, postquam Pleosidippus lenonem in jus rapuerat, domum reversi erant. *Præsides* appellat, et ex *præsidio* deducit: quia supra in hoc constituerat, ut præsidio mulieribus essent. PISTOR.

8. *Quid fit?* Volgaris compellatio. Bacch. IV, 3, 12.

TRACH. Nempe hic tuus est? DÆM. Meus est. TRACH. Istuc optime, quando tuu'st.
DÆM. Quid negoti'st? TRACH. Vir scelestus illic est. DÆM. Quid fecit tibi
Vir scelestus? TRACH. Homini ego isti talos subfringi volo.
DÆM. Quid est, qua de re litigatis nunc inter vos? TRACH. Eloquar.
GRIP. Imo ego eloquar. TRACH. Ego opinor, rem facesso. GRIP. Siquidem
Sis pudicus, hinc facessas. DÆM. Gripe, animum advorte, ac tace.
GRIP. Utin' istic prius dicat? DÆM. Audi : loquere tu. GRIP. Alienon' prius,
Quam tuo dabis orationem? TRACH. Ut nequitur conprimi!
Ita ut obcœpi dicere, illum quem dudum
Lenonem extrusisti, heic ejus vidulum, eccillum.
GRIP. Non habeo. TRACH. Negas, quod oculis video? GRIP. At ne videas, velim.
Habeo, non habeo : quid tu me curas, quid rerum geram?
TRACH. Quomodo habeas, illud refert, jurene anne injuria.
GRIP. Ni istum cepi, nulla causa est quin me condones cruci :
Si in mari reti adprehendi, quî tuum potiu'st, quam meum?

15. *Talos subfringi.* Conf. Mil. II, 2, 1.

17. *Ego, opinor, rem facesso.* Rem ago, actor sum, tu defensor; ergo meum est prioris loqui.

18. *Sis pudicus*, id est, si quem habeas pudorem. Trin. III, 2.

20. *Ut nequitur conprimi!* Quam difficile est Gripum comprimere! Vid. Amph. I, 1, 192.

21. *Illum quem*, etc. De hoc hellenismo vide Bacchid. IV, 9, 11, et Men. II, 2, 37.

26. *Nulla causa est quin*, etc. Non recuso me cruci adfigi, te auctore.

TRACH. Verba dat : hoc modo res gesta est, ut ego dico. GRIP. Quid tu ais?
TRACH. Quoad primarius vir dicat, conprime hunc, sis, si tuus est.
GRIP. Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit tibi?
Si ille te conprimere solitus, hic noster nos non solet.
DÆM. Verbo illo modo ille vicit : quid nunc tu vis? dic mihi.
TRACH. Equidem neque ego partem posco mihi istinc de istoc vidulo,
Neque meum hodie esse unquam dixi : sed isteic inest cistellula
Hujus mulieris, quam dudum dixi fuisse liberam.
DÆM. Nempe tu hanc dicis, quam esse aibas dudum popularem meam?
TRACH. Admodum : et ea quæ olim parva gestavit crepundia,
Isteic in ista cistula insunt, quæ isteic inest in vidulo.
Hoc neque isti usus est, et illi miseræ subpetias feret,
Si id dederit, quî suos parenteis quærat. DÆM. Faciam ut det; tace.
GRIP. Nihil, hercle, ego sum isti daturus. TRACH. Nihil peto, nisi cistulam,
Et crepundia. GRIP. Quid si ea sunt aurea? TRACH. Quid isteic tua?
Aurum auro expendetur; argentum argento exæquabitur.
GRIP. Fac, sis, aurum ut videam, post ego faciam videas cistulam.

28. *Quid tu ais?* Aul. IV, 9, 7. Volebat Gripus Trachalionem interpellare.

29. *Quoad primarius*, etc. Vid. vs. 17. Gronovius vult *Quod primarius*, etc., i. e. aio quod vir dicat præstantissimus. Sed hoc parum acute, neque satis intellecta oratione « quid ais? » Sensus : Donec cui prior dicendi est locus, dixerit.

40. *Tace.* Merc. II, 3, 90.

42. *Quid isteic tua?* Supple *refert*. Scriverius mutat *istuc*. Sed *isteic* est in ista re.

DÆM. Cave malo, ac tace tu: tu perge, ut obcœpisti dicere.
TRACH. (ad Dæmonem.) Unum te obsecro, ut te hujus conmiserescat mulieris;
Siquidem hic lenonis ejus est vidulus, quem subspicor.
Heic nisi de opinione certum nihil dico tibi.
GRIP. Viden' scelestus ut aucupatur! TRACH. Sine me, ut obcœpi, loqui.
Si scelesti illius est hic, quojus dico, vidulus,
Hæ poterunt gnovisse; ostendere his jube. GRIP. Ain' ostendere?
DÆM. Haud iniquom dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus.
GRIP. Imo, hercle, insignite inique. DÆM. Quîdum? GRIP. Quia si ostendero,
Continuo hunc gnovisse dicent scilicet. TRACH. Scelerum caput,
Ut tute es, item omneis censes esse? perjuri caput!
GRIP. Omnia istæc ego facile patior, dum hic hinc a me sentiat.
TRACH. Atqui nunc abs te stat; verum hinc ibit testimonium.

48. *Heic nihil*, etc. Nihil dico nisi certa opinione, quod certo sciam. N.

56. *Hinc.* Scilic. ex vidulo testimonium sumendum. — *Hinc a me sentiat.* Sententiam pro me ferat.— *A me*, est, pro me, et *hinc*, i. q. *pro me*, abundat.

57. *Abs te*, est, contra te. Qui usus sane particulæ *ab* et *abs* venustus ac frequens, sed non ubique intellectus: ut Trin. II, 1: « ab re consulit », Ubi Lambini contrariam interpretationem merito Donza explodit. ACIDAL. — *Abs te stat; verum hinc ibit testimonium.* Sic Donza, vel *dabit*. Vulgo *tibi*. Acidalius, *cibi*. MSS, *ibi*. Videtur omnino versum ita restitui oportere: « At si nunc abs te stat verum, hinc erit testimonium ». Duodecim tabulæ apud Festum in Portum: « Cui testimonium defuerit ». GRONOV. — Daceria sententiam Acidalii recepit, quam tamen ut probem ægre inducar, siquidem *a me* esset i. q. *pro me*, et *abs te* i. q. *contra te.* Non intelligo quid inter se tantum differant *ab* et *abs.* Sed unum et idem significare ambo credam, donec argumentis errare me aliquis evicerit. Versum ita interpretabor: « utique, fateor, hic judex a te stat, verum hinc (ex me) veniet testimonium, quod te damnet ». Hinc

D. Gripe, advorte animum: tu paucis expedi, quid postulas?
TR. Dixi equidem : sed si parum intellexti, dicam denuo :
Hasce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberas.
Hæc Athenis parva fuit virgo subrepta. GRIP. Dic mihi,
Quid ista ad vidulum pertinent, servæ sint istæ, an liberæ?
TRACH. Omnia iterum vis memorari, scelus, ut defiat dies.
DÆM. Abstine maledictis, et mihi, quod rogavi, dilue.
TRACH. Cistellam isteic inesse oportet caudeam in isto vidulo,
Ubi sunt signa, quî parenteis gnoscere hæc possit suos,
Quibuscum parva Athenis periit, sicuti dixi prius.
GRIP. Jupiter te dique perdant : quid ais, vir venefice?
Quid? istæ mutæ sunt, quæ pro se fabulari non queant?
TRAGH. Eo tacent, quia tacita bona 'st mulier semper quam loquens.
GRIP. Tum, pol, tu pro oratione nec vir nec mulier mihi es.
TRACH. Quîdum? GRIP. Quia enim neque loquens es, neque tacens unquam bonus.
Quæso, en unquam hodie licebit mihi loqui? DÆM. Si præterhac
Verbum faxis hodie, ego tibi conminuam caput.
TRACH. Ut id obcœpi dicere, senex, eam, te quæso, cistulam
Ut jubeas hunc reddere illis. Ob eam si quid postulat
Sibi mercedis, dabitur; aliud quidquid ibi est, habeat sibi.
GRIP. Nunc demum istuc dicis, quoniam jus meum esse iutellegis :

pro *a me* Mostell. IV, 3, 31, *heic* i. q. *apud me*, I, 3, 60. N.

65. *Caudeam.* « Caudea cistella e junco, a similitudine equinæ caudæ facta ». FEST.

67. *Periit.* Captiv. III, 4, 5.

70. *Tacita bona est.* Subintellige *magis*, vel *potius*. Sophocl. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. LAMB. —Genus hoc loquendi Tacito percrebrum notat Lipsius, quem vide Epist. lib. V, Quæst. 23, itemque Men. V, 1. DOUZA.

71. *Pro oratione*, id est, quantum ex oratione tua colligo : ut verba facis. Amph. I, 1 : « Meus pater nunc pro hujus verbis recte et sapienter facit ». J. GUL.

Dudum dimidiam petebas partem. TRACH. Imo etiam nunc peto.
GRIP. Vidi petere milvum, etiam quom nihil auferret tamen.
DÆM. Non ego te conprimere possum sine malo? GRIP. Si istic tacet,
Ego tacebo: si iste loquitur, sine me pro re mea parte loqui.
DÆM. Cedo modo mihi istum vidulum, Gripe. GRIP. Concredam tibi.
At si istorum nihil sit, ut mihi reddas. DÆM. Reddetur. GRIP. Tene.
DÆM. Audi nunc jam, Palæstra atque Ampelisca, hoc quod loquor.
Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse aibas? PAL. Is est.
GRIP. Perii, hercle, ego miser! ut, priusquam plane adspexit, inlico
Eum esse dixit! PAL. Faciam ego hanc rem planam tibi:
Cistellam isteic inesse oportet caudeam in isto vidulo.
Ibi ego dicam quidquid inerit nominatim, tu mihi
Nullus ostenderis: si falsa dicam, frustra dixero;
Vos tamen istæc, quidquid illeic inerit, vobis habebitis.
Sed si erunt vera, tum obsecro te, ut mea mihi reddantur. DÆM. Placet.
Jus merum oras, meo quidem animo. TRACH. Ac meo, hercle.

80. *Vidi.* Vidi milvium captare prædam, nec tamen capere. LAMB.

82. *Pro re mea parte loqui.* Sic Academicus: sic Gruterus edidit. Pareus τὸ *parte* censet insititium. Rittershusius, *parte*. Scribe: *meam partem*. Asinar. III, 1: « Ergo una pars orationis de die dabitur mihi. PH. Et meam partem loquendi et tuam trado tibi ». Mil. III, 1: « In commoditate abstinere me apud convivas commode Commemini et meæ orationis justam partem persequi ». GRON.

94. *Jus merum oras.* Most. III, 1, 152, et inf. vs. 108.

GRIP. Quid si ista aut superstitiosa, aut ariola est, atque omnia
Quidquid insit vera dicet? anne habebit ariola?
DÆM. Non feret, nisi vera dicet; nequidquam ariolabitur.
Solve vidulum ergo, ut, quidquid sit verum, quam primum sciam.
GRIP. Hoc habet; solutum'st. Ah, perii! video cistellam. DÆM. Hæccine est?
PAL. Istæc est: o mei parenteis, heic vos conclusos gero!
Huc opesque spesque vostrum congnoscendum condidi.
GRIP. Tunc tibi, hercle, deos iratos esse oportet, quisquis es,
Quæ parenteis in tam angustum tuos locum conpegeris.
DÆM. Gripe, adcede huc, tua res agitur. Tu, puella, istinc procul
Dicito, quid insit, et qua facie, memorato omnia.
Si, hercle, tantillum peccassis, quod posterius postules
Te ad verum convorti, nugas, mulier, magnas egeris.
GRIP. Jus bonum oras. TRACH. Edepol, haud orat te: nam tu injurius.
DÆM. Loquere nunc jam, puella. Gripe animum advorte, ac tace.
PAL. Sunt crepundia. DÆM. Ecca video. GRIP. Perii in primo prælio!
Maue, ne ostenderis. DÆM. Qua facie sunt? responde ex ordine.
PAL. Ensiculu'st aureolus primum literatus. DÆM. Dicedum:
In eo ensiculo literarum quid est? PAL. Mei nomen patris.

95. *Superstitiosa*, id est, fatidica. Curc. III, 1, 27.

99. *Hoc habet*, Gripus tralatitio more exsultantium exclamat statim a solutione. TAUBM. — Cf. Most. III, 2, 26.

106. *Quod postules*, etc. Quod postea lentes corrigere, ut veri ad similitudinem flectas.

108. *Haud orat te*. Non loquitur quod sit tui simile.

112. *Literatus*, literis inscriptus. Conf. supra act. II, scen. 5, vs. 22. N.

Post, altrinsecus est securicula ancipes, item aurea
Literata: ibi matris nomen in securicula'st. DÆM. Mane.
Dic, in ensiculo quid nomen est paternum? PAL. Dæmones.
DÆM. Di immortaleis, ubi loci sunt spes meæ? GRIP. Imo, edepol, meæ?
DÆM. Perge, te obsecro, continuo. GRIP. Placide; aut ite in malam crucem.
DÆM. Loquere matris nomen heic in securicula quid siet.
PAL. Dædalis. DÆM. Di me servatum cupiunt. GRIP. At me perditum.
DÆM. Filiam meam esse hanc oportet, Gripe. GRIP. Sit per me quidem.
Quî te di omneis perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis,
Meque adeo scelestum, qui non circumspexi centies
Prius, me ne quis inspectaret, quam rete extraxi ex aqua.
PAL. Post, est sicilicula argenteola et duæ connexæ maniculæ, et
Sucula. GRIP. Quin tu i dierecta, cum sucula et cum porculis.

114. *Ancipes*, pro *anceps*, i. e. utrinque secans. Priscian. lib. III et VI.

118. *Placide*. Gripus nolit ad eventum narratricem festinare. — *In malam crucem*. Conf. Aulul. III, 3, 11.

122. *Qui te di omneis*, etc. Cas. II, 4, 1. Hæc ad Trachalionem.

123. *Scelestum*. Asinar. V, 2, 6. Vid. inf. 140.

125. *Sicilicula*. *Seculæ*, falces sunt Varroni a *secanda*, et *sicilire* deducitur, quod est tanquam *seculire*: inde *sicilices*. Ennius: « Incedit veles vulgo sicilicibu' latis ». Et per diminutionem *siciliculæ*, parvulæ quædam spiculæ aut falculæ, quæ in crepundiis interdum puerorum babebantur. TURN. — Gloss. Sicila, σμίλα, ἀρβήλιον, *sicilum*; ξυρὸν σκυτέως· *sicila*, σμίλα καρποτόμος. Est autem vox Magnæ Græciæ: eo nomine intelligebant quidquid secandi vim habet: inde *Sicilia* dicta, quia ab Italia absecta: inde *sicilire prata*, secare. Catull. *sicelices* aut *sicilices* cultra tonsoria vocat: *sicilire* est cædere; *sicilices* sunt quas in sibynis aut lanceis, aut venabulis, αἰχμὰς Græci vocant. SCALIG.

126. *I, dierecta*. Bacch. IV, 1, 7. — *Cum sucula et parculis*. Sucula fuit machina tractorii generis, quæ in primis cylindro constabat; cylindrus autem dum volveretur, ei funis circumplicabatur; et uncus

PAL. Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.
DÆM. Ea est profecto : contineri, quin conplectar, non queo.
Filia mea, salve; ego is sum, qui te produxi, pater :
Ego sum Dæmones, et mater tua ecca heic intus Dædalis.
PAL. Salve, mi pater insperate. DÆM. Salve : ut te amplector lubens!
TRACH. Volupe 'st, quom istuc ex pietate vostra vobis contigit.
DÆM. Capedum; hunc, si potes, fer intro vidulum, age Trachalio.
TRACH. Ecce Gripi scelera : quom istæc res male evenit tibi,
Gripe, gratulor. DÆM. Age, eamus, mea gnata, ad matrem tuam,
Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere :
Quæ te magis tractavit, magisque signa pergnovit tua.
TRACH. Eamus intro omneis, quando omneis operam promiscuam damus.
PAL. Sequere me, Ampelisca. AMP. Quom te dii amant, voluptati 'st mihi.
GRIP. Sumne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum?
Aut quom excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?

cylindro infixus, qui funem retinebat, vocabatur porculus. Hujus machioæ imitamenta in crepundiis ut ferebaotur, sic nostrates crepundiorum opifices moleodariss machinulas compingunt. Ergo servulus hoc loco ambiguitate vocis jocatur. N.

129. *Produxi*, educavi. Asinar. III, 1, 40.

132. *Ex pietate*, pro vestra virtute.

133. *Si potes*. Formula, opinor, hortatoria, ejusdem generis, cujus illa *quantum potest*. Vide Asin. III, 3, 17; Aulul. II, 7, 20.

134. *Scelera*. Daceria intelligit : « en materies improbitatis Gripi ». Magis comicum videatur, neque minus latinæ indoli consonum, si interpreteris : en infortunia, pernicies Gripi. Pari sensu atque illa oratione : « scelera quæ te agitant ». II, 3, 59. N.

136. *Argumentis*. Cf. Amph. I, 1, 267; II, 2, 174.

Credebam, edepol, turbulentam prædam eventuram mihi,
Quia illa mihi tam turbulenta tempestate evenerat.
Credo, edepol, ego illeic inesse auri et argenti largiter.
Quid meliu'st, quam ut hinc intro abeam, et me suspendam clanculum?
Saltem tantisper, dum abscedat hæc a me ægrimonia.

SCENA QUINTA.

DÆMONES.

Pro di inmortaleis, quis me est fortunatior,
Qui ex inproviso filiam inveni meam?
Satin' si quoi homini dei esse benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis?
Ego hodie, qui neque speravi, neque credidi,
Is inproviso filiam inveni tamen:
Et eam de genere summo adulescenti dabo
Ingenuo, Atheniensi, et congnato meo.
Ego eum adeo arcessi huc ad me quam primum volo,
Jussique exire huc ejus servom, ut ad forum
Iret: nondum egressum esse eum, id miror tamen.
Adcedam opinor ad foreis: quid conspicor?
Uxor complexa collo retinet filiam:
Nimis pæne inepta atque odiosa ejus amatio'st.

142. *Credebam*, præsentiscebam. Vid. sc. seq. v. 5. — *Turbulentam*, haud facilem, neque bene partam. Contrarium est *liquidus*.

146. *Saltem*. Saltant qui lætantur; saltationem quoque exercere videntur, qui pendent. — *Dum*, hoc loco, idem valet quod *ut*.

3. *Satin'*. Hac particula persæpe utitur Plautus, pro, nonne verum est, nonne apparet? Amph. II, 2, 1: « Satin' parva res est voluptatum in vita? » Mostellar. I, 1, 73; Cistell. I, 3, 2; Pœnul. IV, 3, 97. Gron.*

5. *Credidi*. Vid. sc. pr. vs. 142.

14. *Odiosa ejus amatio 'st.* Malim *otiosa*: quippe qui postea objurget uxorem, quod otiose amplexando filiam tempus terat.

SCENA SEXTA.

DÆMONES, TRACHALIO.

DÆM. Aliquando osculando meliu'st, uxor, pausam fieri.
Atque adorna, ut rem divinam faciam, quom intro advenero,
Laribus familiaribus, quom auxerunt nostram familiam.
Sunt domi agni et porci sacres: sed quid istum remoramini,
Mulieres, Trachalionem? atque optume, eccum, exit foras.
TRACH. Ubi ubi erit, tamen jam investigabo, et mecum ad te adducam simul
Pleusidippum. DÆM. Eloquere ut hæc res obtigit de filia:
Eum rogato, ut relinquat alias res, et huc veniat. TRACH. Licet.
DÆM. Dicito daturum meam illi filiam uxorem. TRACH. Licet.
DÆM. Et patrem ejus me gnovisse; et mihi esse congnatum. TRACH. Licet.
DÆM. Sed propera. TRACH. Licet. DÆM. Jam heic fac sit, cœna ut curetur. TRACH. Licet.
DÆM. Omnian' licet? TRACH. Licet, sed scin' quid est, quod te volo?

1. *Aliquando*, id est, tandem. Sic Cic. »collegi me aliquando ». Douza in Præcid. ad Petron. lib. II, cap. 6. — *Pausam*. Conf. Pers. V, 2.

4. *Porci sacres*. Porci sacris destinati appellabantur *sacres*. Tibullus *mysticos* vocat. Aristoph. μυςηρικὰς et μυςικάς. Turn. lib. XXVI, cap. 2. Vide Menæchm. II, 2, 15. GRON.

8. *Licet*. Annuentia locutio.

11. *Jam heic fac sit*. Omnino *sit* legendum, non *sis*, ut habent MSS et edd. Vult enim, ut herus ejus quamprimum ibi sit, cujus causa cœnam erat paraturus, et fortassis etiam nuptialem. ACIDAL.

Quod promisisti ut memineris, hodie ut liber sim. DÆM. Licet.
TRACH. Fac ut exores Pleusidippum, ut me emittat manu. DÆM. Licet.
TRACH. Et tua filia facito oret; facile exorabit. DÆM. Licet.
TRACH. Atque ut mihi Ampelisca nubat, ubi ego sim liber. DÆM. Licet.
TRACH. Atque ut gratum mihi beneficium factis experiar. DÆM. Licet.
TRACH. Omnian' licet? DÆM. Licet: tibi rursum refero gratiam.
Sed propera ire in urbem actutum, et recipe te huc rursum. TRACH. Licet.
Jam heic ero: tu interibi adorna cæterum, quod opu'st. DÆM. Licet.
TRACH. Hercules istum infelicet cum sua licentia,
Ita meas replevit aureis, quidquid memorabam, licet.

SCENA SEPTIMA.

GRIPUS, DÆMONES.

GRIP. Quam mox licet te conpellare, Dæmones?
DÆM. Quid est negoti, Gripe? GRIP. De illo vidulo
Si sapias, sapias: habeas quod di danunt boni.
DÆM. Æquom videtur tibi, ut ego, alienum quod est,
Meum esse dicam? GRIP. Quodne ego inveni in mari?
DÆM. Tanto melius illi obtigit, qui perdidit:

17. *Gratum mihi benef.* Experiar non verbis tantum gratulatoriis, beneficium, quod vobis contuli indicio viduli facio, gratum esse mihi, i. e. gratiam a vobis mihi peperisse. Conf. Amphitr. Prolog. vs. 48. N.

3. *Si sapias, sapias: habeas quod di danunt.* Pistorius *capias* pro altero *sapias*. Sed videtur potius delendum et scribendum: « Si sapias, habeas quod dei danunt boni ». Sic etiam melior fit versus. GRON.

Tuum esse nihilo magis oportet vidulum.
GRIP. Isto tu pauper es, quom nimis sancte pius.
DÆM. O Gripe, Gripe, in ætate hominum plurimæ
Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.
Atque, edepol, in eas plerumque esca inponitur:
Quam si quis avidus poscit escam avariter,
Decipitur in transenna avaritia sua,
Ille qui consulte, docte, atque astute cavet,
Diutine uti bene licet partum bene:
Mihi istæc videtur præda prædatum irier,
Ut cum majore dote abeat quam advenerit.
Egone ut quod ad me adlatum esse alienum sciam,
Celem? minume istuc faciet noster Dæmones.
Semper cavere hoc sapienteis æquissumum'st,
Ne conscii sint ipsi maleficiis suis.
Ego mihi quom lusi, nihil moror ullum lucrum.
GRIP. Spectavi ego pridem comicos ad istum modum
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Quom illos sapienteis mores monstrabant poplo:

9. *O Gripe, Gripe.* Oratio Dæmonis prolngo coosentaoea.

10. *Transennæ.* Cnof. Baccbid. IV, 6, 22.

12. *Poscit*, adpetit.

13. *Decipitur in transenna.* Malim hie: « Excipitur in traoseuna ». Verbom proprinm de illia qui ex insidiis capiuotur. GRON.

15. *Uti partum*, vetus, i. q. uti parto.

16. *Prædatum irier*, i. e. iri, futurnm est iofioiti passiva eonjugatioue. Senaus: « iatæc quam fecisti præda capta, ut mihi videtor, erit, ita ut abeat a nobis majore præmio quam si retineretur ». Nam prnbus ille aeoex existimat, aiquia alieoo abstineat, enm ditari. Duplo reddeot dii, qnod ille adventilium reddideril. N.

18. *Egone ut*, ete. Conf. Asin. V, 2, 34.

19. *Dæmones*, Dæmones ille qui apud una habitat.

21. *Suis* nnn jungendum *maleficiis*; sed aiguificat familiares.

22. *Mihi quom lusi.* Seusus est: Pnatquam mihi lusi; seu, postqoam mihi non modo non damno, aed et usui fuit hic vidnlus, inventa nempe filia, nollum prætereа lucrum inde quæro. ACIDAL.

25. *Quom illos sapienteis mores.* Vult: pnpulum quidem io theatro probare meliora, plansomque adeo dare, quum a comico pronuntiatur seotentia aliqua bonestior: verum

Sed quom inde suam quisque ibant diversi domum,
Nullus crat illo pacto, ut illi jusserant.
DÆM. Abi intro, ne molestus; linguæ tempera.
Ego daturus tibi nihil sum, ne tu frustra sis.
GRIP. At ego deos quæso, ut quidquid in illo vidulo 'st,
Si aurum, si argentum'st, omne id ut fiat cinis. (abit.)
DÆM. Illuc est, quod nos nequam servis utimur.
Nam illic cum servo si quo congressus foret,
Et ipsum sese et illum furti adstringeret,
Dum prædam haberc se censeret, interim
Præda ipsus esset; præda prædam duceret.
Nunc hinc introibo, ct sacruficabo; postibi
Jubcbo nobis cœnam continuo coqui.

SCENA OCTAVA.

PLEUSIDIPPUS, TRACHALIO.

PLEUS. Iterum mihi istæc omnia itera, mi anime, mi Trachalio,
Mi libertc, mi patrone, imo potius, mi pater.

eumdem popnlum, ut domum abiit, oblinere mores suos, neque facere in privato illud ipsum, quod voce manuque publice probaveral. TAUBM.

31. *Si aurum, si argentum.* Particula *si* iterata ulebantur interdum pro *sive.* Liv. VII, 26: « Precatus deinde, si divus, si diva esset ». Gell. II, 28: « Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam, si deo, si deæ, immolabant ». Capt. I, 2, 5; Curc. I, 1, 4. GRON.*

32. *Illuc est.* Illa causa est, quamobrem servos improbos habemus: nempe, quod connivemus eorum peccatis. LAMB. — Mihi videtur aliud sentire oratio: en isti quos habemus nequam servi; en ut servos nequam habemus. Cas. II, 8, 26; III, 2, 1. N.

33. *Illic*, ille. Daceria censet Dæmonem de se in tertia loqui, sicut versu 19. Sed tum *hic* diceret, nunquam *illic*. Gripus est illic qui abiit.

36. *Interim Præda ipsus esset.* Qui cum Lambino opinantur de domino orationem esse, non meminerunt, si quis ingenuus furti damnaretur, pecunia, non libertate multatum fuisse. Ipse est prædator servus.

1. *Iterum ... itera*, iterum narra.

2. *Mi liberte.* Cf. Capt. II, 1, 40.

Reperit patrem Palæstra suum atque matrem? TRACH. Reperit.
PLEUS. Et popularis est? TRACH. Opinor. PLEUS. Et nubtura 'st mihi? TRACH. Suspicor.
PLEUS. Censen', hodie despondebit eam mihi, quæso? TRACH. Censeo.
PLEUS. Quid, patri etiam gratulabor, quom illam invenit? TRACH. Censeo.
PLEUS. Quid, matri ejus? TRACH. Censeo. PLEUS. Quid ergo censes? TRACH. Quod rogas,
Censeo. PLEUS. Dic ergo quanti censes! TRACH. Egone? censeo.
PLEUS. At sume quidem, ne censionem semper facias. TRACH. Censeo.
PLEUS. Quid si curram? TRACH. Censeo. PLEUS. An sic potius placide? TRACH. Censeo.
PLEUS. Etiamne eam adveniens salutem? TRACH. Censeo. PLEUS. Etiamne, ejus patrem?

4. *Popularis* mea.

9. *At sume quidem.* Illud *sume* referendum ad illa, *dic ergo quanti censes*, id est, quanti æstimas: ubi æstimatio facta est, nihil restat, quam sumere in venditione, de cujus æstimatione ac pretio convenit. Quum toties illud verbi repetiisset *censeo*, ad id respondet quod dixerat, *quanti censes?* Imo, inquit, rem sume quanti eam censes atque æstimas, ne semper facias censionem. Lusit in ambiguo significationis verbi *censeo*, ut sæpe fit apud Plautum. SALM.—Pontanus, *At summa quidem.* Hunc proxime sensum accessisse puto. Sed *sumo* est id ipsum, quod ille vult *summo.* Trin. IV, 2: « Hem ista ratio maxima est. ST. Non tibi illud apparere, si sumas, potest ». Lucilius apud Nonium: « Hæc est ratio perversa: æra sumta et subducta improbe ». *Sumere* igitur est subducere, summam facere. At *censere æra* est dispungere, conspicere, numquid digna sint quæ accipiantur et subscribantur. Ut in Trucul. I, 1: « Adcipiat inlico expensa, neque censeat ». Quem habuerunt in promtu locum interpretes, sed eo nescierunt uti. Quum toties dixisset servus *Censeo*, *Sume tandem*, inquit herus: summam fac: satis censuisti, vel dispunxisti rationem. GRONOV. — Daceria non damnat Gron. interpretationem; sed libentius Salmasianæ acquiescit. Neque Truculentum commode biclaudari censemus.

TRACH. Censeo. PLEUS. Post ejus matrem? TRACH. Censeo. PLEUS. Quid postea?
Etiamne adveniens conplectar ejus patrem? TRACH. Non censeo.
PLEUS. Quid, matrem? TRACH. Non censeo. PLEUS. Quid eampse illam? TRACH. Non censeo.
PLEUS. Perii! delectum dimisit: nunc non censet, quom volo.
TRACH. Sanus non es; sequere. PLEUS. Duc me, mi patrone, quo lubet.

15. *Delectum dimisit*, etc. Alia ambiguitas, alia significatione verbi *Censere*. Censeri dicebantur qui deferebant ad censores æstimationem bonorum, pro quorum facultate in classes et centurias distribuerentur, et munia atque honores civitatis obirent. Daceriæ non assentior, quæ alludi ad recognitionem equitum censet. N.



ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

LABRAX.

Quis me est mortalium miserior, qui vivat alter hodie,
Quem ad recuperatores modo damnavit Pleusidippus?
Abjudicata a me modo est Palæstra: perditus sum!
Nam lenones ex gaudio credo esse procreatos,
Ita omneis mortaleis, si quid est mali lenoni, gaudent.
Nunc alteram illam, quæ mea est, visam huc in Veneris fanum,
Saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.

SCENA SECUNDA.

GRIPUS, LABRAX.

GRIP. Nunquam, edepol, hodie ad vesperam Gripum inspicietis vivom,
Nisi vidulus mihi redditur. LABR. Perii, quom mentionem
Fieri audio usquam viduli, quasi palo pectus tundat.
GRIP. Illic scelestus liber est; ego qui in mari prehendi
Rete atque excepi vidulum, dare ei negatis quidquam.
LABR. Pro di inmortaleis, suo mihi hic sermone adrexit aureis.

2. *Recuperatores.* Vide Bacchid. II, 3, 36.
4. *Nam.* Cistell. IV, 2, 10.
3. *Tundat.* Supple, *qui hoc loquatur.* Alii scribunt *tundas.*
4. *Illic*, Trachalio. — *Liber est*, fit libertus. — *Ego qui.* Anacoluthum. Vid. Most. I, 3, 93.

GRIP. Cubitum, hercle, longis literis signabo jam usquequaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum ut veniat. Non feretis istum, ut postulatis.
LABR. Meum, hercle, illic homo vidulum scit, qui habet, ut ego opinor.
Adeundus mihi illic est homo. Di, quæso, subvenite.
GRIP. Quid me intro revocas? Hoc volo heic ante ostium extergere,
Nam hoc quidem, pol, e robigine, non e ferro factum'st;
Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fiat:
Nam quidem hoc vere gnatum'st verum: ita in manibus consenescit.
LABR. Adulescens, salve. GRIP. Di te ament cum inraso capite. LABR. Quid fit?

7. *Cubitum.* Homines panperculi in re tali compendinm præconis facere solebant: ut Gelasimus in Sticbo. Opulentiores vero præconem conducebant e publico, palamqne per eos, si quid vellent, prædicari jubebant. Qui mos in hunc usque diem nobis quasi per manns traditus observatur, nt et ille alter, qno libellos indices sive tabulas papyrinas, longis, decumanis ac capitalibus literis scriptas basilicarum vel templorum valvis, pilisque ac portis proponimus. Sunt autem *longæ literæ* pro *in longum formatis productisque* accipiendæ. Ad quas item longam illam literam singularem, quam ex se facturam sibi Euclionis Staphyla minatur, referundam censeo. De *longis* item *literis* et quidem cubitali modo etiam Pœnul. IV, 2: «Ibi tn videas literatas fictiles epistolas, Pice signatas: nomina insunt cubitum longis literis». DOUZA.

9. *Postulatis.* Amph. II, 2, 137.

12. *Quid me intro revoc.* Hæc ad herum intus. — *Hoc*, scilicet veru. Vid. vs. 15.

14. *Rutilum*, scilicet robigine; rutilns est aurens color, ξανθός.

15. *Vere gnatum 'st verum.* Lndit in floribus et frnctibus vernis, qni fugaces sunt et in diem; qnum contra plerique æstivi et antumnales fructus in totum durent annum. *Veru* ergo, quod antiqno sermone *verum* (nt *cornum*, *genum*) appellat, rubiginosum dicit e vernis esse frnctibns, et in manibus consenescere. TURN.

16. *Cum inraso capite.* Qui e naufragio servati crant, radebant caput, in signum liberationis, ut bic Longolius notat. Quamqnam illi potius in periculo, et tempestate jam invalescente caput radere, atque etiam ungues præcidere solebant. At enim quum leno, sup. sc. 1, *crispus* dicatur, putem eum

GRIP. Verum extergetur. LABR. Ut vales? GRIP. Quid tu? num medicus, quæso, es?
LABR. Imo, edepol, una litera plus sum, quam medicus. GRIP. Tum tu
Mendicus es? LABR. Tetigisti acu. GRIP. Videtur digna forma.
Sed quid tibi est? LABR. Hac proxuma nocte in mari elavi.
Confracta 'st navis, perdidi, quidquid erat, miser ibi omne.
GRIP. Quid perdidisti? LABR. Vidulum cum auro atque argento multo.
GRIP. Ecquid meministi in vidulo, qui perit, quid infuerit ibi?
LABR. Quid refert, qui periit? GRIP. Tamen si non hoc, aliud fabulemur.
Quid si ego sciam qui invenerit? volo ex te scire signa.
LABR. Numi octingenti aurei in marsupio infuerunt.
Præterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus.
GRIP. (secum.) Magna, hercle, præda 'st! largiter mercedis indipiscar.
Di homines respiciunt: bene ego hinc prædatus ibo.
Profecto hujus est vidulus. (Alia voce.) Perge alia tu expedire.

hic diei *inraso capite*, id est, non raso: propter cincinnos in capillo crispo. PISTOR. — *Quid fit.* Bacch. IV, 3, 12.

17. *Verum extergetur.* Aliud quærenti aliud respondet scurra; itaque ambiguitatem tollit Labrax, aliis verbis eamdem iterans quæstionem: « ut vales? » N.

19. *Videtur digna forma.* Species tua est vere digna mendicante.

24. *Si non hoc* loquamur. — *Fabulemur.* Potentialis modus est, ne suasionis in eo vim perperam arbitreris. ACIDAL.

27. *Pasceolo.* Nonius: « Pasceolus ex aluta sacculus »: a græco φασκώλιον et φάσκωλον. Suidas: φασκώλιόν ἐςι μαρσύπιον. Asconius vocat *scorteas.* Est autem *pasceolus* ὑποκοριςικὸν a *pascelo.* MEURS.

29. *Di homines respiciunt.* Ita Bacch. « Tace modo: deus respiciet nos aliquis ». Alluditur ad Fortunam Respicientem, id est, felicem et propitiam. TAUBM.

LABR. Talentum argenti conmodum magnum inerat in crumina,
Præterea sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.
GRIP. Papæ! divitias tu quidem habuisti luculentas.
LABR. Miserum istuc verbum et pessumum'st, Habuisse, et nihil habere.
GRIP. Quid dare velis, qui istæc tibi investiget indicetque?
Eloquere propere celeriter. LABR. Numos trecentos. GRIP. Tricas.
LABR. Quadringentos. GRIP. Tramas putridas. LABR. Quingentos. GRIP. Cassam glandem.
LABR. Sexcentos. GRIP. Curculiunculos minutos fabulare.
LABR. Dabo septingentos. GRIP. Os calet tibi; nunc id frigidefactas?
LABR. Mille dabo numos. GRIP. Somnias. LABR. Nihil addo; abi. GRIP. Igitur audi:
Si, hercle, abiero hinc, heic non ero. LABR. Vin' centum et mille? GRIP. Dormis.
LABR. Eloquere quantum postules. GRIP. Quo nihil invitus addas;
Talentum magnum: non potest triobolum hinc abesse.

31. *Conmodum.* Vide Merc. II, 3, 101.

32. *Sinus. Sinus* vel *sinum*, vas sinnosum, rotundum et capace alvo. Virg. Ecl. VII, 33: « Sinum lactis, et hæc tibi liba, Priape, quotannis Exspectare sat est ». Græce δῖνος. Alii *sinum* interpretantur vas, quod vini stillicidio excipiundo siphunculis subjicitur, quod *excipulum* dicitur. TAUBM.— *Epichysis*, vas vinarium, e quo in cyathos vinum affundebatur. TURN. — Ex Polluce constat, vasis etiam coquinarii genus fuisse. SCAL. — *Gaulus*, vasculum in formam cymbii. LAMB.

34. *Miserum istuc verbum*, etc. Cistell. I, 1, 77.

36. *Propere celeriter.* Glossulam sapit. Vel scripsit forte Plautus: « Eloquere properiter »: qua voce alibi nsus, ut et simia ejus Apuleius. SCRIV.

37. *Tramas*, id est, fila putrida. Epid. V, 1.

38. *Curculiunculos*, id est, res nullius narras.

39. *Num id frigidefactas?* Conf. Pœnul. III, 5, 15.

42. *Quo nihil*, etc. Ne quid præterea poscam additamenti.

43. *Talentum magnum.* Vid. Most. II, 1, 114.

Proin tu vel aias, vel neges. LABR. Quid isteic necessum'st, video:
Dabitur talentum. GRIP. Adcededum huc: Venus hæc volo adroget te.
LABR. Quod tibi lubet, id mihi inpera. GRIP. Tange aram hanc Veneris. LABR. Tango.
GRIP. Per Venerem hanc jurandum'st tibi. LABR. Quid jurem? GRIP. Quod jubebo.
LABR. Præi verbis quid vis: id quod domi'st, nunquam ulli subplicabo.
GRIP. Tene aram hanc. LABR. Teneo. GRIP. Dejura, te mihi argentum daturum,
Eodem die, viduli ubi sis potitus. LABR. Fiat.
GRIP. LABR. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi,
Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi,
Cum auro atque argento salvom investigavero,
Isque in potestatem meam pervenerit.
GRIP. Tum ego huic Gripo dico, inquito, et me tangito.
LABR. Tum ego huic Gripo dico, Venus, ut tu audias.
GRIP. LABR. Talentum argenti magnum continuo dabo.
GRIP. Si fraudassis, dicito, uti te in quæstu tuo
Venus eradicet caput atque ætatem tuam.
Tecum hoc habeto tamen, ubi juraveris.

45. *Adroget.* Interroget, et tibi jusjurandum concepturo voce præeat. In stipulatione est *adstipulator* plerumque, ut in promissione *adpromissor.* Stipulator rogat; adstipulator adrogat, cujus vice nunc Venus erit, cujus in fano ad aram pactum conventum initur. TAUBM.

46. *Tange aram.* Habetur hic formula jurisjurandi corporaliter præstiti conceptis verbis, et adversario præeunte. Et notetur jusjurandum aris tactis præstitum, quod et Cicero pro Flacco indicat, quum ait : « Is si aram tenens juraret, crederet nemo ». Juvenal. Sat. XIV : « Falsus erit testis : vendit perjuria summa Exigua, Cereris tangens aramque pedemque ». Nam et sacramentum dicturi et precaturi aras tangebant, vel tenebant : habebant enim aræ ansulas quasdam, auctore Scalig. BRISSON.

48. *Id quod domi.* Hoc quod habeo, et proprie meum est, nunquam aliunde supplex petam. Lenones enim perjuri. Allegoria. LAMB. — Hoc versus 68 satis explicabit. N.

60. *Tecum hoc habeto.* Hanc ta-

LABR. Et illum ego advorsum, si quid peccasso, Venus,
Veneror te, ut omneis miseri lenones sient.
GRIP. Tamen fiet, etsi tu fidem servaveris.
Tu heic operire, jam ego faxo exibit senex:
Eum tu continuo vidulum reposcito. (it intro.)
LABR. Si maxume mihi illum reddiderit vidulum,
Non illi ego hodie debeo triobolum.
Meus arbitratu'st, lingua quod juret mea.
Sed conticescam : eccum exit, et ducit senem.

SCENA TERTIA.

GRIPUS, DÆMONES, LABRAX.

GRIP. Sequere hac. Ubi istic leno est? heus tu, hem tibi, hic habet vidulum.
DÆM. Habeo, et fateor esse apud me : et, si tuus est, habeas tibi.
Omnia ut quidquid infuere, ita salva sistentur tibi.
Tene, si tuus est. LABR. O di inmortaleis! meus est. Salve, vidule.
DÆM. Tuusne est? LABR. Rogitas? siquidem, hercle, Jovis fuit, meus est tamen.
DÆM. Omnia insunt salva : una istinc cistella excepta est modo
Cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam.
LABR. Quam? DÆM. Tua quæ fuit Palæstra, ea filia inventa est mea.

men precationem diram tibi servato, eaque in tuum caput vertatur. LAMB. — *Tamen*, utcumque facias, seu serves fidem, seu fallas, eradicare statim ac juraveris. Diræ in lenones sermo vulgaris.

62. *Veneror.* Bacch. II, I, 4.

68. *Meus arbitratu'st.* Quod ego jurejurando promisi, an exsequar, judex ego sum.

5. *Siquidem, hercle, Jovis fuit.* Etiamsi in possessionem Jovis venisset, tamen esset adhuc meus. DACERIA.

LABR. Bene, mehercle, factum'st; quom istæc res tibi ex sententia
Polchre evenit, gaudeo. DÆM. Istuc facile non credo tibi.
LABR. Imo, hercle, ut scias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis; condono te. DÆM. Benigne, edepol, facis.
LABR. Imo tu quidem, hercle, vero. GRIP. Heus tu, jamne habes vidulum?
LAB. Habeo. GRIP. Propera. LABR. Quid properabo? GRIP. Reddere argentum mihi.
LABR. Neque, edepol, tibi do, neque quidquam debeo. GRIP. Quæ hæc factio'st?
Non debes? LABR. Non, hercle, vero. GRIP. Non tu juratus mihi es?
LABR. Juratus sum; et nunc jurabo, si quid voluptati est mihi.
Jusjurandum rei servandæ, non perdundæ, conditum'st.
GRIP. Cedo, sis, mihi talentum magnum argenti, perjurissume.
DÆM. Gripe, quod tu istum talentum poscis? GRIP. Juratu'st mihi
Dare. LABR. Lubet jurare: tun' meo pontifex perjurio es?

12. *Condono te.* Condouare aliquem, est douare alicoi, quod debetur, sul offertur : remiltere, non exigere; *condonare alicui aliquid* est idem qnod simplex donare. GRON.*

18. *Conditum 'st.* Inveutom et comparatum est. Priscos hac brevitate sermonis eleganliss. sæpe usos, docet Lipsius not. ad lib. IV Taciti.

21. *Tun' meo, pontifex, perjurio es?* Rad. quoque Foruerius VI, Quot. 2, biuc conjicit de jurejurando poutifices cognovisse. Sed neque *pontificem* pro arbitro pati possum accipi, neque aut ultionem jurisdictionemque fuisse poutifici in perjuros, aut expiatiouem, quæ a poolifice fieri solerel, respici a Plauto puto : sed sacrameutum, quod erat pœna perjurii iuter litigantes. Eral euim *sacramentum* pecuuia apud poutificeio deposita ab illis, qui de aliqua re apud judicem couteodebant : victus perdebal suam, victor accipiebat. Quum aulem juraret uterque actor se non calumniari, ille, a quo petebalur, se nou ioficiari calumniæ causa; coutra quem prouuntiabatur, etsi noo damnaretur calumniæ, el ex animi sui sententia jurasset, tamen ipse eventus quodammodo faciebal perjurum : et hujus levitatis mul-

DÆM. Qua pro re argentum promisit hic tibi? GRIP. Si vidulum
Istum redegissem in potestatem ejus, juratus dare
Mihi talentum magnum argenti. LABR. Cedo quicum habeam judicem,
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem
Quinque et viginti gnatus annos. GRIP. Habe cum hoc. LABR. Alio 'st opus.
DÆM. Jam ab isto auferre haud sinam, nisi istum condemnavero.
Promisisti huic argentum? LABR. Fateor. DÆM. Quod servo meo
Promisisti, meum esse oportet; ne tu leno postules
Te heic fide lenonia uti; non potes. GRIP. Jam te ratus
Nanctum hominem quem defrudares: dandum huc argentum'st probum;
Id ego continuo huic dabo, adeo me ut hic emittat manu.

tam habebat amissum sacramentum. *Tun' meo, pontifex, perjurio es*, hanc habet sententiam: tibine ob id, tauquam pontifici, debetur sacramentum? GRON.—Sed Daceria a Gronovio in eorum sententiam discedit, qui putant hoc loco significari judicium pontificis, qui de perjuriis cognoscebat, et cujus ex præcepto fiebant piacula. Quod potius videtur. N.

24. *Cedo quicum habeam*. Sensus hic est: Quid is, quod dare juratus sum, auferet a me judicio, si probaverim, te stipulatum esse, dolo malo: et per hoc stipulationem non valere: meque viginti quinque annis minorem esse, et ob id *Lætoriæ legis* beneficio uti posse? RÆVARD. — Lætoria lege, viginti quinque annis minores, quidquid stipulati essent, non tenebantur. Ergo jocose se per hanc legem solutum senex prædicat. « Da mihi, inquit, aliquem quocum certare possim, nam tecum certare servulo non fert animus ». Locutio solennis « habere judicem ni, etc. », i. e. certare apud judicem, ita ut damner, ni arguerim te dolo malo instipulatum. Eodem modo « dare pignus nisi, etc. » Casin. Prol. 75. Nugas autem jactat, quippe cui nugæ objiciantur maximæ, scilicet lenonis jusjurandum. N.

26. *Habe cum hoc*. Scil. judicem. Certato sponsione cum Dæmone, non mecum. LAMB.

27. *Jam ab isto*. Quasi dicat: volo de hac controversia vestra cognoscere: nisi autem a me damnatus sit Gripus, vidulum non auferes. LAMB.

31. *Huc*, ad me.

DÆM. Quando ergo erga te benignus fui, atque opera mea
Hæc tibi sunt servata..... GRIP. Imo, hercle, mea, ne tu dicas tua.
DÆM. (ad Gripum.) Si sapies, tacebis. (ad Labracem.) Tum te mihi benigne itidem addecet,
Benemerenti bene referre gratiam. LABR. Nempe pro tuo
Jure oras. DÆM. Mirum, quin tuum jus meo periculo abs te expetam.
GRIP. Salvos sum; leno labascit; libertas portenditur.
DÆM. Vidulum istunc ille invenit; illud mancipium meum'st.
Ego tibi hunc porro servavi cum magna pecunia.
LABR. Gratiam habeo, et de talento nulla causa est quin feras,
Quod isti sum juratus. GRIP. Heus tu! mihi dato ergo, si sapis.
DÆM. Tacen' an non? GRIP. Tu meam rem simulas agere, tibi mu**
Non, hercle, istoc me intervortes, si aliam prædam perdidi.
DÆM. Vapulabis, verbum si addes istuc unum. GRIP. Vel, hercle, enica,
Non tacebo unquam alio pacto, nisi talento conprimor.
LABR. Tibi operam hic quidem dat; taceto. DÆM. Concede hoc tu, leno. LABR. Licet.

35. *Tum te mihi.* Continuat orationem a Gripo interruptam.

36. *Pro tuo jure.* Vulgo, *pro meo*, quod sequentia non tolerant: *mirum quin*, etc.

37. *Mirum quin*, etc. Cum dissimulatione urbana pronuntiandum. Mirum, inquit, me tuum jus non cum damno meo persequi! Quasi dicat: stultum fuerit, jus tuum in meum damnum expetere. LAMB. —Vid. Aul. I, 2, et Most. II, 2.

38. *Labascit*, de postulatione jam ferme deturbatur.

39. *Mancipium meum.* Gripus meus est: ita quod abs te stipulatus est, mihi debetur. LAMB.

43. *Tibi mu* **. Explent alii *tibi mutuas*, alii *tuam magis*.

44. *Si aliam prædam.* Totam habere debui; igitur quam isti reddes, mihi perdita pars erit. At istoc talento fraudari me non sinam. N.

46. *Conprimor.* Comprimere aliquem dicebant pro « cogere ad silendum ». Et aliud significabat, vid. Amph. I, 1.

47. *Tibi operam dat*, scilicet ipse quem elegisti advocatum.

GRIP. Palam age, nolo murmur ullum, neque susurrum fieri.
DÆM. Dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam
Ampeliscam? LABR. Mille numos denumeravi. DÆM. Vin tibi
Conditionem luculentam ferre me? LABR. Sane volo.
DÆM. Dividuom talentum faciam. LABR. Bene facias. DÆM. Pro illa altera,
Liberta ut sit, dimidium tibi sume, dimidium huic cedo.
LABR. Maxume. DÆM. Pro illo dimidio ego Gripum emittam manu,
Quem propter tu vidulum, et ego gnatam inveni. LABR. Bene facis:
Gratiam habeo magnam. GRIP. Quam mox mihi argentum ergo redditur?
DÆM. Res soluta 'st, Gripe : ego habeo. GRIP. Hercle, at ego me mavolo.
DÆM. Nihil, hercle, heic tibi est, ne tu speres : jurisjurandi volo
Gratiam facias. GRIP. Perii, hercle! nisi me suspendo; obcidi.
Nunquam, hercle, iterum defrudabis me quidem post hunc diem.
DÆM. Heic hodie cœnato, leno. LABR. Fiat! conditio placet.
DÆM. Sequimini intro : spectatores, vos quoque ad cœnam vocem,
Ni daturus nihil sim, neque sit quidquam pollucti domi,

58. *Jurisjurandi volo Gratiam.* Qui jusjurandum remittit, « Gratiam jurisjurandi facere dicitur » : qui præstiti jurisjurandi religione aliquem liberat, is etiam jurisjurandi gratiam facit. Atque ex hoc Plauti loco evidenter apparet, quum id, quod juramento promissum est ultro, sive (ut hic) pactione aliqua, remittitur, tunc etiam jurisjurandi gratiam fieri. Sueton. Tib. cap. 35 : « Equiti rom. jurisjurandi gratiam fecit ». Ræv.

63. *Pollucti.* Si nobis esset cœna

Nive adeo vocatos credam vos esse ad cœnam foras.
Verum, si voletis plausum fabulæ huic clarum dare,
Comisatum omneis venitote ad me ad annos sedecim.
Vos heic hodie cœnatote ambo. LABR. Fiat. DÆM. Plausum date.

tam laute apparata, quam esse solet eorum, qui *votivum epulum* faciunt, vos vocarem. Vide Stich. II, I. SCAL. — Vereor ne hic lapsus sit; certe improprie loquutus est Plautus, exque usu theatri: nam polluctum omne in fano consumebatur. GUTH. — Qui pollucebant, opiparum epulum celebrabant. Unde quidquid lautum et abundans, pollucibile.

66. *Ad annos*, post annos abhinc.



M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

STICHUS.

DRAMATIS PERSONAE.

PANEGYRIS, } mulieres.
PINACIUM, }
ANTIPHO, senex.
GELASIMUS, parasitus.
CROCOTIUM, ancilla.
DINACIUM, puer.
EPIGNOMUS.
STICHUS, servus.
PAMPHILIPPUS, adolescens.
SAGARINUS, servus.
STEPHANIUM, ancilla.

RES AGITUR ATHENIS.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

Senex castigat filias, quod hæ viros
Tam perseverent peregrinanteis pauperes
Ita sustinere fratres, neque relinquere.
Contraque verbis delenitur conmodis,
Habere ut sineret quos semel nanctæ forent.
Viri reveniunt opibus aucti trans mare:
Suam quisque retinet; ac Sticho ludus datur.

1. *Castigat*, increpat.
3. *Sustinere*, tolerare. Fidem servare, neque in nuptias alias convenire, legitimo tempore exacto, postquam illi abierunt, i. e. tertio anno. Vid. scen. 1, v. 30.— *Fratres*. Duobus fratribus duæ sorores nupserant. N.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Argumentum hujus fabulæ est et leve et futile, etsi in hac bonæ et præclaræ sententiæ insertæ sunt, et *exemplum* proponitur egregium *fidei conjugalis*. Duo adolescentes fratres habebant duas sorores conjuges. Dum vivunt in luxu et deliciis, rem familiarem perdunt : hanc recuperare student mercaturis faciendis : quod autem longo tempore abessent, vult pater filias, uxores illorum, aliis collocare; sed illæ constanter refragantur. Redeunt illi re bene et feliciter gesta, et aucti opibus : itaque facile reconciliantur socero. Parasitus autem, quo socio et adjutore rem amiserant, ab illis repellitur, et ludibrio habetur. Sticho etiam servo potestas fit convivii agitandi cum altero servo Sagarino.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

STICHUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PANEGYRIS, PINACIUM.

PAN. Credo ego miseram fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo; quæ tam diu vidua
Viro suo caruit : nam nos ejus animum
De nostris factis gnoscimus, quarum viri hinc absunt,
Quorumque nos negotiis absentum, ut est æquom,
Sollicitæ nocteis et dies, soror, sumus semper.
PIN. Nostrum opficium nos facere æquom'st; neque

2. *Vidua.* Verbum *vidua*, quod in MSS et edd. omnibus est, ejecit Muretus, nullam ob causam. Si putavit, non convenire : sciat *viduam* diei, et quæ maritum adhuc habet, et quæ nunquam habuit. Seneca, Agamemn. vs. 157 : « Decem per annos vidua respiciam virum? » Ibid. vs. 195 : « An te morantur virgines viduæ domi? » Gruter.

4. *De nostris factis.* Nescio quid impediti hac oratione quærere docti laborent, ut alii velint mutare *facil* pro *facile*, alii intelligant *factis* tanquam reapse, et suppleant *animis* jungendum cum *nostris*. Ni fallor, *factu* alicujus sæpissime Plauto dicuntur, pro *more agendi*, *consuetudine*, *experientia*. Vide Aulul. II, 2, 43. Sensus ergo est: cognoscimus eo quod patimur. N.

Id magis facimus, quam nos monet pietas.
Sed heic, mea soror, adsisdum : multa volo tecum
Loqui de re viri. PAN. Salvene, amabo?
PIN. Spero quidem, et volo; sed hoc, soror, crucior,
Patrem tuum meumque adeo, unice qui unus
Civibus et omnibus probus perhibetur,
Eum nunc inprobi viri officio uti;
Viris qui tantas absentibus nostris
Facit injurias inmerito,
Nosque ab his abducere volt.
Hæ res vitæ me, soror, saturant:
Hæ mihi dividiæ et senio sunt.
PAN. Neu lacruma, soror; neu tuo id animo

10. *Salvene, amabo?* Persuasit plerisque Donatus ad Terentii Eunuchum, V, 5, dicendum esse, *Satin' salve*, et posterius vocabulum esse adverbium, quod significet, *integre, commode, recte*. Addiderunt suppressum in eo esse verbum *agis*. Ego quidem memini apud Apuleium legi : « quam salve agis » : sed hic apud antiquiorem monstrari mihi unum velim : aut ad illud, « Quid agis », responderi usquam, *salve*. Interim potius duco scribi : « Satin' salvæ? » ut intelligatur, « res sunt ». Hoc jubent integra, « salva res est », et « salvis rebus » toties frequentata. Sed et apud Livium Lucretia interrogata, « Satin' salvæ », non tantum respondet, *Minime:* quod majusculis literis ponit Brissonius, tanquam argumentum in interrogatione etiam adverbium esse, quod ille vult : sed etiam : « quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia? » Ubi intelligas quum rogaretur, « salvæne res sunt », respondisse, « minime salvæ sunt : quid enim rerum salvum est mulieri, etc. » At in Menæchm. V, 2 : « Salva sis : salve advenio? salven' arcessi jubes? » Sed ineptum rogare senem, an ipse salvus adveniat. Scribendum vero : « Salvene advenio? salvan' arcessi jubes ». GRONOV. — Possit tamen intelligi hoc loco, ut Menæchm., *salve*, cum salute, quatenus pertinet ad eos de quibus mecum vis loqui, i. e. fauste. Simili modo dicunt *salute horiæ* pro *salva horia*, Rud. IV, 2, 5. « Salute nostra », i. e. « salvis nobis », Bacchid. IV, 9, 147. N.

18. *Vitæ me saturant*, faciunt ut vitæ me tædeat.

19. *Dividiæ*. Bacchid. IV, 6. — *Senio*, id est, tædio et odio.

20. *Neu tuo id animo*. Non perceperunt Plauti mentem interpretes. Pater ultro ægre et male facere, filiasque a maritis absentibus abducere, aliisque in matrimonium dare minabatur. Dixerat Pinacium, eas res vitæ se saturare, et senio sibi ac dividiæ esse, animi sui dolores lacrymis testata. Monet ergo eam

Fac, quod tibi tuus pater facere minatur.
Spes est eum melius facturum.
Gnovi ego illum; istæc joculo dicit;
Neque ille sibi mcreat Persarum
Monteis, qui esse aurei perhibentur,
Uti istuc faciat, quod tu metuis.
Tamen si faciat, minume irasci
Decet; neque id inmerito eveniet.
Nam viri nostri domo ut abierunt,
Hic tertius annus. PIN. Ita ut memoras.
PAN. Quom ipsi interea vivant, valeant,
Ubi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos, neque redeunt.
PIN. An id doles, soror, quia illi suum officium
Non colunt, quom tuum facis? PAN. Ita, pol.
PIN. Tace, sis; cave, sis, audiam ego istuc,
Cave, posthac ex te. PAN. Nam, quî jam?
PIN. Quia, pol, meo animo omneis sapienteis
Suum officium æquom'st colere, et facere.
Quamobrem ego te hoc, soror, tametsi es major,
Moneo, ut tuum memineris officium.
Et si illi inprobi sint, atque aliter
Nos faciant, quam æquom'st, tamen, pol,

Panegyris, ne querelis aut lacrymis se affligeret, neve propter irritas forte et vanas patris minas, certam animo suo ægritudinem afferret. Hæc vera est hujus loci sententia. Boxh.

29. *Domo ut abierunt.* Haud dubie allusit ad antiquam legem, qua certum tempus absentiæ viri fuit definitum. Sane simile quid de patre absente relatum in jure est, in leg. 10 de Ritu Nupt. D. Boxh.

30. *Hic tertius annus.* Utrum ejusmodi absentia legitimam causam præstet divortii, disputat Hotom. de Rit. Nupt. cap. 24.

34. *An id doles, soror, quia,* etc. Intellige : Tædetne te officium tuum facere, quia illi suum non faciunt?

37. *Posthac ex te* istuc audiam.

40. *Tametsi es major.* Acad. *tamen etsi es major.* Quam particulam et alibi Plauto docti viri restituerunt. Gron,

43. *Nos faciant.* Lambinus legit *In nos faciant secus,* contra librorum omnium consensum. Aliter ali-

Ne quid magis simus omnibus obnoxiæ opibus,
Nostrum officium meminisse decet.
PAN. Placet; taceo. PIN. At memineris facito.
PAN. Nolo ego, soror, me credi esse immemorem viri;
Neque ille eos honores, mihi quos habuit, perdidit:
Nam mihi, pol, grata adceptaque hujus est benignitas:
Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet;
Neque est cur nunc studeam has nubtias mutarier.
Verum postremo in patris potestate est situm:
Faciundum id nobis quod parenteis imperant.
PIN. Scio, atque in cogitando mœrore augeor;
Nam propemodum jam osteudit suam sententiam.
PAN. Igitur quæramus, nobis quid facto usus sit.

SCENA SECUNDA.

ANTIPHO, PANEGYRIS, PINACIUM.

ANT. Qui manet ut moneatur semper servos homo officium suum,

quem facere quam æquum est, haud minus latine dicitur quam *magni, plurimi, parvi aliquem facere.* Boxh. — Nihil hæc ad propositum. Sed genus est loquendi, quale Trucul. I, 2, 79: « Linguis dicta dulcia datis, corde amare facitis Amantes, si qui non danunt ». Gron.

44. *Obnoxiæ*, id est, affines sive compotes noxæ. Sallust. « Nobilitas obnoxia atque eo perculsa ». Douza. — *Omnibus opibus*, omnino, ut *magno opere*, multum.

48. *Perdidit.* Neque ille honorem mihi frustra habuerit.

50. *Hæc conditio.* Conditio nuptiarum. Inde recepta formula: « conditione tua non utor ». Vid. l. 1 de Divort. et Repud. Boxh. — *Conditio pœnitet.* Nota *pœnitere* fuisse antiquis multipersonale. Ut *decere* Casin. II, 3, 22; *oportere*, Terent. Heaut. III, 2, 25.

52. *In patris potestate.* Vide Hotoman. de Ritu Nupt. cap. 24: « An coemtione filia e patris potestate sit emancipata ».

54. *Mœrore augear*, i. e. valde afficior, ut dicitur « mactari infortunio ».

56. *Usus*, opus. Epid. IV, 1, 9.

1. *Qui manet*, etc. Servus qui exspectat semper donec moneatur officium, nec sponte facit, improbus est.

Nec voluntate id facere meminit, servos is habitu haud probus est.
Vos meministis quotcalendis petere demensum cibum;
Quî minus meministis, quod opus sit facto, facere in ædibus?
Jam quidem in suo quidque loco nisi erit mihi situm subpellectilis,
Quom ego revortar, vos monumentis commonefaciam bubulis.
Non homines habitare mecum mihi heic videntur, sed sues.
Facite, soltis, nitidæ ut ædeis meæ sint, quom redeam domum.
Jam ego domi adero: ad meam majorem filiam inviso domum.
Si quis me quæret, inde vocatote aliqui; aut jam egomet heic ero.
PIN. Quid agimus, soror; si obfirmabit pater advorsum nos? PAN. Pati

3. *Quotcalendis.* Dictum ut *quotannis*, *quotmensibus*, *quotdiebus*, pro singulis annis, mensibus, etc. Ulpianus: « Nihil interesse, inquit, utrum in annos singulos, vel quotannis: at in singulos menses, vel quotmensibus; an in singulos dies, an quotdiebus legetur ». POPMA. — *Demensum.* Donatus: « Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem: et id Demensum dicebatur: utrum a Mense, an a metiendo, incertum est ». Ego a *dimetiendo* dictum non dubitem: quoniam certa mensura daretur. Juven. « Servorum ventres modio castigat iniquo Ipse quoque esuriens ». Potest fieri, imo solet, ut honestiores plusculum acciperent. Atque alia erant *rustica* cibaria, alia *urbana*. Et quia petebatur dabaturque singulis calendis, scriptores inferioris ævi *demensum* pro stipendio, salario, honorario quolibet, vitæ ratione etiam usurparunt. COLVIUS. — Vid. Terent. Phorm. I, 1, 9.

6. *Vos monumentis.* Vid. Mostell. IV, 1. Urbane lora e corio bubulo vocat *monumenta bubula*: nam a monendo dicuntur *monumenta*.

7. *Sed sues.* Asin. II, 4, 24.

8. *Soltis.* Asin. Prol. 1.

11. *Quid agimus.* Mostell. II, 1, 21; Pseud. IV, 7, 61. — *Obfirmabit.* Glossæ: « Obfirmatum, firmum, decretum, obstinatum ». BOXH.

Nos oportet quod ille faciat, cujus potestas plus potest.
ANT. Si manere heic sese malint potius, quam alio nubere,
Non faciant: quid mihi opu'st decurso ætatis spatio cum eis
Gerere bellum? quom nihil, quamobrem faciam, meruisse arbitrer?
Minume! nolo turbas: sed hoc mihi optumum factu arbitror,
Principium ego quo pacto cum illis obcipiam, id ratiocinor:
Utrum ego perplexim lacessam oratione ad hunc modum,
Quasi nunquam quidquam in eas simulem, quasi nihil inaudiverim,
Eas in se meruisse culpam: an potius tentem leniter;
An minaciter. Scio liteis fore; ego meas gnovi optume.
PIN. Exorando, haud advorsando sumendam operam censeo.
Gratiam a patre si petimus, spero ab eo inpetrassere:
Advorsari sine dedecore et scelere summo haud possumus.
Neque ego sum factura; neque tu ut facias, consilium dabo:
Verum ut exoremus: gnovi ego nostros; exorabili'st.
ANT. Sic faciam; adsimulabo quasi aliquam culpam in sese admiserint.
Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora;

14. *Decurso ætatis spatio.* Eleganter. *Spatiari* proprie est in stadio currere: nam τὸ στάδιον Æoles vocabant σπάδιον: unde Latini, qui multum Æoles imitantur, fecerunt *spatium* suum. Inde in Eleg. De obitu Mæcenat. *respatians equus* dicitur qui finivit curriculum et spatium suum. SCAL.

15. *Meruisse arbitrer* eas.

16. *Hoc mihi optumum factu arbitror,* scilicet ut ratiociner, præmediter, quo pacto incipiam. Cf. Pers. III, 1, 8.

19. *In eas simulem.* Tmesis pro *eas insimulem.* Donatus ad illud Terent. Phorm. II, 3: « Si herum insimulabis avaritiæ, male audies », notat: « Insimulatio est et falsi et veri criminis incusatio ». LAMB.

27. *Adsimulabo quasi aliquam culpam.* Nihil tamen horum fecit postea. TAUBM.

Post, id agam igitur deinde; ut animus meus erit, faciam palam.
Multa, scio, facienda verba. Ibo intro: sed aperta est foris.
PIN. Certo enim mihi paternæ vocis sonitus aureis adcidit.
PAN. Is est, ecastor: ferre advorsum hominem obcupemus osculum.
PIN. Salve, mi pater. ANT. Et vos ambæ: inlico agite, abscedite.
PIN. Osculum... ANT. Sat est osculi mihi vostri. PIN. Quî, amabo, pater?
ANT. Quia ita meæ animæ salsura evenit. PIN. Adside heic, pater.
ANT. Non sedeo isteic: vos sedete, ego sedero in subsellio.
PIN. Mane pulvinum. ANT. Bene procuras mihi; satis sic fultum'st mihi.
PIN. Sine, pater. ANT. Quid opus est? PIN. Opus est. ANT. Morem tibi geram; atque hoc satis est.
PIN. Nunquam enim nimis curare possunt suum parentem filiæ.
Quem æquius est nos potiorem habere, quam te? postidea, pater,
Viros nostros, quibus tu voluisti esse nos matresfamilias?

29. *Post, id agam igitur deinde*, etc. Post id agam igitur, deinde, ut animus meus erit, faciam palam. Id est, ultimo, et postea omnia faciam palam, quid mihi animi sit. SALM. — *Igitur*. Bacch. IV, 3, 19.

32. *Obcupemus*, ultro præveniamus.

35. *Salsura*. Translatio ad animum a palato, quod nimio sale offenditur. DOUZA. — Scurrili joco senex intelligit fœtere sibi osculum, quasi salsuram, quæ amara est. N.

37. *Mane pulvinum*. Exspecta pulvinum qui supponatur. — *Bene procuras*, gratias agit, neque ultra satagere illam vult, ut fulcimentum fulcimento addat. Tamen illa pergit, sinitque pater, sed iterum finem imponi jubet. Paretur. — *Bene pr.* Sic comiter recusabant. N.

41. *Matresfamilias*. Quid *matrona*, quid *materfamilias*, docet Gellius, XVIII, 6.

ANT. Bonas ut æquom'st facere, facitis, quom tamen absenteis viros
Perinde habetis, quasi præsenteis sint. PIN. Pudicitia est, pater,
Eos magnificare, qui nos socias sumserunt sibi.
ANT. Numquis hic est alienus nostris dictis auceps auribus?
PAN. Nullus, præter nosque teque. ANT. Vostrum animum adhiberi volo.
Nam ego ad vos nunc inperitus rerum, et morum mulierum,
Discipulus venio ad magistras: quibus matronas moribus,
Quæ optumæ sunt, esse oportet; sed utraque ut dicat mihi.
PAN. Quid istuc est, quod huc exquæsitum mulierum mores venis?
ANT. Pol, ego uxorem quæro, postquam vostra mater mortua'st.
PAN. Facile invenies et pejorem et pejus moratam, pater,
Quam illa fuit; meliorem neque tu reperies, neque sol videt.
ANT. At ego ex te exquæro, atque ex istac tua sorore. PIN. Edepol, pater,
Scio, ut oportet esse, si sint ita, ut ego æquom censeo.
ANT. Volo scire ergo, ut æquom censes. PIN. Ut per urbem quom ambulent,
Omnibus os obturent, ne quis merito maledicat sibi.
ANT. Dic vicissim nunc jam tu. PIN. Quid vis tibi dicam, pater?
ANT. Ubi facillume spectatur mulier, quæ ingenio est bono?

42. *Tamen*, quamvis.

44. *Magnificare*, pro magni facere. Pseudol. IV, 1, et Cistell. I, 1: « Quia me colitis et magnifacitis ».

45. *Auceps auribus*, qui auribus aucupetur. Mil. IV, 1, 9.

48. *Magistras: quibus*, etc. ut doceatis quibus, etc.

57. *Omnibus os*. Talis sit omnium de iis existimatio, ut nemo eis maledicere merito possit vel audeat. LAMB.

59. *Ubi*, qua in re exploratur?

PAN. Quoi malefaciundi est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.
ANT. Haud male istuc. Age tu altera; utra sit conditio pensior,
Virginemne an viduam habere? PLIN. Quanta mea sapientia est,
E malis multis malum quod minumum'st, id minumum'st malum.
Qui potest mulieres vitare, vitet; ut quotidie
Pridie caveat, ne faciat quod pigeat postridie.
ANT. Quæ tibi mulier videtur multo sapientissuma?
PAN. Quæ tamen, quom res secundæ sunt, se poterit gnoscere:

61. *Pensior.* Bacch. III, 2, 10.

63. *E malis multis*, etc. Epicharmum, tradit Aristoteles, interdum sententias quasdam ita conformasse, ut e contrariis constare viderentur, quum tamen in eis bis idem diceretur. Risum autem commovet illa stultitiæ imitatio καὶ τὸ παρὰ προσδοκίαν; quum auditor, qui aliquid aliud exspectabat, sua se spe delusum videt. Quo in genere Plautus frequenter ludit: et interdum sine illa simulata contentione contrariorum ridiculi causa ejusmodi enuntiationes ponit: in quibus, ut dialecticorum more loquar, idem sit τὸ κατηγορουμένον τῷ ὑποκειμένῳ· idque nonnunquam paullu aliis, nonnunquam etiam plane iisdem verbis. Sic in Curcul. (act. IV, 4) leno: « Quoi homini dii sunt propitii »: exspectes, dum dicat, Ei omnia succedunt sub manum; aut aliquid ejusmodi: at ille: « ei, inquit, non esse iratos puto ». Quod tale est ac si quis diceret: « Vinum quod album est, nigrum non esse arbitror ». Itaque ridicule quidam illic acutus esse voluit, et argumentari eum a contrariis dixit. Simile illud quod est hoc loco: « E malis multis malum quod minimum est, id minimum est malum ». Talia erant illa, quæ ridentur a Stoicis, « Si dies est, dies est. Est autem dies: est igitur dies ». Cui enim dubium esse potest, quin quod malum minimum est, id sit minimum malum? Sed sunt quidam μωρόσοφοι, qui hæc perinde accipiunt, ac si serio a Plauto dicerentur. Simile est illud e principio Capt. « Hos, quos videtis stare heic capteivos duos, Illi qui stant, hi stant ambo, non sedent ». Hoc enim dicit, eos captivos, qui illic stant in conspectu omnium, eos igitur stare, non sedere. Deinde quasi res dubia sit, aut testibus egeat, itidem risus causa: « Vos, vos, inquit, mihi testes estis, me verum loqui ». Mus.

65. *Quod pigeat.* Vide quæ ad Aulul. II, 1, 5, 16 annotavimus.

67. *Quæ tamen*, etc. Mulieres ingenio sapientes haud semel in-

Et illa quæ æquo animo patietur sibi esse pejus, quam fuit.
ANT. Edepol, vos lepide tentavi, vestrumque ingenium ingeni.
Sed hoc est, quod ad vos venio, quodque esse ambas conventas volo.
Mihi auctores ita sunt amici, ut vos hinc abducam domum.
PAN. At enim nos, quarum res agitur, aliter auctores sumus.
Nam aut olim, nisi tibi placebant, non datas oportuit,
Aut nunc non æquom 'st abduci, pater, illisce absentibus.
ANT. Vosne ego patiar cum mendicis nubtas, me vivo, viris?
PIN. Placet ille meus mihi mendicus; suus rex reginæ placet.
Idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit.
ANT. Vosne latrones et mendicos homines magnipenditis?
PAN. Non me tu argento dedisti, opinor, nubtum, sed viro.
ANT. Quid? illos exspectatis, qui abhinc jam abierunt triennium?
Quin vos capitis conditionem ex pessuma primariam?
PAN. Stultitia est, pater, venatum ducere invitas canes.
Hostis est uxor, invita quæ ad virum nubtum datur.
ANT. Certumne est neutram vostrarum persequi inperium patris?
PIN. Persequimur; nam quo dedisti nubtum, abire nolumus.
ANT. Bene valete; ibo, atque amicis vostra consilia eloquar.
PAN. Probiores, credo, arbitrabunt, si probis narraveris.

ducit, et sic edisserentes, ut professoriæ gravitatis magis quam muliebris decoris specimen cernatur. Vide Pers. IV, 4. N.

69. *Ingenium ingeni.* Vid. Pœn. V, 4, 12. ERN. — Ingenium ingenii hic dicitur, ut alias indoles ingenii, Mil. III, 3, 47. Ingenium est vel hominis, vel rei natura. Sic Tac. Annal. XVI, 20, « noctium ingenia ». Gell. Noct. Att. XII, 1, « lactis ingenia et proprietates ». N.

78. *Latrones*, id est, milites. Cf. Mil. I, 1, 76.

81. *Conditionem.* Vide Aulular. III, 5, 2.

87. *Probiores arbitrabunt*, nos comprobabunt.

ANT. Curate igitur familiarem rem, ut potestis, optume.
PAN. Nunc placet, quom recte monstras: nunc tibi auscultabimus.
Nunc, soror, abeamus intro. PIN. Imo intervisam prius domum.
Si a viro tibi forte veniet nuncius, facito ut sciam.
PAN. Neque ego te celabo, neque tu me celassis quod scies.
Eho, Crocotium, i, parasitum Gelasimum huc arcessito;
Tecum adduce: nam illum, ecastor, mittere ad portum volo,
Si quæ forte ex Asia navis heri aut hodie venerit.
Nam dies totos apud portum servos unus adsidet:
Sed tamen volo intervisi: propera, ac actutum redi.

SCENA TERTIA.

GELASIMUS, CROCOTIUM.

GEL. Famem fuisse subspicor matrem mihi:
Nam postquam gnatus sum, satur nunquam fui.
Quam ego matri meæ retuli invitissumus,
Eam mihi nunquam retulit mater gratiam.

88. *Curate*, etc. Amph. I, 3, 1.

89. *Nunc placet.* Lego: *nunc places.* Et nescio an unquam aliter. Cui respondet, et tanquam adversatur, *Non places.* Trucul. « Non places: in mutuum confers culpam ». J. Gul.

90. *Imo.* Pers. IV, 1, 61.

1. *Famem fuisse*, etc. Ridicula hujusmodi cantica parasitorum passim apud Plautum reperias, Capt. I, 1; Menæchm. I, 1; Pers. I, 2, et semel apud Terent. Eunuch. II, 3. Rotrovius hos versus Menæchmis gallice vertit. N.

4. *Eam mihi nunquam.* Hæc conjectura est Acidalii. MSS, « Quam ego matri meæ refero invitissimus, Neque retulit quam ego refero meæ matri Fami ». Unde τὸ *Fami* tollendum non fuisse ostendit Sosipater Charisius, qui annotavit Plautum in Sticho dixisse *fami*. Pareus igitur id trajicit in priorem versum, sublato τῷ *refero*. Deinde nescio quam bene, qui beneficium dat, a quo incipit benignitatis commercium, is dicatur retulisse gratiam. Suspicor autem ita scriptum fuisse: « Gratiam ego matri meæ

Nam illa me in alvo menseis gestavit decem,
At ego illam in alvo gesto plus annos decem.
Atque illa puerum me gestavit parvolum,
Quo minus laboris illam cepisse existumo:
At ego non pauxillulam in utero gesto famem,
Verum, hercle, multo maxumam et gravissumam.
Uteri dolores mihi oboriuntur cotidie;
Sed matrem parere nequeo; nescio quomodo.
Audivi sæpe hoc volgo dicier,
Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Esse annos: ejus ex semine hæc certo est Fames.
Nam jam complures annos utero hæret meo.
Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quærito.
Gelasimo nomen mi indidit parvo pater,
Quia inde jam a pauxillo puero ridiculus fui.
Propter paupertatem adeo hoc nomen reperi;
Eo, quia paupertas fecit, ridiculus forem:
Nam illa omneis arteis perdocet, ubi quem adtigit.
Per annonam caram dixit me gnatum pater;
Propterea, credo, nunc esurio acrius.

refero invitissimus. Nemo retulit, quod ego, meæ matri Fami ». Sic versus constant, sic sensus. Ex *gram* facile potuit fieri *quam*. Neque mirum τὸ *refero*, quod adscriptum erat tanquam intelligendum, in contextum migrasse. Gron.

14. *Elephantum*. Plin. VIII, 10: « Decem annis gestare in utero vulgus existimat; Aristoteles biennio; nec amplius, quam semel gignere; vivere ducenis annis, et quosdam trecenis. Juventa eorum a sexagesimo incipit ».

17. *Nunc si ridiculum*. Id est, parasitum, qui vel agendo, vel patiendo ridiculum se aliis præbet. Captiv. III, 1, 10.

18. *Cum ornamentis*. Cicero pro Sestio: « Vivus, ut aiunt, et videns cum victu suo ac vestitu publicatus ». Sic ista duo conjungebant, quum personam cum rebus omnibus se vendere significabant. Vendebant et servos cum *ornamentis*, id est, cum vestitu, nonnunquam et si quid penoris sibi instruxerant. Turn.

24. *Omneis arteis perdocet*. Hinc Juvenalis: « Græculus esuriens, etc. » Cf. III, 78 sqq.

Sed generi nostro hæc reddita est benignitas;
Nulli negare soleo, si quis esum me vocat.
Oratio una interiit hominum pessume,
Atque optuma, hercle, meo animo, et scitissuma,
Qua ante utebantur, « Veni illo ad cœnam!... Sic face!...
« Promitte vero!... Ne gravare!... Est commodum?
« Volo, inquam, fieri!... Non amittam, quin eas!... »
Nunc repererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem, hercle, verbum ac vilissumum,
« Vocem te ad cœnam, nisi egomet cœnem foris. »
Ei, hercle, ego verbo lumbos defractos velim,
Ni vere perierit, si cœnassit domi.

27. *Reddita*, in vicem data. Quod me famelicum dii creaverunt, id infortunium hac dote pensare voluerunt, ut benigne vocationes audirem.

28. *Si quis esum me voc.* Sic Men. III, 1 : « Qui esum neque vocantur, neque vocant ». *Vocare* solenne Romæ verbum in invitationibus conviviorum fuisse, docuit luculentissime J. Gul. Verisim. lib. I, 18. Pl. Quæst. in Amph. cap. 8, testimoniis Ciceronis, Justinian. J. C. et aliorum. Gron.

29-36. *Oratio mea*, etc. Conf. Capt. III, 1, 9-27.

31. *Veni.* Μίμησις orationis eorum, a quibus olim vocabantur. Lamb.

37. *Lumbos defractos.* Sic fere Ergasilus, « diei infelici oculos ecfodiat lubens », Capt. III, 1, 4.

38. *Ni vere.* Velim huic verbo, « Vocem te ad cœnam, nisi egomet cœnem foris », lumbos defractos esse; nisi ille, qui id usurpat, continuo pereat, si me eo delusit, et domi nihilominus cœnet. Ita Pistoris interpretatur, sed male. *Perierit* ad *verbum : Vocem te ad cœnam*, etc. referendum est, non ad illum qui eo utitur. Lumbis defractis esse, et plane periisse differunt. Hoc ergo vult : Huic verbo, *Vocem te ad cœnam*, etc. lumbos esse defractos velim; nisi id plane perierit, eo, qui id usurpavit, non foris, sed domi cœnante. Plerique enim obvii parasitis foris sese cœnaturos mentiebantur, ne domi cum edacibus et famelicis parasitis cœnare cogerentur. Itaque verbo « cœno foris » lumbos defractos imprecatur, nisi excusator mendacio fuerit, ut verbum perierit, quippe ipse domi cœnans. Boxh. — Non expedita omnino videtur Boxhornii interpretatio, Pistoris vero planior. Sic intelligo : Verbo illi quod prohibet me a cœna, lumbos fractos velim, seu ille domi, seu foris cœnaverit; imo velim illud perire, si me falsum habuerit homo. Aliter vertit *Laporte Dutheil* in commentario de parasitis : « Je vous engagerois, si je n'allois en ville. Phrase par tout pays, à tel point incivile, Qu'en l'osant pro-

Hæc verba subigunt me, mores ut barbaros
Discam, atque ut faciam præconis conpendium;
Itaque auctionem prædicem, ipse ut veneam.
CROC. Hic ille est parasitus quem arcessitum missa sum.
Quæ loquitur, auscultabo, priusquam conloquar.
GEL. Sed curiosi sunt heic quam plures mali,
Alienas res qui curant studio maxumo,
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua:
Ei quando quem auctionem facturum sciunt,
Adeunt, perquirunt quid siet causæ inlico:
Alienum æs cogat, an pararit prandium,
Uxorin' sit reddenda dos divortio?
Eos omneis (tametsi, hercle, haud indignos judico,
Qui, ut multum miseri sint, laborent), nihil moror:
Dicam auctionis causam, ut animo gaudeant,
(Nam curiosus nemo est, quin sit malevolus),
Ipse egomet quamobrem auctionem prædicem:
Damna evenerunt maxuma misero mihi,
Ita me maucupia miserum adfecerunt male,
Potationes plurimæ demortuæ:
Quot adeo cœnæ, quas deflevi, mortuæ!
Quot potiones mulsi! quot autem prandia!

noncer, un avare à l'instant Mériteroit crever; si, pour plus grand tourment, Il ne devoit le soir, après mainte visite, Où personne jamais à rester ne l'invite, Retourner, malgré lui, dîner à ses dépens ». N.

39. *Mores barbaros.* Cf. Casin. III, 6, 19.

41. *Itaque auctionem prædicem.* Tanquam præco res venales proclamem. Vid. Epid. II, 2.

49. *Alienum æs cogat.* Utrum ære alieno coactus auctionem faciat. ERN. — Fortasse rectius ordinem instruxeris: Utrum ille cogat (colligat auctione pecuniam unde solvat) æs alienum. — *Pararit prandium*, non quidem unum; auctor helluandi consuetudinem significat. N.

52. *Miseri.* Nam curiosus ultro miseriam, suo labore, sibi attrahit.

54. *Nam curiosus.* Et proprie *curiosus* est πολυπράγμων. Ita Plut. πᾶς πολυπράγμων κακοήθης. CAS. — Vid. Trin. I, 2, 162-174.

57. *Ita me mancupia*, etc. Habebam multa mancipia, quæ mihi serviebant, non numis, sed logis

Quæ inter continuum perdidi triennium.
Præ mœrore adeo miser atque ægritudine
Consenui; pæne sum fame emortuus.
CROC. Ridiculus æque nullus est, quando esurit.
GEL. Nunc auctionem facere decretum 'st mihi :
Foras necessum 'st quidquid habeo vendere.
Adeste, soltis, præda erit præsentium.
Logos ridiculos vendo, agite, licemini.
Qui cœna poscit? ecqui poscit prandio?
Hercules te amabit. Prandio? cœna tibi?
Ehem adnuistin'? nemo meliores dabit:

emta; scilicet potationes, cœnas, etc. Ea mancupia mortua sunt mihi, et me damno maximo affecerunt. N.

63. *Consenui.* Hinc *senium* ponunt ἀντὶ κακότητος ἢ καχεξίας, sine squallore et illuvie. Manil. « Æternisque senes curis ». CAS.

67. *Præda erit præsentium.* Quasi dicat : Non est, quod emtor quispiam, bellissima hac occasione semel dilapsa, unquam porro speculam sibi faciat, ex hac parasitica auctione vel ramenta plumea se propensiorem discessurum : nihil enim quæstus erit animo aut corpore absentibus aliudve jam agentibus. Oppido quam ridicule, imo vere parasiticum in morem. DOUZA.

68. *Licemini.* Men. V, 9, 97.

69. *Qui cœna poscit*, quis vult me data cœna emere? LAMB.

70. *Hercules.* Lego : « Hercules, te ama : tibi prandio? cœna tibi? » Ridicule Herculem invocat, ut in auctione sibi præsto sit : et ita precatur, quasi non tam sibi ab illo, quam ipsi a semetipso velit beneficium præstari : ideoque ait non *me*, sed *te ama*. Cur hoc? quia decimam ex auctione voverat Herculi. ACID. — Non videtur stare posse lectio scriptorum codicum, « prandia, cœnas tibi ». Lex enim metrica repugnat. Deinde verba illa, *nemo meliores dabit*, plane constat referenda esse ad ea quæ præcedunt : « Logos ridiculos vendo, agite, licemini ». SALM.—*Hercules te amabit : prandio? cœna tibi?* Ita distinguendum censeo. Alloquitur quasi aliquem de corona circumstantium in auctione. Si redimas meos logos, amabit te Hercules. Quare? quia hujus tutelæ se ducebant parasiti : quod et ipse fingatur *escæ maximæ* (vide Euripidis Alcestim), et quia polluctis Herculi nunquam deerant parasiti. Inde in Curcul. « Invoco almam meam nutricem Herculem ». Nec mirandum Herculem dici nutricem : nam sic et agrum dicit *nutricem* Trinum. II, 4, 111. Similiter sequentia quum dicit, ab alio ad alium oculos circumfert, et significat : Tune prandio poscis tibi tanquam pretio, quos vendo, logos? tune cœna? Sic et, « Ehem annuisti? » quasi aliquis licere visus fuisset. Et huc pertinet Suetonii in Calig. cap. 28 : « Aponio Saturnino inter subsellia dormitante,

Nullis meliores esse parasitos sinam.
Vel unctiones Græcas, sudatorias,
Vel alias malacas crapularias,
Cavillationes, adsentatiunculas,
Ac perjuratiunculas parasiticas,
Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam,
Parasitum inanem, quo recondas reliquias.
Hæc venisse jam opus est, quantum potest;
Uti decumam partem Herculi polluceam.
CROC. Ecastor, auctionem haud magni preti!
Adhæsit homini ad infimum ventrem fames.
Adibo hominem. GEL. Quis hæc est, quæ advorsum it mihi?
Epignomi ancilla hæc quidem est Crocotium.
CROC. Gelasime, salve. GEL. Non est id nomen mihi.
CROC. Certo, mecastor, id fuit nomen tibi.

monitum a Caio præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem sibi præteriret ». GRON.

72. *Parasitos.* Malim quod jam vidit Nulielmus, *parasitis.*

73. *Vel unctiones*, etc. Hunc casum et omnia quæ exinde ad v. 78 sequuntur, referas ad verba : « vendo, nemo meliores dabit ». — *Græcas.* Quæ elegantiores erant, propter unguentorum copiam. L. — *Sudatorias.* Solebant enim et Græci et Romani, priusquam accubitum irent, in balneis sudare et inungi. LAMB.

74. *Malacas*, molles, delicatas eisque adhibendas, qui Veneri familiariores, quam Baccho. Cf. Mil. III, 1, 73; Bacch. I, 38. — *Crapularias*, unctiones, quæ adhibendæ sunt iis, qui hesternam crapulam nondum exhalarunt.

77. *Strigilem.* Strigilibus defricabantur veteres, posteaquam uncti fuerant, et divites quidem a parasitis. SCAL. — Vid. et Pers. I, 3, 44. — *Ampullam rubidam.* « Scorteæ ampullæ vetustate rugosæ et coloris ejusdem, rubidæ dici solent ». FEST.—Cf. Pers. I, 3, 44.

78. *Parasitum inanem.* Jocose de se, ut inani vase loquitur. LAMB. — *Quo recondas reliquias.* Alvum enim parasiticam, quasi barathrum, quo non recondas, sed profundas cœnarum reliquias. Vide Curcul. II, 3, 42,

79. *Quantum potest.* Asin. III, 3, 17. Infra vs. 95.

80. *Uti decumam*, etc. Decimam partem bonorum Herculi consecrabant veteres, causam reddit Plutarch. Quæst. Rom. *Pollucere* autem sacrificale verbum est, et reddentium libamenta diis. « Pollucibiliter cœnare », id est, Saliariter, opipare et splendide : et *pol-*

GEL. Fuit disertim; verum id usu perdidi;
Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.
CROC. Heu, ecastor, risi te hodie multum. GEL. Quando, aut quo in loco?
CROC. Heic quom auctionem prædicabas. GEL. Pessuma,
Ehon' audivisti? CROC. Te quidem dignissumam.
GEL. Quo nunc is? CROC. Ad te. GEL. Quid venis? CROC. Panegyris
Rogare jussit te opere maxumo,
Mecum simitu ut ires ad sese domum.
GEL. Ego illo, mehercle, vero eo, quantum potest.
Jamne exta cocta sunt? quot agnis fecerat?
CROC. Illa quidem nullum sacruficavit. GEL. Quomodo?
Quid igitur me volt? CROC. Tritici modios decem
Rogare, opinor, te volt. GEL. Mene, ut ab se petam?
CROC. Imo, hercle, ut abs te mutuum nobis dares.
GEL. Negato esse quod dem, nec mu, nec mutuum,
Neque aliud quidquam, nisi hoc quod habeo pallium,
Linguam quoque etiam venditariam.
CROC. Hau, nulla tibi lingua est, quæ quidem dicat, Dabo?
GEL. Veterem reliqui: eccam illam, quæ dicat, Cedo.

luctum hujusmodi cœna. Vide etiam Rud. V, 3, 63, et Most. I, 1, 23.

87. *Disertim*, id est, plane.

88. *Miccotrogus*. A μικκὸς, i. e. μικρὸς, et τρωγεῖν, id est, rodere, quasi *paucirodus*. Convenit autem hoc verbum parasitis, qui, ut mures, aliena rodunt. TAUBM. — Sic *Artotrogus* Militis gloriosi.

96. *Exta cocta*. Cf. Amph. III, 3, 13; Mil. III, 1, 118. — *Quot agnis fecerat*, id est, sacrificarat. Virg. Ecl. «quum faciam vitula».

101. *Nec mu, nec mutuum*. *Mu* minimum quid notare, inquit Varro VI de Ling. Lat. respexitque interim ad *mutui* primam syllabam; quasi ne illa quidem ipsi, ne dum totum *mutuum*. GRUT.

103. *Venditariam*. Lingua venditaria, ea est, non quæ vendit, sed quæ vendere cupit. Nam *vendito* non est frequenter vendo, sed vendere *cupio*. Cic. Arusp. Resp. «Atque ei sese, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus, venditaret», id est, se ei vendere vellet. Talia multa sunt, quæ frequentativæ formæ censentur, quum sint desiderativa. Sic *prenso*, non est prendo frequenter, sed prendere cupio. *Capto*, capere desidero: ita *dormito*, *ostento*, ostendere me in aliqua re volo. *Munito*, munire cu-

CROC. Malum tibi di dent! GEL. Hæc eadem dicit tibi.
CROC. Quid nunc? iturus, an non? GEL. Abi sane domum.
Jam illo venturum dicito, propera, atque abi.
Demiror quid illæc me ad se arcessi jusserit,
Quæ nunquam jussit me ad se arcessi ante hunc diem,
Postquam vir abiit ejus. Miror quid siet;
Nisi ut periculum fiat, visam quid velit.
Sed eccum Dinacium ejus puerum : hoc vide.
Satin' ut facete, atque ex pictura adstitit?
Næ iste, edepol, vinum poculo pauxillulo
Sæpe exauclavit submerum scitissume.

pio, Cic. pro Roscio Amerino. TURN.

106. *Hæc* lingua *dicit tibi eadem*, scil. *malum tibi dent*.

112. *Nisi ut periculum fiat*, sed ut experiar quid sit.

114. *Ex pictura*, id est, graphice, euscheme, ut alibi loquitur. Epid. III, 3, 29.

116. *Submerum*. Aliquantum merum, non admodum aqua dilutum. LAMB.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

DINACIUM, GELASIMUS.

DIN. Mercurius, Jovis qui nuntius perhibetur, nunquam æque patri
Suo nuntium lepidum adtulit, quam ego nunc meæ heræ nuntiabo.
Itaque onustum pectus porto lætitia lubentiaque;
Neque lubet, nisi gloriose, quidquam proloqui: profecto
Amœnitates omnium venerum atque venustatum adfero;
Ripisque superat mihi atque abundat pectus lætitia meum.
Propterea, Dinacium, pedes hortare; honesta dicta factis;
Nunc tibi potestas adipiscendi est gloriam, laudem, decus;
Heræque egenti subveni; benefacta majorum tuorum exauge.
Quæ misera exspectatione est Epignomi adventus viri:
Proinde, ut decet, amat virum suum cupide. Nunc expedi, Dinacium:
Age ut placet, curre ut lubet, cave quemquam flocci-feceris.
Cubitis depulsa de via, tranquillam concinna viam.

3. *Lubentia.* Vid. Pers. V, 1, 8.

7. *Honesta. Honestare dicta factis* valet *verba ad rem conferre.* Inhonesta enim oratio est, cui fidem re non facias. Palm. — Sensus videtur: orationem tuam res magnificet et extollat.

13. *Cubitis depulsa. Perurgere* est perrumpere turbam, ὠθίζεσθαι: pro quo Horat. Sat. II, 6, dixit: « facienda injuria tardis ». In Ep. Epicuri non absimile, τριχυλιστός εἰμι ἀποθεῖσθαι. Plautus melius: « cubitis depulsa de via »; intellige « quemque obvium ». Scalig. — Cf. Curcul. II, 3, 1-8.

Si rex obstabit obviam, regem ipsum prius pervortito.
GEL. Quidnam dicam, Dinacium
Lascivibundum tam lubenter currere?
Harundinem fert, sportulamque et hamulum piscarium.
DIN. Sed tandem, opinor, æquiu'st heram mi esse supplicem,
Atque oratores mittere ad me, donaque ex auro, et quadrigas
Quî vehar: nam pedibus ire non queo: ergo jam revortar.
Ad me iri et subplicari egomet mihi censeo æquom.
An vero nugas censeas, nihil esse quod ego nunc scio?
Tantum a portu adporto bonum, tam gaudium adfero grande,
Vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare a dis audeat.
Nunc ultro hoc deportem? haud placet; neque id vero officium arbitror.
Heic hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuntio,
Advorsum ut veniat, obsecret, se ut nuntio hoc inpertiam.
Secundas fortunas decent superbiæ.
Sed tandem quom recogito, quî potuit scire hæc scire me?
Non enim possum, quin revortar, quin loquar, quin edissertem,
Heramque ex mœrore eximam, benefacta majorum meum
Exaugeam, atque illam augeam ex insperato obportuno modo.
Contundam facta Talthybii, contemnamque omneis nuntios;

14. *Rex*. Cf. Rud. IV, 2, 26.

16. *Lascivibundum*. Forte *lixabundum*. Festus: « Lixabundus, iter libere et prolixe faciens ». SCRIV.

20. *Quí vehar*. Aulul. III, 5, 28. *Revortar*, unde veni, ad portum.

21. *Ad me iri* obviam.

22. *An vero*, etc. An censeas me nugas nunc effutire, nullius pretii esse quod nunc scio? *Censeas*. Generaliter dictum; Gelasimum non videt.

32. *Obportuno modo*. Gulielmus, comprobante editore Bipontino, mutat : « a portu bono », i. e. augeam bono quod affero a portu; non ita opportune, ut videtur.

33. *Talthybii*. Talthybius et Eurybates, nuntii et præcones in

Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiæ.
Sed spatium hoc obcidit; breve'st curriculo; quam me pœnitet!
Quid hoc? obclusam januam video, ibo et pultabo foreis.
Aperite atque adproperate, foreis facite ut pateant, removete moram.
Nimis hæc res sine cura geritur : vide, quamdudum heic adsto et pulto!
Somnon' operam datis? experiar, foreis, an cubiti, an pedes plus valeant.
Nimis vellem hæ foreis herum fugissent, ea causa ut haberent malum.
Defessus sum pultando.
Hoc postremum est vobis.
GEL. Ibo atque hunc conpellabo.
Salvos sis. DIN. Et tu salve.
GEL. Jam tu piscator factus?
DIN. Quampridem non edisti?
GEL. Unde is? quid fers? quid festinas?

exercitu Græcorum. TAUBM. — *Contemnamque*. Propric dictum *contemnam*. Id verbum superbiam indicat ex alto despicientium alios. Terent. Eun. « Hic ego illum contemsi præ me ». Itaque, Ulpiano auctore, a contemnendo *contumelia* : quæ aut fit, quum contemtum alicujus facto ostendis; aut dicitur, quum verbis solis. Asin. « Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur? » J. GUL.

34. *Meditabor. Meditari* pro exercere dictum Vegetio frequentissime, item Ciceroni, aliis. Virgil. Ecl. I, « musam meditaris avena », id est, exerces : vel cantas, μελετᾷς : ut Servius exponit, et latinum inde deducit. STEW.

35. *Sed spatium*. Id est, spatium hoc nimis cito confici potest; nimisque breve est ad cursum Olympicum : vel spatium jam a me confectum et decursum est. LAMB. — Spatium sive curriculum istud citius a me decursum est, quam me cursuræ porro longiuris tædium aut satietas cepit. DOUZA. — *Pœnitet*. Cistell. I, 1, 49.

40. *Nimis vellem*. Precatur foribus, quod putat esse summum flagitium; ab hero fugere : ut postea receptæ pœnas durent, quas solent fugitivi. LAMB.

45. *Piscator factus*. Quia harundinem et sportulam, et hamum ferebat. LAMB.

47. *Unde is?* Bacch. V, 1, 20.

DIN. Tua quod nihil refert, ne
Cures. GEL. Quid isteic inest?
DIN. Quas tu vides colubras?
GEL. Quid tam iracundus? DIN. Si in te
Pudor adsit, non me adpelles.
GEL. Possum scire ex te verum?
DIN. Potes: hodie non cœnabis.

SCENA SECUNDA.

PANEGYRIS, GELASIMUS, DINACIUM.

PAN. Quisnam, obsecro, has frangit foreis? ubi est?
Tun' hæc facis? tun' mihi huc hostis venis?
GEL. Salve, tuo arcessitu venio huc. PAN. Eau' gratia foreis ecfringis?
GEL. Tuos inclama, tui delinquont: ego, quid me velles, visebam:
Nam equidem harum miserebat. DIN. Ergo auxilium propere latum 'st.
PAN. Quisnam heic loquitur tam prope nos? DIN. Dinacium. PAN. Ubi is est?
DIN. Respice me, et relinque egentem parasitum, Panegyris.
PAN. Dinacium! DIN. Istuc indidere nomen majores mihi.
PAN. Quid agis? DIN. Quid agam, rogitas? PAN. Quidni rogitem? DIN. Quid mecum est tibi?

50. *Quas tu vides colubras?* Insanum dicit esse parasitum puer, atque a Furiis et intemperiis agitari; ideoque ex eo quærit, quas colubras videat: quod Furiæ non tædis modo ardentibus, sed colubris quoque ac serpentibus insectari eos, quos agitabant, putabantur. MUR.

52. *Pudor*, modestia, qua caveas ne molestus sis. — *Adpelles*, me ad colloquendum adeas.

5. *Nam.* Cf. Cistell. IV, 2, 10. — *Harum* forium. — *Auxil. latum 'st* ab hera, ut tibi placeret.

PAN. Mein' fastidis, propudiose? eloquere propere, Dinacium.
DIN. Jube me omittere igitur hos qui retinent. PAN. Qui retinent? DIN. Rogas?
Omnia membra lassitudo mihi tenet. PAN. Linguam quidem
Sat scio tibi non tenere. DIN. Ita celeri curriculo fui
Propere a portu, tui honoris causa. PAN. Ecquid adportas boni?
DIN. Nimio inpertior multo tanta plus, quam speras. PAN. Salva sum.
DIN. At ego perii, quoi medullam lassitudo perbibit.
GEL. Quid ego, quoi misero medullam ventris percepit fames?
PAN. Ecquem convenisti? DIN. Multos. PAN. At virum ecquem? DIN. Plurimos;
Verum ex multis nequiorem nullum, quam hic est. GEL. Quomodo?
Jamdudum ego istum patior dicere injuste mihi.
Præter hac si me inritassis.... DIN. Edepol, esuries male.

10. *Mein' fastidis, prop.* Recentiores, *men' rogas.* Antiquæ edd. « Men' fastidis ». MSS, « Mihi iufastidis ». Legendum : « Mein' fastidis ». Ut in Aulul. II, 2 : « Abiit neque me certiorem fecit : fastidit mei ». Scioppius. MSS Acad. « Men' infastidis ». GRON.

14. *Tui honoris causa.* Est formula exprimens, quod vulgo diceremus, tua causa, ut tibi obsequerer, ut tibi indulgerem. Curc. IV, 3, 17; Pœn. III, 3, 26. GRON.* — *Tui honoris causa.* Conf. Amph. I, 2, 24, 30.

15. *Nimio inpertior multo tanta.* Edit. Brix. et traduces, *tanto;* quod præfero, et junctim efferenda omnia : *Nimio multo tanto plus.* In qua forma sunt aliquot gradus augmenti : « Plus, tanto plus, multo tanto plus, nimio multo tanto plus ». Non dissimile Bacchid. IV, 4 : « nimio minus multo parum ». Frequentius tamen hæc junguntur, « nimio tanto plus » : ut in Bacch. I, 2. Frequentissime, *multo tanto*, cum gradu comparativo. Apuleius Apol. « pari quidem stultitia, sed multo tanto vanius et nequius excogitatum ». ACID.

17. *Quid ego.* Amph. IV, 3, 6.

21. *Esuries male.* Minatoriam orationem absolvit deridiculo.

GEN. Animum inducam, ut istuc verum te elocutum esse arbitrer.

DIN. Munditias volo fieri : ecferte huc scopas, simulque arundinem,

Ut operam omnem aranearum perdam et texturam improbem,

Dejiciamque earum omneis telas. GEL. Miseræ algebunt postea.

DIN. Quid? illas itidem esse censes, quasi te cum veste unica?

Cape illas scopas. GEL. Capiam. DIN. Hoc egomet, tu hoc converre. GEL. Fecero.

DIN. Ecquis huc ecfert nasiternam cum aqua? GEL. Sine subfragio

Populi tamen ædilitatem hic quidem gerit. DIN. Age, tu ocius

Pinge humum, consperge ante ædeis. GEL. Faciam. DIN. Factum oportuit.

22. *Animum induc.* etc. Verum agnosco quod dicis, scilicet me esuritorum vehementer.

23. *Munditias volo fieri.* Omnia vult munda fieri et nitida domi, quippe hero adventante.

24. *Texturam improbem.* Sic MSS pr. Cam. ut ædiles in mercibus et opificibus examinandis multa publice improbabant. Verbum enim hic est *improbem* (non nomen, ut acceperat nonnemo fingens *improbis*), cui contrarium *approbo*. Pistoris et Gruterus. Facit huc illud Rud. II, 3 : «quamvis fastidiosus ædilis est : si quæ improbæ sunt merceis, jactat omneis». GRON.— *Operam aranearum perdam. Tergum* Nonius in Araneæ. SCRIV. — Cf. Asin. II, 4, 19.

28. *Nasiternam. Nasiterna*, genus vasis aquarii, ansati et patentis, quale est, quo equi post confecta spatia in Circensibus perfundi ac recreari solent (Pœnol. V, 5); ita dicta, quod tres *nasos*, hoc est, ansas haberet. Ita Vatiniis calicibus assignat *nasos* Mart. et Juvenal. «Siccabis calicem nasorum quattuor». SCAL. — *Sine subfragio.* Usurpatur, ubi quis in alieno negotio imperiosior. Cicero : «Sed quæro quid hac re turpius, quam sine provocatione senator, sine mandatis legatus?» TAUBM. — *Sine subfragio populi ædilitatem hic gerit.* Proverbialis sermo est in eos qui loco alieno et domi non suæ multa imperando, et pro imperio agendo, quod jus non habent, usurpant, et per impudentiam atque audaciam sibi faciunt. GRON.*

32. *Pinge humum.* Scil. floribus. Sic in Appendice Virgilii : «Ver

Ego hinc araneas de foribus dejiciam, et de pariete.
GEL. Edepol, rem negotiosam! PAN. Quid sit, nihil etiam scio;
Nisi forte hospites venturi sunt. DIN. Lectos sternite.
GEL. Principium placet de lectis. DIN. Alii ligna cædite,
Alii pisceis depurgate, quos piscator adtulit,
Pernam et glandium dejicite. GEL. Hic, hercle, homo nimium sapit.
PAN. Non, ecastor, ut ego opinor, satis heræ morem geris.
DIN. Imo res omneis relictas habeo, præ quod tu velis.
PAN. Tum tu igitur, qua causa missus es ad portum, mihi expedi.
DIN. Dicam: postquam me misisti ad portum cum luci simul,
Conmodum radiosus ecce sol superabat ex mari.
Dum percontor portitores, ecquæ navis venerit
Ex Asia, negant venisse, conspicatus sum interim
Cercurum, quo ego me majorem non vidisse censeo:
In portum vento secundo, velo passo pervenit;
Alius alium percontamur: quoja est navis? quid vehit?
Interim Epignomum conspicio, tuum virum, et servom Stichum.

pingit vario gemmantia prata colore ». Et Lucret. lib. II: « ... pinguntque rosarum Floribus, etc. » Id est, variant ac distinguunt. Unde *Ver pictorem mundi* quidam vocavit eleganter. ERN.—Hoc loco nulla, opinor, florum notio subest. Dinacium Gelasimo scopas in manum dedit, nasiternam cum aqua afferri jussit; ergo penicillo et colore instructum pictorem suum in humo, quasi in tabella, officium exsequi jubet. N.

36. *Dejicite.* Captiv. IV, 3, 8; 4, 6. — *Nimium.* Amph. I, 1, 58.

37. *Morem geris.* Most. I, 3, 32.

39. *Tum tu*, etc. Ergo de re mihi narra, cujus causa te misi.

40. *Luci.* Aulul. IV, 10, 18.

41. *Conmodum.* Casin. III, 4, 3. *Tout justement.*

44. *Cercurum.* Merc. I, 1, 86.

45. *Velo passo. Passo*, i. e. laxo et rugoso. NONIUS. — Recte atque ex nautica disciplina Nonius, qui morem hunc habent, ut, quotiescumque portubus insinuanda sunt navigia, *pedem faciant* illico, laxentque velorum sinus, ne, vento secundo impetum navis adjuvante, syrtibus ac pulvinis illisa, vado adhærescat. DOUZA.

PAN. Hem, quid? Epignomum elocutus? GEL. Tuum virum, et vitam meam.
DIN. Venit, inquam. PAN. Tun' eum ipsum vidisti? DIN. Ita ego, lubens.
Argenti aurique advexit multum. PAN. Nimis factum bene.
GEL. Hercle, vero capiam scopas, atque hoc converram lubens.
DIN. Lanam purpuramque multam. GEL. Hem, quî ventrem vestiam.
DIN. Lectos eburatos, auratos. GEL. Adcubabo regie.
DIN. Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia
Advexit nimium bonæ rei. GEL. Hercle, rém gestam bene!
DIN. Post, ut obcœpi narrare, fidicinas, tibicinas,

53. *Eburatos.* Sic Apul. « Ebore nitentes lecti ». Ex eo enim fiebant tam cubiculares, quam tricliniares. Varro : « Quum in eborato lecto ac purpurei operis toro cubare videas ægrutum ». COLV.

54. *Consutaque tapetia.* Al. *selluta.* Lege : *belluta.* SCRIV. — *Consutaque. Consuta tapetia* dixit hoc loco Plautus, quæ Græcis ῥαπτά, κεντητά, ῥαπιδοποικιλτά. Ῥαπιδοποιοὶ Græcis ποικιλταί, *qui acu faciunt*, ut de Phrygibus dicit Plinius. Tertullianus Phrygum in pingendis vestibus artificium, et Babyloniorium in pingendis peristromatis ita separat, ut Phrygibus insuendi artem, Babyloniis intexendi tribuat. Sane Babylonii stragulis vestibus, quas pingebant, diversos colores intexebant : sed ars tamen hæc eorum pingendi acu tota peragebatur; quare non minus *insuere*, quam *intexere* dici possent. Nota illa Martialis : « ... Babylonica picta superbe Texta Semiramia quæ variantur acu ». Verum etsi utrique acu uterentur, constat tamen diversum Phrygionum et eorum qui Babylonica variabant, plumariorum artificium fuisse, et in diversis operibus artem eos exercuisse. SALMAS. — *Consutaque tapetia.* Mirum est in suendis tapetiis istis potuisse occupari magnos etiam viros, Scaligerum et Salmasium. Ecce tibi, qui in vet. edit. reperit *sella et tapetia*, et inde constituit *solla et tapetia.* Liber optimus, *peristromaton silla et tapetia.* Alter eodem modo, nisi quod *sella*, ut et Academicus. Quis hinc non videat faciendum : « peristromata, conchyliata tapetia? » ut Pseudol. I, 2, 14 : « belluata, conchyliata tapetia ». Ubi item castissimæ membranæ alteræ, *consiliat appetia* ; alteræ, *consilia tappetiæ.* Et item frustra est Gruterus cum *consutis* suis. Qui autem *consiliata* fecerunt, tenebantur errore plusculorum doctorum virorum *consilium* nescio quid esse in tingenda purpura : a quo semper facile cavi, et poterant cavere illi, si Salmasium ad Tertulliani Pallium legissent. GRON.

Sambucinas advexit secum forma exiinia. GEL. Eugepæ!
Quando adbibero, adludiabo, tum sum ridiculissumus.
DIN. Postea unguenta multigenerum multa. GEL. Non vendo logos.
Jam non facio auctionem : mihi obtigit hereditas.
Malevoli perquisitores auctionum perierint.
Hercules, decumam esse adauctam, tibi quam vovi, gratulor.
DIN. Post autem advexit secum parasitos. GEL. Hei, perii miser!
DIN. Ridiculosissumos. GEL. Reverram, hercle, hoc, quod converri modo.
PAN. Vidistin' virum sororis Pamphilippum? DIN. Non. PAN. Adest?
DIN. Imo aibant eum venisse simul : sed ego huc citus
Præcucurri, ut nuntiarem nuntium exoptabilem.
GEL. Venaleis logi sunt illi, quos negabam vendere;
Inlico et meo malo est quod malevolenteis gaudeant.
Hercules sane, qui deus sis, discessisses non male.

57. *Sambucinas.* Intèr cœnandum, acroamata omnis generis adhibebantur. Nam aut symphonia personabat triclinium, aut instrumenta varia organaque concinebant : aut tragœdiæ aut comœdiæ mimique agebantur : incendebantur odores naribus gratissimi. Men. II, 3 : « Sternite lectos : incendite odores ». Hinc apud Virg. Æn. I, in convivio Didonis : « ... cithara crinitus Iopas Personat aurata ». Et Livius lib. XXIX : « Tunc psaltriæ sambucistriæque, et convivalia ludionum ' oblectamenta, addita epulis ». PIUS.

58. *Adludiabo. Adludiare* et *adludere*, verbum aptæ significationis, et in qua haud facile aliud unum reperies, pro nutu, arridendo, tactu manuum vel pedum, aut quacumque gesticulatione : sed etiam voce amatorculum se ostendere, scortillo aut puellæ se venditare. Pœn. V, 4, 64. Terent. Eun. « Forte habui scortum, cœpit ad id alludiare ». GRON.*—*Ridiculissumus.* Supra I, 3, 17.

60. *Jam non facio auctionem.* Sup. I, 3, 40 sqq.

64. *Reverram.* Converri locum, sed non mihi; ergo reverram, sordes reducam.

68. *Venaleis sunt.* Iterum auctionem facio.

69. *Inlico*, etc. Ordo : Et est quod malevoli gaudeant meo malo.

70. *Qui deus sis*, utpote quo

PAN. I, i intro, Dinacium; jube famulos rem divinam mihi adparent.
Bene vale. GEL. Vin' administrem? PAN. Sat servorum habeo domi.
GEL. Enim vero, Gelasime, opinor, provenisti futile,
Si neque ille adest, neque hic, qui venit, quidquam subvenit.
Ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus:
Nam ni illos homines expello, ego obcidi planissume.

auspice bona tanta invenissem. — *Discessisses.* Decima scilicet adaucta tibi ex hereditate, quam frustra cupidissime inhiaveram credulus: quam si ex sententia utriusque nostrum cernere contigisset, næ tu pulchre ac basilice decima ista, quam vovi, mactus ac polluctus discessisses. Lambinus poetæ mentem non vidit. DOUZA.

72. *Administrem.* Curc. IV, 1, 22.

73. *Provenisti futile.* Ut a facilis, facile, ita a futilis, *futile* adverbium est. *Provenisti futile* nihil hic aliud significat, quam: Nihil effecisti, frustra es. BOXH.

74. *Neque ille*, Pamphilippus.— *Neque hic qui venit*, Epignomus.

75. *Libros.* Cf. Pers. III, 1, 64.

76. *Illos homines.* Sup. 63.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

EPIGNOMUS, STICHUS.

EPIGN. Quom bene re gesta salvos convortor domum,
Neptuno grateis habeo et tempestatibus,
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Juvit, lucrisque quadruplicavit rem meam.
Olim quos abiens adfeci ægrimonia,
Eos nunc lætanteis faciam adventu meo.
Nam jam Antiphonem conveni adfinem meum,
Cumque eo reveni ex inimicitia in gratiam.
Videte, quæso, quid potest pecunia!
Quoniam re bene gesta redisse me videt,
Magnasque adportavisse divitias domum,
Sine advocatis ibidem in cercuro, in stega,
In amicitiam atque in gratiam convortimus.
Et hic hodie apud me cœnat, et frater meus;
Nam heri ambo in uno portu fuimus: sed mea
Hodie soluta est navis aliquanto prius.
Age, abduc has intro, quas mecum adduxi, Stiche.
STICH. Here, sive ego taceam, seu loquar, scio scire te,
Quam multas tecum miserias multaverim.

2. *Neptuno grateis*, etc. Mostell. II, 2, 1 sqq.

3. *Simul Mercurio*, etc. Amph. Prol. 1-12.

12. *Sine advocatis.* Non opus mihi fuit advocatis, qui iram illius deprecarentur. — *Ibidem*, illico, nulla mora. — *Stega*. Bacchid. II, 3, 44.

19. *Multaverim.* Quæ fingunt docti viri de *multare* pro numerare et πληστηριάζειν, cupio magis credere, quam possum. Ab ἀμέλγω *mulgeo* est. Inde *mulceo*, quia mul-

Nunc hunc diem unum ex illis multis miseriis
Volo me Eleutheriam capere advenientem domum.
EPIGN. Et jus et æquom postulas: sumas, Stiche,
In hunc diem: te nihil moror, abi quo lubet.
Cadum tibi veteris vini propino. STICH. Papæ!
Ducam hodie amicam. EPIGN. Vel decem, dum de tuo.
Ubi cœnas hodie, si hanc rationem instituis?
STICH. Amicam ego habeo Stephanium hinc ex proxumo,
Tui fratris ancillam; eo condixi, in symbolam
Ad cœnam, ad ejus conservom Sagarinum Syrum.
Eadem'st amica ambobus, rivaleis sumus.
EPIGN. Age, abduc, eas intro; hunc tibi dedo diem.
STICH. Meam culpam habeto, nisi probe excruciavero.

cendo, fingendo, deducendo, ex uberibus lac elicitur. Hinc *mulctare* et *mulcare* pro *mulcitare*: utrumque proprie ac primum est mulcere nimis, ut doleat: dein distinxerunt, ut hoc esset tractim tangere verberibus: illud pœnæ causa ita mulcere, ut emulgeas partem sanguinis viscerum de patrefamilias, hoc est, bonorum: quæ ista quoque appellatione contineri ostendimus Observat. IV, 24. Hinc *mulcta*. Nec Sabinum aut Oscum est hoc, ut Varro et Festus tradunt; nisi illi primi hæc omnia ex græco fonte hauserunt: neque a *multus*, quod a μάλα μάλιστα descendere puto: sed *multa* et *multare* quidam maluerunt lenioris pronuntiationis ergo. Hic igitur, nisi finxit verbum vel duriter transtulit joci causa (uam quodammodo plectuntur ærumnæ, quum superantur et domantur), malim *mutaverim*, id est, alias post alias subierim ac toleraverim. GR.

21. *Eleutheriam*. Fortasse *Eleutheria*. Pers. I, 1, 29.

22. *Sumas* Eleutheria. Quod vs. seq. explicatur.

25. *Ducam*. Bacch. IV, 10, 6.

28. *Eo condixi*. Ad Stephanium amicam communem. *Condicere* ap. JC. est denuntiare. Hinc « condicere cœnam », quum quis alteri denuntiat, se cum eo cœnaturum; ut convivæ, non convivatoris sit. Cic. Epist. ad Fam. I, 9, absolute dixit: « quum mihi condixisset, cœnavit apud me ». Sueton. Claud. cap. 21: « velut ad subitam condictamque cœnulam invitare se populum dixerat »: qualis nimirum amicis, qui seipsos invitant, apponitur: quam idem non illepide *sportulam* vocabat. Torrent. de symbola. Vid. Epid. I, 2, 12.

30. *Rivaleis*, ejusdem amantes, sed compacto.

31. *Eas*. Vulgo, *abduc eas intro*. Sed tum scribendum *eos*, sc. Sagarinum cum Stephanio.

32. *Meam culpam*. Me accusato, nisi ego hunc diem totum in Genio curando consumsero. Quasi dies

Jam, hercle, ego per hortum amicam transibo meam
Mihi hanc obcupatum noctem: eadem symbolam
Dabo, et jubebo ad Sagarinum cœnam coqui;
Aut egomet ibo atque opsonabo opsonium.
Atque id ne vos miremini, homines servolos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere;
Licet hoc Athenis nobis. Sed quom cogito,
Potius quam in dividiam veniam, est etiam heic ostium
Aliud posticum nostrarum harunce ædium
(Posticam partem magis utuntur ædium);
Ea ibo opsonatum, eadem referam opsonium
Per hortum: utroque conmeatus continet.
Ite hac secundum vos me; ego hunc lacero diem.

SCENA SECUNDA.

GELASIMUS, EPIGNOMUS.

GEL. Libros inspexi; tam confido, quam potest,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.

videatur vexari quum eum potando, obsonando, scortando conterimus. LAMB.

34. *Obcupatum*, pendet a *transibo*.—*Eadem*. Bacch. I, 1, 15.

35. *Ad*, apud. Cas. II, 2, 21.

37. *Atque id ne vos miremini*. Excusat Plautus, quod homines servulos potantes, amantes atque ad cœnam condicentes inducat in scenam: quod mirum nemini videri debere dicit, in palliata præsertim comœdia, et quæ Athenis gesta fingatur, qua in urbe servis talia patrare potestas semper fuit. Quam rem Stichus tamen, Romæ se scilicet, haud Athenis esse, serio demum cogitans, potius quam *in dividiam veniat*, id est, Romanis legibus, quæ ista vetabant, fraudem faciat, unde periculum capitulo creet suo; igitur sibi constitutum esse prædicat, nusquam in publicum prodire; sed partem ædium posticam uti potius. DOUZA.

44. *Utroque*. Ad alteras ædes ab alteris commeatus continuatus est. Vid. Mil. II, 5. TAUBM.

45. *Lacero diem*. Nimium diu loquor, et verbosus diei molestiam creo: atque ita stulte garriendo eum excrucio. TURN. — *Secundum ire*, sequi est. Vid. Mil. IV, 8.

1. *Libros inspexi*. Sup. II, 2, 75.

2. *Regem*, Epignomum qui me alit. Asin. V, 2, 69.

Nunc intervisi, jamne a portu advenerit,
Ut eum advenientem meis dictis deliniam.
EPIGN. Hic quidem Gelasimus est parasitus, qui venit.
GEL. Auspicio hodie optumo exivi foras;
Mustela murem abstulit præter pedes.
Cum strena obscævavit, spectatum hoc mihi est :
Nam ut illa vitam reperit hodie sibi,
Item me spero facturum; augurium hæc facit.
Epignomus hic quidem est, qui adstat; ibo atque adloquar.
Epignome, ut ego te nunc conspicio lubens!
Ut præ lætitia lacrumæ præsiliunt mihi!
Valuistin' usque? EPIGN. Sustentatum'st sedulo.
GEL. Bene atque amice dicis : di dent quæ velis.
Propino tibi salutem plenis faucibus.

3. *Nunc intervisi*. Lege : « Nunc interviso jamne a portu advenerit ». Hoc enim agit Gelasimus, ut intervisat an a portu advenerit Epignomus : nondum intervisit. BOXH.

7. *Mustela* Utrumque animal, et *mustela domestica*, et *felis* inter ea fuit, quæ occursu suo facerent auspicium : quod Græci vocabant ἐνόδιον σύμβολον. Exemplum de mustela hic est : de *fele* apud Terent. atque hæc μαντικῆς doctrina proprie οἰκοσκοπικὴ dicebatur. CAS.

8. *Cum strena obscævavit*. Mutatum *Quum strenua obcœnavit* frustra volunt Boxhornius et Salmasius. *Cum strena obscævavit*, est, cum cibo scævam vel omen mihi fecit. Strenæ dicebant, quæ mittebantur kalendis januariis. Eæ autem maximam partem erant cibaria. Vide Libanium in Ἔκφρασει Καλανδῶν. Inde et infra V, 2 : « Domum redeundi principium placet. Bona scæva strenaque obviam obcessit mihi ». Ea erat Stichus cum cado vini. GRON.

9. *Vitam*, id est, victum. Trin. II, 4.

10. *Augurium hæc facit*. Auspicium illi mustela fecerat : Epignomus auspicii fides et eventus erat, a quo victus reperiendus. Nam dum augurium suum commentatur secum, interim conspicit Epignomum, quem noscitans adit statim et compellat. ACID. — Vide apud Terent. Phorm. IV, 4, 25 sqq. enarrata multa id genus auguria.

14. *Sustentatum. Sustentare se*, est portare se, et bene valere, καὶ ἐῤῥῶσθαι. Ita Satiricus de eo, cui constabat valetudo : « Et pedibus me porto meis », id est, bene valeo. Ita *vectare se*, ut *sustentare se*, est de optima corporis constitutione dictum Latinis. Et *sedulo* ostendit curatam diligenter fuisse valetudinem. SCAL.

15. *Bene atque amice dicis*. Graphice colax. Quod se valuisse Epignomus ait, gratias ille agit, quasi omnia fausta et optatissima sibi per eum contigissent.

Cœnabis apud me, quoniam salvos advenis.
EPIGN. Vocata 'st opera nunc quidem; tam gratia 'st.
GEL. Promitte. EPIGN. Certum 'st. GEL. Sic fac, inquam. EPIGN. Certa re'st.
GEL. Lubente me, hercle, facies. EPIGN. Idem ego istuc scio.
Quando usus veniet, fiet. GEL. Nunc ergo usus est.
EPIGN. Non, edepol, possum. GEL. Quid gravare? censeo
Eas; nescio quid vero habeo in mundo. EPIGN. I modo,
Alium convivam quærito tibi in hunc diem.
GEL. Quin tu promittis? EPIGN. Non graver, si possiem.
GEL. Unum quidem, hercle, certum promitto tibi:
Lubens adcipiam, certo si promiseris.
EPIGN. Valeas. GEL. Certumne 'st? EPIGN. Certum, cœnabo domi.
GEL. Quandoquidem operam tuam non vis promittere,
Vin' ad te ad cœnam veniam? EPIGN. Si possim, velim;
Verum heic apud me cœnant alieni novem.
GEL. Haud postulo equidem me in lecto adcumbere:

18. *Vocata.* Men. III, 1, 11. — *Opera.* Curcul. III, 2, 9. — *Tam gratia 'st.* Pseud. II, 4, 23.

19. *Certum 'st* me vocatum ab alio ad cœnam. — *Sic fac*, ut te rogo. Instat invitans.

20. *Lubente me, facias.* Si mihi annueris vocanti, mihi gratum, quod lubeat mihi, facies.

23. *Censeo eas*, æquum censeo te venire ad me cœnatum.

27. *Adcipiam.* Bacch. V, 2, 63.

31. *Novem.* Igitur pleni lecti.

32. *Me in lecto.* Accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac jacente: capite leviter erecto, dorso a pulvillis modice suffulto. Sed quomodo, inquis, omnes æqua parte ad mensam pertingebant? Hoc modo. Primus decumbebat ad caput lecti: pedes porrigebantur pone dorsum secundi. Secundus vero occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto; pedes jacebant ad tergum tertii: et sic deinceps tertius, sic quartus. De loco digniori. Is, qui primus et ad caput lecti decumbebat, *summus* dicebatur: qui ad pedes, *imus:* qui inter istos, *medius.* Hinc illa Plauti: « Da puer ab summo, etc. » Et si tres convivæ in uno lecto, medius, dignissimus summus. LIPS. — Servi non in lecto, sed in subsellio juxta lectum sedentes vesci solebant. GRUT. — Vide infra V, 4, 21.

Scis tu me esse imi subselli virum.
EPIGN. At ii oratores sunt populi, summi viri,
Ambracia veniunt huc legati publice.
GEL. Ergo oratores populi, summateis viri,
Summi adcumbent, ego infimatis infimus.
EPIGN. Haud æquom'st te inter oratores adcipi.
GEL. Equidem, hercle, orator sum, sed procedit parum.
EPIGN. Cras de reliquiis nos volo: multum vale.
GEL. Perii, hercle, vero plane, nihil obnoxie.
Uno Gelasimo minus est, quam dudum fuit.
Certum'st mustelæ posthac nunquam credere:
Nam incertiorem nullam gnovi bestiam,

33. *Imi subselli.* Capt. III, 1, 11.

35. *Ambracia*, urbs est Epiri, seu Thesprotiæ potius. TAUBM.

41. *Perii, hercle, vero plane, nihil obnoxie.* Nec distinctio nec lectio sollicitanda in hoc versu, quem sic produeit ut hic scriptus est, Gell. VII, 17, ubi dicit Plautnm hæc duo inter se tanquam contraria opponere, *plane* et *obnoxie*. Obnoxins qui ab alio pendet et quasi ei subjectus. Qui sui arbitrii et tutelæ est, res plane agit ut vult, et solide. Qui alteri obnoxius est, obnoxie, et minus integre, dum eum a quo pendet respectat. Sed *obnoxie perire* dicitur, qui non plane nec funditus perit, sed aliquam spem salutis habet; ut illi qui non condemnati sunt a judice sui periculi, ut Latini dicunt, sed ab illo unde appellatio datnr. Judices supremi condemnant reum plane non obuoxie. At illi unde appellatio est, obnoxie, non plane possunt condemnare. SALM. — *Nihil obnoxie.* Docte ὁ πάνυ, ut semper: sed et satis crudite Acidalius exposuit quid sit *obnoxie perire*, nempe clementer, atque ita, ut ei, per quem sic peris, obuoxius sis, atque aliquam gratiam debeas. Ut in Epid. V, 2: « arcte conliga: nihil vero obnoxiose », quasi mihi parcas. Quamquam hoc sit potius timide, trepidanter, cum respectu aliquo et metu, ut agunt homines prætrepidi atque obnoxii. Et sic *nihil obnoxie* esset, nihil dubie. Videtur tamen illud *obnoxie* cum τῷ *perire* jungi non debere: nec id serium dicendi genus magis esse quam *potare pro Ilio*, et *pilæ factores* et *medicinam facere* illum qui recreat cibo, et similia. *Obnoxius* est ob noxam, vel quam quis nocuit, vel quam ob quamcumque causam exspectat, humilis, demissus, aliis subjectus. Hinc hic loquitur, quasi et *obnoxia loca* dicerentur, quasi humilia, servientia: et eam vocem hic applicando nihil aliud respicit quam τὸ *plane*. GRON.—Salmasii sententiæ lubentius acquiesces, si Plaut. Pœn. III, 5, 42 contuleris.

42. *Uno Gelasimo minus est.* Numerus Gelasimorum imminuetur uno. N.

Quæne et ipsa decies in die mutat locum,
Eam auspicavi ego in re capitali mea.
Certum'st amicos convocare, ut consulam
Qua lege nunc me esurire oporteat.

45. *Quæne*, etc. Conf. Cistell. IV, 2, 7.

46. *Auspicavi*. Eam, ut auspicium mihi faceret, sumsi in re mea, quæ ad caput et salutem pertinet. LAMB.

47. *Amicos convocare*. Mil. IV, 3, 26, et Pœnul. III, 6, 50.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

ANTIPHO, PAMPHILIPPUS, EPIGNOMUS.

ANT. Ita me di bene ament, measque mihi bene servassint filias,
Ut mihi volupe 'st, Pamphilippe, quia vos in patriam domum
Redisse video, bene gesta re, ambos, te et fratrem tuum.
PAMPH. Satis abs te adcipiam, nisi videam mihi te amicum esse, Antipho.
Nunc quia te amicum mihi experior esse, creditur tibi.
ANT. Vocem ego te ad me ad cœnam, frater tuus nisi dixisset mihi,
Te apud se cœnaturum esse hodie, quom me ad se ad cœnam vocat.
Et magis par fuerat me dare vobis cœnam advenientibus,
Quam me ad illum promittere, nisi nollem ei advorsarier.
Nunc me gratiam abs te inire verbis nihil desidero:
Cras apud me eritis, et tu et ille, cum vostris uxoribus.

4. *Satis abs te*, i. e. nisi te amicum viderem, fidei tuæ prædes a te poscerem. Ludit in duplici notione verbi *creditur*, quod versum seq. claudit. Most. I, 3, 67. N.

5. *Creditur*, scilicet a me: quasi dicat: Creditor fio tibi sine prædibus: neque satisfactionem ullam desidero, quam rem ipsam, qua te et amicum mihi et benevolentem esse, satis compertum habeo. Douz.

10. *Gratiam inire verbis.* Non verbis tantum, sed re, i. e. cœna data gratiosus tibi esse volo; itaque tu et frater tuus cras apud me cœnabitis. N.

PAMPH. Et apud me perendie : nam ille heri me jam vocaverat
In hunc diem : sed satin' ego tecum pacificatus sum, Antipho?
ANT. Quando ita rem gessistis, uti vos vellem, amicos atque addecet,
Pax commerciumque est vobis mecum. Nam hoc tu facito cogites,
Ut quoique homini res parata'st, firmi amici sunt; si res lassa labat,
Itidem amici conlabascunt. Res amicos invenit.
EPIGN. Jam redeo : nimia est voluptas, si diu abfueris a domo,
Domum si redieris, si tibi nulla est ægritudo animo obviam.
Nam ita me absente familiarem rem uxor curavit meam,
Omnium me exilem atque inanem fecit ægritudinum.
Sed eccum fratrem Pamphilippum, incedit cum socero suo.
PAMPH. Quid agitur, Epignome? EPIGN. Quid tu? quamdudum in portum venis
Huc? PAMPH. Longissume. EPIGN. Postilla jam iste est tranquillus tibi?
ANT. Magis quam mare, quo ambo estis vecti. EPIGN. Facis ut alias res soles.

14. *Amicos atque addecet.* Forsan *utque.* Quod nisi recipias, referas ad præcedens *uti*, i. e. ut convenit nostros amicos res suas gerere, si amici esse usque volunt. N.

16. *Ut quoique homini res.* Imo adulatores adversa fortuna fugat, non amicos, quibus nullum pretium in amicitia placet, præter ipsam. Paupertas amicos retinet et ostendit in vero suo vultu. TAUBM.

18. *Jam redeo.* Verba domo egredientis sunt, sed ad familiares pronuntiata, quibus se mox rediturum affirmat. Nam forte fortuna incidit in Pamphil. non destinatu. ACID. — *Nimia est voluptas*, etc. Magna, postquam abfueris a domo, quum redieris, voluptas est, si nulla ægritudo, etc.

21. *Exilem*, intelligunt exsortem, immunem. Lambinus mutat *exulem*.

23. *Quid agitur.* Pers. I, 1, 17.

24. *Longissume*, dudum veni. — *Iste*, Antipho.

25. *Facis, ut alias res soles.* Trita

Hodienc exoneramus navem, frater? PAM. Clementer volo.
Nosmet potius oneremus vicissatim voluptatibus.
Quam mox cocta est cœna? inpransus ego sum. EPIGN. Abi intro ad me, et lava.
PAMPH. Deos salutatum atque uxorem modo intro devortor domum.
EPIGN. Apud nos eccilla festinat cum sorore uxor tua.
PAMPH. Optumum 'st; jam istoc moræ minus erit : jam ego apud te ero.
ANT. Priusquam abis, præsente te, huic apologum agere unum volo.
EPIGN. Maxume. ANT. Fuit olim, quasi ego sum, senex; ei filiæ
Duæ erant, quasi nunc meæ sunt; eæ erant duobus nuptæ fratribus,
Quasi nunc meæ sunt vobis. PAMPH. Miror, quo evasuru'st apologus.
ANT. Erat minori illi adulescenti fidicina et tibicina;
Peregre adduxerat, quasi nunc tu : sed ille erat cœlebs senex,
Quasi ego nunc sum. PAMPH. Perge porro : præsens hic quidem est apologus.
ANT. Deinde senex ille illi dixit, quojus erat tibicina,

locutio, qua quis alteri suam dexteritatem vel comitatem gratulabatur. Amph. I, 3, 38. Gallice, *cela ne m'étonne pas de votre part.*

26. *Clementer*, non nimis propere, placide.

27. *Oneremus*. Festiviter et concinne. Etenim ad exonerationem, quæ præcesserat, allusum. Quam metaphoræ formam etiam Mil. III, 1 amplexus est : « Onera te hilaritudine ». DOUZA. — *Vicissatim*, id est, per vices. NON.

29. *Deos salutatum. Salutare deos*, pro deos adorare. Vid. Turn. XXV, 1.

30. *Festinat*, id est, apparat, molitur, tumultuatur, ut solet in apparando. Casin. IV, 1, 5; infra V, 3, 4. GRON.*

31. *Apud te ero*. Hæc Epignomo attribuuntur perperam, siquidem Phamphilippus abit, et cœnatur apud Epignomum.

38 *Præsens hic*, scilicet, quia nos in re præsenti sumus, in quorum personas apologus iste examussim convenit. TAUBM.

Quasi ego nunc tibi dico. PAMPH. Ausculto, atque animum advorto sedulo.
ANT. Ego tibi meam filiam, bene quîcum cubitares, dedi:
Nunc mihi reddi ego æquom esse abs te, quîcum cubitem, censeo.
PAMPH. Quis istuc dicit? an ille quasi tu? ANT. Quasi ego nunc dico tibi.
Imo duas dabo, inquit ille adulescens, una si parum'st;
Et si duarum pœnitebit, inquit, addentur duæ.
PAMPH. Quis istuc, quæso? an ille, quasi ego? ANT. Is ipse, quasi tu. Tum senex
Ille, quasi ego, si vis, inquit, quatuor sane dato,
Dum equidem, hercle, quod edant addas, meum ne contruncent cibum.
PAMPH. Videlicet parcum illum fuisse senem, qui dixerit:
Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum poposcerit.
ANT. Videlicet fuisse illum nequam adulescentem, qui inlico,
Ubi ille poscit, denegavit se dare granum tritici:
Hercle, quia æquom postulabat ille senex, quandoquidem
Filiæ illæ dederat dotem, adcipere pro tibicina.
PAMPH. Hercle, ille quidem certo adulescens docte vorsutus fuit,
Qui seni illi concubinam dare dotatam noluit.
ANT. Senex quidem voluit, si posset indipisci de cibo:

45. *Pœnitebit.* Mil. III, 1, 145.

49. *Videlicet.* Asin. III, 3, 9.

50. *Quoniam ille illi pollicetur,* quoniam ille adolesceus pollicetur, dat ultro mulieres illi seni qui poposcerit cibum. Douza vult: « Qui, quomodo fit, ut seuex eum cibum poposcerit? »

51. *Videlicet fuisse illum.* MS uterque: *Videlicet non fuisse.* Forte: *Videlicet imo fuisse.* Corrigit enim, quod dixerat Phamphilippus: et hanc particulam non semper inchoare orationem supra notavimus. GRON.

54. *Adcipere pro tibicino.* Quum vellet accipere eibaria, ut ipse cum filia dotem dederat, æquum postulabat. N.

57. *Voluit*, i. e. maluisset, si posset, iudipisci puellas de cibo, i. e. cum alimonia.

Quia nequit, qua lege licuit, velle dixit fieri.
Fiat, ille inquit adulescens : facis benigne, inquit senex.
Habeon' rem factam? inquit : faciam ita, inquit, ut fieri voles.
Sed ego ibo intro, et gratulabor vostrum adventum filiis.
Postea ibo lavatum in pyelum : ibi fovebo senectutem meam.
Post, ubi lavero, otiosus vos obperiar adcubans.

PAMPH. Graphicum mortalem Antiphonem! ut apologum fecit, quam fabre!
Ut jam nunc scelestus esse ducit pro adulescentulo!
Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto adcendet senem :
Namque, edepol, aliud quidem illi quid amica opus sit, nescio.
Sed quid agit parasitus noster Gelasimus? etiam valet?

EPIGN. Vidi, edepol, hominem haud perdudum. PAMPH. Quid agit? EPIG. Quod famelicus.

PAMPH. Quin vocasti hominem ad cœnam? EPIGN. Ne quid adveniens perderem.

62. *Pyelum.* Vulgo, *pilum.* Pyelum est balneum seu labrum. J. Pollux, IX, 16 : «Πύελος, vas amplum, in quo veteres lavabant». LAMB. — Probo conjecturam Lambini legentis, *ibo lavatum in pyelum*, hoc est, πύελον. Nihil verius. SALM.

64. *Fabre*, id est, artificiose. LAMB.

65. *Esse ducit*, i. e. esse existimat, vult. Douza *sese ducit.* Lectio constat hellenismo.

66. *Adcendet senem.* Illo *adcendere* putat Pamphilippos Antiphoni, tanquam seni decrepito, amicam juveoculam nulli usui esse, nisi ut eum complexu suo foveat et calefaciat : quod Davidi regi factum ex sacra historia didicimus. *Adcendere* igitur non erit hic libidinem alicui concitare, sed vero corpus senile et egelidum fovere ac concalefacere. SCIOPP.

70. *Ne quid adveniens perderem.* Oratio abrupta, Gelasimo præter exspectationem conspecto. Plena esset : Non invitavi ad cœnam Gelasimum, ne quid statim adveniens perderem, meis sumtibus cœna parasito apparata. BOXH.—*Ne quid adveniens.* Male hic interrogationem facit Acidalius : sed nec abrupta est oratio, quasi Gelasimo præter exspectationem conspecto. Responsio est integra, et minime obscura, ad interrogationem : Cur non vocasti? Ne quid ipso in reditu perderem. Non poterat enim ignorare qui rogabat, et malum hoc omen in principio esse, et quod in parasitum impenditur, perdi. Itaque nihil plenius requirit oratio. GRON

Atque eccum tibi lupum in sermone; præsens esuriens adest.

PAN. Ludificemur hominem. EPIGN. Capti consili memorem mones.

SCENA SECUNDA.

GELASIMUS, PAMPHILIPPUS, EPIGNOMUS.

GEL. Sed ita quod obcœpi narrare vobis, quom heic non adfui,
Cum amicis deliberavi jam, et cum congnatis meis;
Ita mihi auctores fuere, ut egomet me hodie jugularem fame.
Sed videone ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is est.
Adgrediar hominem. Sperate Pamphilippe, o spes mea,
O mea vita, o mea voluptas, salve : salvom gaudeo,
Peregre te in patriam redisse salvom. PAMPH. Salve, Gelasime.
GEL. Valuistin' bene? PAMPH. Sustentavi sedulo. GEL. Edepol, gaudeo.

71. *Lupum in sermone. Sermo* pro familiari colloquio : eadem est via verbi *fabula; unde fabulari :* quod et elegans et veteribus est pervulgatum, hodie vix notum in eo significatu : hinc Terent. Adelph. IV, 1 : « Lupus in fabula » : quod Plautus, *in sermone*. Donatus et alii minus recte accipiunt. GIFAN.

1. *Sed ita quod obcœpi.* Nihil causæ est, cur iis adstipulemur, qui huic scenæ principium deesse volunt. Haud dubie respexit Gelasimus ad illa ultima scenæ ultimæ act. III : « Certum est amicos convocare, ut consulam, Qua lege me nunc esurire oporteat ». Hoc ergo vult hoc loco : Quod jam ante narrare vobis occœpi, convocavi amicos, ut consulerem, qua lege me nunc esurire oporteret. Interea autem dum abfui a vobis, cum amicis convocatis deliberavi et decrevi, ut egomet me hodie fame jugularem. Nihil planius. BOXH.— *Vobis.* Hoc ad spectatores.—*Quom heic non adfui*, statim hinc postquam abii.

8. *Sustentavi sedulo.* Vide supra II, 2, 14.

Edepol, næ egomet mihi modium nunc mille esse argenti velim.
EPIGN. Quid eo tibi opu'st? GEL. Hunc ad cœnam, hercle, ut vocem, te non vocem.
EPIGN. Advorsum te fabulare illud quidem. GEL. Ambos ut vocem.
EPIGN. Edepol, te vocem lubenter, si superfiat locus.
GEL. Quin tu? stans obstrusero aliquid strenue. EPIGN. Imo unum hoc potest...
GEL. Quid? EPIGN. Ubi convivæ abierint, tum venias... GEL. Væ ætati tuæ!
EPIGN. Una lautum, non ad cœnam dico. GEL. Di te perduint!
Quid ais, Pamphilippe? PAMPH. Ad cœnam, hercle, alio promisi foras.
GEL. Quid, foras? PAMPH. Foras hercle vero. GEL. Quî, malum, tibi lasso lubet
Foris cœnare? PAMPH. Utrum tu censes? GEL. Jube domi cœnam coqui,
Atque ad illum renuntiari. PAMPH. Solus cœnabo domi?
GEL. Non enim solus: me vocato. PAMPH. At ille mi subcenseat,
Mea qui causa sumtum fecit. GEL. Facile excusari potest;
Mihi modo ausculta; jube domi cœnam coqui. EPIGN. Non me quidem
Faciet auctore, hodie ut illum decipiat. GEL. Non tu hinc abis?

11. *Advorsum te*, etc. Tibi male consulis, quum ista dicis.

13. *Quin tu*, etc. Quin tu me invitas, etiamsi non superfiat locus ad sedendum? Stans etiam strenue possum aliquid obstruere. BOXH. — *Stans*, non accumbens.—*Obstrusero aliquid* in os meum. — *Imo unum hoc potest* fieri. N.

14. *Ætati tuæ*. Asin. I, 3, 39.

15. *Una lautum*. Sequela est orationis *tum venias*. Veni mecum ad lavandum, non ad cœnandum.

17. *Malum*. Amph. I, 1, 247.

19. *Illum*, qui te vocavit. — *Renuntiari*, scil. te non iturum.

Nisi me non perspicere censes quid agas. Cave, sis, tu tibi:
Nam illic homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus.
Non tu scis, quam ecflictentur homines noctu heic in via?
PAM. Tanto plureis, qui defendant, ire advorsum jussero.
EPIGN. Non it, non it; quia tanto opere suades ne ebitat. GEL. Jube
Domi mihi, tibi, tuæque uxori celeriter cœnam coqui.
Si, hercle, faxis, non, opinor, dices, deceptum fore.
PAMPH. Per hanc tibi cœnam incœnato, Gelasime, esse hodie licet.
GEL. Ibisne ad cœnam foras? PAMPH. Apud fratrem cœno, in proxumo.
GEL. Certumne'st? PAMPH. Certum. GEL. Edepol, te hodie lapide percussum velim.
PAMPH. Non metuo; per hortum transibo, non prodibo in publicum.
EPIGN. Quid agis, Gelasime? GEL. Oratores tu adcipis; habeas tibi.
EPIGN. Tua, pol, refert enim. GEL. Siquidem mea refert, opera utere,
Posce. EPIGN. Edepol, tibi, opinor, etiam uni locum conspicor,

27. *Ire advorsum.* Mostell. IV, 2, 16.

28. *Ebitat*, exeat. Forsan melius *ne bitat.*

30. *Deceptum fore*, te male admonitum.

31. *Per hanc tibi cœnam.* Si nulla tibi alia cœna parata est, quam ea quæ domi nostræ parabitur, incœnatus hodie dormies. LAMB.

33. *Lapide.* De insolentia Atheniensium juvenum, vide Amph. I, 1, 1, et Trin. II, 2.

35. *Quid agis?* Aulul. I, 2, 39. — *Habeas tibi.* Ea est formula remittendi nuntii. I. e. nihil mihi jam commune est tecum.

36. *Tua ref.* Amph. II, 2, 109. — *Opera utere, posce.* EP. *Edepol.* Eleganter. Qui beneficium alicui offerebant, atque uti eum amicitia jubebant, his fere verbis id faciebant: « Tua opera est; utere, posce ». Aulul. II, 1. Jam ergo parasitus, quod eum deceret, Epignomum poscere suam operam, et uti ea in edendo jubet, hoc officio promtissimus. PALMER.

Ubi adcubes. PAMPH. Sane faciundum censeo. GEL. O lux oppidi!
EPIGN. Si arcte poteris adcubare. GEL. Vel inter cuneos ferreos.
Tantillum loci ubi catellus cubet, id mihi sat est loci.
EPIGN. Exorabo aliquo modo, veni. GEL. Huccine? EPIGN. Imo in carcerem;
Nam heic quidem meliorem Genium tuum non facies: eamus, tu.
PAM. Deos salutabo modo, postea ad te continuo transeo.
GEL. Quid igitur? EPIGN. Dixi equidem, in carcerem ires. GEL. Quin, jusseris,
Eo quoque ibo. EPIGN. Di inmortaleis! hic quidem in summam crucem
Cœna aut prandio perduci potest. GEL. Ita ingenium meum'st;
Quîcumvis depugno multo facilius, quam cum Fame.
PAMPH. Non ergo is tu? apud me satis spectata est mihi jam tua felicitas:
Dum parasitus mihi atque fratri fuisti, rem confregimus.
Nunc ego nolo e Gelasimo mihi te Catagelasimum.

39. *Inter cuneos.* Id est, vel in arctissimo potero accumbere loco, qualis est inter cuneos, quibus aliquid duobus simul inditis et adactis, magis adstringitur, vel durissimum lignum finditur et discluditur: tum enim inter duos sic adactos patet tantum tennissima rima. TURN.

41. EP. *Exorabo aliquo.* Recte. Epignomus enim erat convivator; et hic ab hospitibus suis aliquo modo se pollicetur impetraturum, ut arctius cubare velint, Gelasimo recepto: ac simul eum venire jubet. Minime tamen serio, sed magis ludificandi hominis esuriosi. ACIDAL.

42. *Heic*, apud nos. — *Eamus, tu.* Abeamus, Pamphilippe.—*Meliorem Genium.* Est lauto victu, cibatu electili, vino suavi, cuticulam curabis. Genio enim tribui dicitur, quidquid gulæ et ventri datur. GRON.*

48. *Non ergo is tu?* Abi, apage. — *Tua felicitas*, quam fortunata regibus tuis tua cultura.

50. *Catagelasimum.* Nolo te e ridiculo et urbano risum movente, fieri deridiculum et derisui esse. LAMB.

GEL. Jamne abisti? Gelasime, vide, quid es capturus consili.
Egone? tune? mihine? tibine? vides, ut annona est gravis!
Vides, benignitates hominum ut periere et prothymiæ:
Vides, ridiculos nihili fieri, atque ipsos parasitarier.
Nunquam, edepol, me vivom quisquam in crastinum prospiciet diem;
Nam mihi jam intus potione vincea onerabo gulam.
Neque ego hoc conmittam, ut homines mortuum me dicant fame.

51. *Abisti. Abiisti* ἀντὶ τοῦ *obiisti*, positum suspicor. *Abitionem* enim pro morte δυσφημίας vitandæ, veteres usurpasse, notum ex Fest. ut semetipsum interroget parasitus, qoasi ambigens, utromue inter vivos au mortuos potius uumerari porro debeat occisissimus. Douza.

53. *Prothymiæ.* Animorum alacritates, promtæ voluntates. Conf. Pseud. V, 1.

54. *Ipsos parasitarier.* A divitibus, ut divites olim a parasitis, captari ac lactari. Lamb. — Imo crediderim *ipsos* uon ridiculos esse, sed reges, dominos parasitorum. *Ipse* pro domiuo sæpissime dicitur, et parasitari deponens verbum est. Seusus igitur: Vides derideri scurras, et ab ipsis regibus parasiticas artes, irrisus et scommata, exerceri. Vide Capt. III, 1, 10 seqq. N.

56. *Potione vincea.* Lepide laqueum vocat *potionem vinceom*: ac potiouem quidem, quod quum potum guttur soleat transmittere ipsi inditum, iuditur et induitur ei laqueus, quasi transmissuro: *vinceam* autem a vinciendo veuuste deflexit, et ad potionem *vineom* vel *vinoceam* interim eleganter allusit, quod laqueo collum vinciatur. *Vincea* (vel, ut alii, *vicea*), coutiuens est Festo. Turn.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

STICHUS.

More hoc fit, atque stulte, mea sententia:
Si quem hominem exspectant, eum solent provisere;
Qui, hercle, illa causa nihil ocius venit.
Idem ego nunc facio, qui proviso Sagarinum,
Qui nihil ocius venit tamen hac gratia.
Jam, hercle, ego decumbam solus, si ille huc non venit.
Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam:
Postea adcumbam: quasi senex tabescit dies.

SCENA SECUNDA.

SAGARINUS, STICHUS.

SAG. Salvete, Athenæ, quæ nutrices Græciæ.
Terra herilis patria, te video lubens.
Sed amica mea et conserva quid agat Stephanium,
Cura est; ut valeat! nam Sticho mandaveram,
Salutem ut nuntiaret; atque ei ut diceret,
Me hodie venturum, ut cœnam coqueret temperi.
Sed Stichus est hic quidem. STICH. Fecisti, here, facetias,

1. *More*, producta secunda, græcum est μωρῶς.
1. *Salvete*. Vide Bacch. II, 1, 1.
7. *Fecisti*, etc. Stichus, qui intro abiit quæsitum cadum, nunc redit ferens.

Quom hoc donavisti dono tuum servom Stichum.
Pro di immortaleis, quot ego voluptates fero!
Quot risiones, quot jocos, quot savia,
Saltationes, blanditias, prothymias!
SAG. Stiche. STICH. Hem. SAG. Quid fit? STICH. Euge,
Sagarine lepidissume!
Fero convivam Dionysum mihique et tibi.
Namque, edepol, cœna dicta est, locus liber datus est
Mihi et tibi apud vos: nam apud nos est convivium.
Ibi voster cœnat cum uxore adeo et Antipho.
Ibidem herus est noster: hoc mihi dono datum'st.
SAG. Quis somniavit aurum? STICH. Quid id ad te adtinet?
Proin' tu lavare propera. SAG. Lautus sum. STICH. Optume:
Sequere ergo hac me intro. SAG. Ego vero sequor.
STICH. Volo eluamus hodie: peregrina omnia
Relinque; Athenas nunc colamus; sequere me.

12. *Quid fit?* Bacch. IV, 3, 12.

16. *Ibi voster cœnat.* Nam convivium erat apud ipsum, Epignomum nempe, cujus servus iste Stichus. Ita mox putidissime vulgatur: « Ibid. h. e. noster »: quod corrigendum: « Itidem herus est noster ». Apud Epignomum herum ipsius, erant in convivio Sagarini herus Pamphilippus, cum uxore et Antiphone. Contra liber locus erat datus servis apud Pamphilippum, ubi interea vicem heri Sagarinum sibi et æque dominum convivii fore, Stichus ludibundus ait. ACID. — *Et Antipho.* Sic volunt dictum pro Antiphone: quemadmodum *Tranium* pro Tranione in Mostellaria. Quasi copula *Et* conjungeret necessario τὰ *uxore et Antipho*, ac non *voster et Antipho*. Ita enim prorsus accipiendum quasi dictum esset: Ibi cœnat Antipho et vester herus cum uxore. GRONOVIUS.

18. *Quis somniavit aurum?* Torquent alii aliter hunc locum. « Quis summanavit » furatus est? vel « Quis opsonavit? STICH. Aurum », vel « Quis opsonavit aurum? » vel « Quis id (*vinum*) donavit autem? » Turnebus vulgatam servat, et *somniare* intelligit quasi *furari*, quia Trin. IV, 2, 20, *dormitator* est fur. At non ita desperatus videtur locus, ut, non mutatis verbis, aut verborum sensu per vim detorto, sententia non possit aliqua extricari: « Quis somno adeptus est aurum, quo sumtum faciamus? » Gallice dicamus: *qui a donc fait ce beau rêve d'or?* N.

19. *Lautus sum.* Ambiguitate et proprii et detorti sensus ludit.

21. *Volo eluamus.* Quidquid peculii est, profundamus. LAMB. — *Peregrina*; græcari τῷ barbarico ri-

SAG. Sequor, et domum redeundi principium placet.
Bona scæva strenaque obviam obcessit mihi.
(Introeunt Pamphilippi domum.)

SCENA TERTIA.

STEPHANIUM.

Mirum videri nemini vostrum volo, spectatores,
Quid ego hinc, quæ illeic habito, exeam: faciam vos certiores.
Domo dudum huc arcessita sum, quoniam nuntiatum 'st,
Istarum venturos viros: ibi festinamus omneis,
Lectis sternendis studuimus, munditiisque adparandis.
Inter illud tamen negotium meis curavi amicis,
Sticho et conservo Sagarino meo, cœna cocta ut esset.
Stichus opsonatus est: cæterum ego curando id adlegavi.
Nunc ibo hinc, et amicos meos curabo heic advenienteis.

SCENA QUARTA.

SAGARINUS, STICHUS.

SAG. Agite, ite foras, ferte pompam: cado te præficio, Stiche.
Omnibus modis temperare certum 'st nostrum hodie convivium.

tu, i. e. severe vivere opponitur.

24. *Bona scæva strenaque. Scæva* quid sit, diximus Pseud. IV, 7, 39. « Streuam vocamus, inquit Festus, quæ datur die reliogoso, ominis boni gratia, a numero quo significatur, alterum tertiumque venturum similis commodi, veluti treuam, præposita *s* litera, ut in *loco* et *lite* solebant antiqui ».

1. *Mir. videri*, etc. Aul. Prol. 1.

2. *Hinc*, ex ædibus Epignomi. —*Illeic*, apud Pamphilippum.

4. *Istarum*, Pinacii et Panegyris.

8. *Cæterum ego curando id adlegavi.* Cæteroqui ego aliquem privatum misi, qui id curaret et coqueret.

1. *Pompam.* Bacch. I, 2, 6.

2. *Temperare* te, bibendi arbitrum, convivii regem.

Ita me di ament, lepide adcipiemur, quom hoc recipiamur in loco.
Quisquis prætereat, comisatum volo vocari. STICH. Convenit;
Dum quidem, hercle, quisque veniat cum vino suo: nam hinc quidem
Hodie polluctura, præter nos, jactura dabitur nemini.
Nosmet inter nos ministremus monotrophe: hoc convivium'st
Pro opibus nostris satis conmodule, nucibus, fabulis, ficulis,
Olea in tryblio, lupilli conminuto crustulo.

3. *Adcipiemur.* Bacch. V, 2, 63.

4. *Convenit.* Verbum assentientis est, pro, placet, fiat. Cas. II, 3, 54. GRON.

6. *Hinc quidem hodie Polluctura præter nos jactura.* Sic MSS *iactura*, inquio, non *iam*, ut fecit Camerarius: cui scilicet magnum pondus addiderunt, nihil aliud, quam quia sic sententia aperta est, ita se malle professi. Ex Gutherio adscribunt *polluctarum* esse partem Herculaneam, quam Budæus male de ferali cœna interpretatur. Gruteri est *jacturam* respicere ad illorum iter maritimum, ubi scilicet abjiciebatur in altum omne id, quod gravaret naves præsentaneo vectorum damno. Fuerunt etiam, qui sub vocabulo *jactura* talorum jactum imaginarentur. Quæ omnia facile aversere. Scribendum *hac* pro *hinc*. *Polluctura* nihil est aliud quam epulum vel convivium. Quia enim qui decimam pollucerent Herculi, cœnam popularem dabant, ideo in Rudente extrema *pollucti nihil est*, dicit pro eo, quod est: nihil apparati ad cœnam: et hic *polluctura*, convivium. Jacturæ autem est, ubi significent largitiones et liberalitates in publicum gratiam plebis promerendi ergo: quo in genere omnia erant proprie dicta *pollucta*: dei Herculis nomen prætexebant, cæterum homines colebant. De his jacturis vide IV de Pec. vet. c. 4. Sic igitur *jacturam* dixit pro sua cujusque portione de illo, quod in commune conferebatur ac præbebatur. Jam intelligis rem plane, nihil obnoxie: «Hac quidem hodie Polluctura præter nos jactura dabitur nemini». Id est: Hac cœna vel epulo præter nos, pars dabitur nemini. GRON.—*Hinc* Gronovianæ interpretationi non repugnat.

7. *Monotrophe.* Turnebus casu vocandi intelligit, quasi Stichus Sagarinum appellet *monotrophum*, quod solus sit, nec contubernalem habeat ancillam, nec vicarium; qui enim talis est, ipse sibi minister esse cogitur, solusque vescitur. — *Monotrophe* accipio, ut sit adverbium, hoc sensu: Nos simus ipsi nobis ministri, ut ii, qui soli vivunt, ministroque carent. G. LONG.

8. *Conmodule*, modico sumtu.

9. *Conminuto.* Turn. *cum minuto*.

Sat est : servo homini modeste melius facere sumtum, quam ampliter.

Suum quemque decet : quibus divitiæ domi sunt, scaphio et cantharis,

Batiolis bibunt; at nos nostro Samiolo poterio

Tamen vivimus; nos tamen eeficimus pro opibus nostra mœnia.

SAG. Amicæ uter utrubi adcumbamus? STICH. Abi tu sane superior.

Atque adeo ut tu scire possis, factum ego tecum divido.

Vide utram tibi lubet etiamnum capere, cape provinciam.

SAG. Quid istuc est provinciæ? STICH. Utrum Fontinali an Libero

Inperium te inhibere mavis? SAG. Nimio liquido Libero.

Sed amica mea et tua dum comit, dumque se exornat, nos volo

12. *Batiolis bibunt.* Forte *Galiolis.* Vide Nonium in illa voce. Idem Nonius ex Plauti Colace *batiolarum aurearum* meminit in hac voce. SCRIV. — *Samiolo.* Conf. Bacchid. II, 2, 23.

13. *Tamen.* Etsi pauperes, tamen vita fruimur. Pers. I, 1, 31. — *Pro opibus.* Comicus in servi persona dicit, eorum imitatione qui pro suis opibus et facultatibus non deesse se reip. prædicant, sed se munera facere dicunt, et de patrimonio fungendis muneribus impendere. *Mœnia* enim pro *muneribus* dixit antique. TURN.

14. *Uter utribi.* Uter superior, uter inferior, amica media.

15. *Atque adeo ut tu scire possis, factum.* Pro *facto*, quod habent libri, non videtur legendum *pacto.* Nullum enim pactum hic intervenit. Sed optionem dat conservo suo hic Stichus, utrum velit. Proba est ergo distinctio quæ in aliquot editionibus invenitur : « Atque adeo ut tu scire possis factum, ego hoc tecum divido ». SALM. — *Factum*, i. q. rem, quod agendum est.

18. *Inperium te inhibere.* Fontinalis, deus fontium, unde Fontinalia, vocata sacra. *Inperium* autem *inhibere Fontinali* est in aqua imperium habere. Sententia est : Utrum aquæ an vino præesse mavis? Festus: « Fontinalia, fontium sacra : unde et Romæ Fontinalis porta ». Tertullianus : « Fontinalis, dea fontium ». TURN.—Conf. Bacch. III, 3, 44. — *Nimio liquido*, valde clare, i. e. certissime. Cic. Verr. VI, 56 : « confirmare liquido ». Idem Epist. fam. IX, 27 : « liquido negare ». N.

19. *Comit* se, i. e. comitur. Ter. Heaut. II, 2, 11.

Tamen ludere inter nos: strategum te facio huic convivio.
STICH. Nimium lepide in mentem venit: potius in subsellio
Cynice adcipiemur, quam in lectis. SAG. Imo enim heic
heic magis est dulcius.
Sed interim, stratege noster, cur heic cessat cantharus?
Vide, quot cyathos bibimus. STIC. Tot, quot digiti sunt
tibi in manu.
Cantio est Græca: ἢ πέντε πῖν', ἢ τρὶς πῖν', ἢ μὴ τέτταρα.
SAG. Tibi propino decumam a fonte: tibi tute inde, si sapis.

20. *Ludere*. Cf. Mil. II, 2, 9. — *Strategum*. Vide Pers. V, 1, 18.

21. *In subsellio*. In humiliori sede, Cynicorum more. Notum est veteres et Romanos et Græcos, non sedisse ad mensam, sed accubuisse. Quem morem etiamnum plerusque Oriens usurpat. Aliter fuit vetustissimis illis et heroicis temporibus: nam et Homerus heroas suos et procos Penelopes sedentes facit in convivio, et Catullus in nuptiis Pelei. Servi item et sordidi interdum Cynici philosophi ad mensam non accumbebant: quo respexit hic Plautus: imo et liberi ad fulcra lectorum pedesque parentum *sedentes* vescebantur: quasi luxuriæ ritus illi ætati ordinive non decorus. Vulgatus tamen mos erat accumbere in lectis, et hic fere talis: in cœnaculo mensa collocabatur rotunda, humilis, inferiorum quidem hominum tripes, et ex simplici ligno, lautiorum citrea aut acerna, aut lamina argentea intecta; quam pes eburnus fabrefactus, puta in modum pardi aut leonis, sustinebat. Circum mensam tres ut plurimum lecti erant, ex quo Triclinii nomen, vel duo etiam, quod Plautus *Biclinium* vocat. Ii porro lecti instruebantur aulæis, purpura aut alia veste stragula, pro copia aut inopia convivatoris. Id sub horam cœnæ fiebat, quæ erat ut plurimum diei nona. Sed priusquam accumberent, togas mutabant vestibus, quas a re *cœnatoria* dixerunt. Tum etiam soleas pedibus demebant, ne lectum conspurcarent. Occupabant autem terni aut plerumque quaterni unum lectum. Si plures, sordidum habebatur. Ita fiebat, ut ex una communi mensa vix supra XII vescerentur. LIPS.

22. *Magis dulcius*. Vid. Menæch. Prolog. 55.

24. *Quot cyathos*. Pers. V, 1, 19. — *Bibimus*, quot bibere oporteat.

25. *Cantio est græca*, id est, aut quinque bibe, aut tres, aut non quattuor. *Non quattuor* autem, i. e. quinque. Hanc cantionem Eustath. in lib. I Odyss. explicat et Athen. lib. X. LAMB.

26. *Decumam a fonte*. MSS sec. et omnes vett. edd. *decuma*. At MSS pr. *decumam a fonte*, quod valet, aquæ decima parte, auctore Turnebo. At vero Douza, Hanc, inquit, lectionem pro corrupta ducit Lipsius, ac restituendam hoc modo: «Tibi propino decem, affunde tu tibi inde, si sapis».

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.

STICH. Bibe, si bibis. SAG. Non mora erit apud me. STICH. Edepol, convivi sat est,

Modo nostra huc amica adcedat: id abest, aliud nihil abest.

SAG. Lepide hoc actum'st, tibi propino cantharum; vini tu habes.

Nimis vellem aliquid pulpamenti. STICH. Si horum quæ adsunt pœnitet,

Nihil est, tene aquam. SAG. Melius dicis: nihil moror cupedia.

Nihil melius occurrit quam Lipsii conjectura eamque unice probo: « Tibi propino decem: affunde tibi tute inde si sapis ». Dixerat Stichus cantionem esse græcam, ἢ πέντε πῖν', ἢ τρὶς πῖν', ἢ μὴ τέτταρα. Respondet Sagarinus, Ego vero tibi propino decem, quod duplum est, quum illa cantio quinque tantum bibenda pocula ad summum præcipiat. SALM.

27. *Bene vos*, spectatores. Bona verba bibentium solennia.

28. *Bibe, si bibis*. Casin. IV, 1, 7; 4, 1.

29. *Modo nostra a. adc.* Satis erit lautum convivium quum venerit: oportet veniat, antequam ultra genio indulgeamus. — *Id abest*, etc. Præter illam nihil deest.

30. *Lepide hoc actum*. Sagaristio biberat, et propinarat Sticho. Nunc tradit cantharum evacuatum, et ait, « Lepide hoc actum est, tibi propino cantharum »: tu vinum habes, quo iterum impleas. Stichum autem vinum in sua potestate habuisse apparet ex vers. 17, 18. PIST. — *Vini tu habes*. Reponunt *vinum*. Potest intelligi *partes*. An melius: « t. propino; canth. vini h. »? Amph. I, 1: « hirneam vini ».

31. *Pulpamenti*. *Pulpamentum*, obsonium est lautum e pulpa, i. e. parte carnosiore animalis: verbi gratia, quæ pars est posterior in lepore. « Lepus enim (ut scribit Donatus) ex parte sui posteriore pulpamentum præbet ». Hinc illud Livii Andronici dictum, a Terent. Eun. III, 1 usurpatum: « Lepus tute es: et pulpamentum quæris »: verbis tectum, re impudentissimum: quale illud apud Catullum: « Ipse olera olla legit ». MURET. — *Pœnitet*. Mil. III, 1, 143.

32. *Cupedia*. Festus: « Cupes et cupedia antiqui lautiores cibos nominabant ». Cic. Tusc. III: « Ambitio, mulierositas, pervicacia, liguritio, vinolentia, cupedia, etc. » Isidorus: « Cuppes, fastidiosus est et cupidus ». Gloss. *Cupedius*, κνιπός. Et revera κνιπὸς est, quem *fastidiosum* vocamus; qui non multa, ut voratores, sed electilia edit, neque facile invenit quod ad palatum faciat. SCAL.

Bibe, tibicen; age, si quid agis: bibendum, hercle, hoc est, ne nega.
Quid heic fastidis? quod faciendum vides esse tibi, quin bibis?
Age, si quid agis: adcipe, inquam: non hoc inpendet publicum.
Haud tuum istuc est te vereri: eripe ex ore tibias.
ST. Ubi illic biberit, vel servato meum modum, vel tu dato.
Nolo ego nos pro summo bibere; nulli relerimus postea:
Namque, edepol, quamvis desubito vel cadus vorti potest.
SAG. Quid igitur? quamquam gravatus fuisti, non nocuit tamen.

33. *Bibe, tibicen.* Jam vidimus a Pseudolo tibicinem appellatum. Cf. I, 5, 160.

35. *Non hoc inpendet publicum.* Lambinus: hoc poculum, quod te bibere volo, nullum vectigal pensitabit. Acidalius legit: « non impedit hoc publicum »: quia in publico convivium agitatur, in propatulo tibicinem bibere juberi, eoque ipso nihil debere impediri. Gruterus: in eo non sunt sitæ fortunæ publicæ. Accessit postremus, cæteros aliena a Plauti mente scribere præfatus: *Hoc publicum*, i. e. hujus reipublicæ onus tibi non imminet aut incumbit. Ego autem eodem ordine hæc habeo, quo priora, dixisse autem Plautum puto: *Non hoc*, quod sumti facimus, quodque tu in poculo sumes, *impendet*, erogabit, *publicum*: non respublica gravabitur hac impensa: non ærario aut rebus populi decedet hic sumtus, ut sine metu peculatus capere possis. GRON.

36. *Haud tuum istuc est te vereri.* Non decet neque personam neque ordinem tuum, qui tibicen es, genus merobibum et multibibum, verecundari ad sumenda pocula. GRON.—Quæ fama fuerit tibicinibus apud veteres, vide Ovid. Fast. VI, 653-692.

37. *Vel servato meum*, etc. Vel tu strategus convivii, vini imperium inhibeas; vel ego.

38. *Nolo ego nos pro summo.* Hic sensus est hujus loci: Nolo ego nos quasi ultimum, et non amplius postea bibituros, bibere, i. e. nimis avide. SALM. — *Nulli.* Sæpe *nullus* pro nuda negativa *non*.—*Relerimus.* Eugraphius ad Terent. Heaut. III, 1, 51: « Linire est contegere et operire; contrarium est relevi, i. e. aperui ». Cera vel pice aut alio quovis linimento obstruebant os cadorum. Non habebimus postea cados alios, qui reliniantur. N.

39. *Quamvis desubito.* Ipso temporis puncto. Vide Epid, I, 1, 13. Si tantis haustibus combibamus, statim ita vinum absorpserimus, ut inverso cado extrahenda sit ultima guttula. N.

40. *Non nocuit.* Quamquam ægre inductus es tu, tibicen, ad bibendum, non tibi ægre est, postquam bibisti.

Age, tibicen, quando bibisti, refer ad labias tibias;
Subfla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia.
Agedum, Stiche, uter demutassit, poculo multabitur.
STICH. Bonum jus dicis : inpetrare oportet, qui æquom postulas.
Age, ergo observa; si peccassis, multam heic retinebo inlico.
SAG. Optumum atque æquissumum oras. STICH. Hem, tibi hoc primum omnium.
Hæc facetia 'st amare inter se rivaleis duos;
Uno cantharo potare, et unum scortum ducere.
Hoc memorabil' est; ego tu sum, tu es ego; uni animi sumus :
Unam amicam amamus ambo; mecum ubi est, tecum est tamen;
Tecum ubi autem 'st, mecum ibi autem 'st; neuter utri invidet.
SAG. Ohe, jam satis! nolo obcædas; catuli ut ludunt, nunc volo.
Vin' amicam huc evocemus? ea saltabit. STICH. Censeo.
SAG. Mea suavis, amabilis, amœna Stephanium, ad amores tuos

43. *Uter demutassit*, id est, uter nostrum ab hac lege discesserit, pro multa poculum ei auferetur. LAMB.—Excogitatum erat ludi genus post cœnam, quo nun magistri imperio ad bibeudum engebantur, ne nimium ebrietati indulgeretur : sed ut ea coerceretur, nemu, nisi aliqua in re peecarat, ealicem ducebat : ut bibere, pœnæ e: dedecoris esset, nun invitationis aut magisterii. T. — Diffieile credsm bibere eam tali merubibo visam fuisse pœnam.

45. *Multam heic*, elc. Stichus vini cantbarum habet, ergu multam inde auferet illico.

46. *Hem, tibi*, etc. Prununtial se canticum saltaturum, et inde incipit *Hæc facetia 'st*, ete.

49. *Uni animi sumus*. Forte *unanimissumi*. SCRIV.

52. *Nolo obcædas*. Vulgsta *obcædes*, qusm explicant : nolu hic quidquam tragicum et eruentum, quodque cædes imitetur. Sed nihil Stichus cecinit, quod tragieum et cruentum spiraret. Uns medela occurrit *obcædas*, i. e. te contundss, latera eædss, ecfligas, nimiu cantu et saltatinne. — *Catuli ut ludunt*, lasciviunt invicem. Volo colludamus, ne unus tu lusum præbeas.

Foras egredere, satis mihi polchra es. STICH. At enim polcherruma.
SAG. Fac nos hilaros hilariores opera atque adventu tuo.
Peregre advenienteis te expetimus, Stephaniscidium, mel meum;
Si amabilitas tibi nostra placet, si tibi ambo adcepti sumus.

SCENA QUINTA.

STEPHANIUM, SAGARINUS, STICHUS.

STEPH. Morem vobis geram, meæ deliciæ: nam ita me Venus amœna amet,
Ut ego huc jamdudum exissem simitu vobiscum foras,
Nisi me vobis exornarem: nam ita est ingenium muliebre,
Bene quom lauta 'st, tersa, ornata, ficta 'st, infecta 'st tamen;
Nimioque sibi mulier meretrix reperit odium ocius
Sua inmunditia, quam in perpetuom ut placeat munditia sua.
SAG. Nimium lepide fabulata 'st. STICH. Veneris mera 'st oratio,
Sagarine. SAG. Quid est? STICH. Totus doleo. SAG. Totus? tanto miserior.
STEPH. Utrubi adcumbo? SAG. Utrubi tu vis? STEPH. Cum ambobus volo; nam ambos amo.
STEPH. Vapulat peculium; actum 'st, fugit hoc libertas caput.

55. *Satis mihi polchra es.* Supra 19: « amica dum comit ». Vide scen. seq. 3.

4. *Infecta 'st.* Nunquam sibi comta satis videtur.

5. *Nimioque sibi*, etc. Fitque crebrius, ut mulier non comta satis displiceat, quam comta retineat amantem.

10. *Vapulat peculium*, id est, minuitur et dissipatur hic nequitiis. Forte subest ambiguitas in dictione *peculium*, et æs servile et verpam salacem pariter significans.

STEPH. Date mihi locum ubi adcumbam, amabo, siquidem placeo : tum mihi

Cupio cum utroque mihi esse bene. STICH. Dispereo! SAG. Quid ais? STICH. Quid, ego?

SAG. Ita me di ament, nunquam enim fiet hodie, hæc quin saltet tamen.

Age, mulsa mea, suavitudo, salta : saltabo ego simul.

STICH. Nunquam, edepol, me istoc vinces, quin ego ibi pruriam.

STEPH. Siquidem mihi saltandum'st, tum vos date, bibat, tibicini.

STICH. Et quidem nobis. SAG. Tene, tibicen, primum, postidea loci

Si hoc eduxeris, proinde, ut consuetus antehac, celeriter

Lepidam et suavem cantationem aliquam obcipito cinædicam,

Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis : inde huc aquam.

te : sed quid si *Vapula*, *peculium* rescribamus? ad exemplum, inquam, proverbii veteris, *Vapula*, *Papiria*. DOUZA. — Quidquid scribas, significat servulus se suum peculium, ut amicam demereat, profusurum. — *Fugit hoc lib. caput.* Vid. Rud IV, 2, 24.

12. *Dispereo* amore, cupidine. — *Quid ais?* Non eum jubet explicare, quod dixit verbum *dispereo*, quippe quod explicatione non egeat. Sed compellat, quid nunc faciendum censeat. Aulul. IV, 9, 7. N.

15. *Nunquam*, etc. Non facies, ut non pruriam cupidine, licet eam jubeas saltare, ideoque e gremio amoveris.

18. *Eduxeris*, biberis. Amph. I, 1, 274. Ità Germani *herausziehen*.

19. *Cantationem cinædicam* vocat proterviorem libidiniosioremque pruritumque excitantem. TURN.

20. *Usque ex unguiculis.* Ut usque ab extremis partibus corporis toti flagremus ». L. — *Inde huc aquam* infunde, si placet. Cur hæc scena in plures discerpta sit, olim caussam comminisci nullam potui : nunc judicio factum arbitror, ut scilicet actio, inter istas potantium, saltantium, lascivientium molitiones, luculentior et amplior esset, et fabula alias non longa, sic longior fieret. TAUBM. — Sic lubido grammaticorum tulit, nulla Plauti mens quidem, qui fabulas scenis non divisit.

SCENA SEXTA.

EIDEM.

SAG. (ad tibicinem.) Tene tu hoc, educe. Dudum haud placuit potio;
Nunc minus gravate jam adcipit. Tene tu : interim,
Meus oculus, da mihi suavium, dum illic bibit.
Prostibile 'st autem stantem stanti savium
Dare amicum amicæ : euge euge, sic furi datur!
Quid igitur? quamquam gravatus, non nocuit tamen.
Age jam infla buccas. STICH. Nunc jam aliquid suaviter.
Redde cantionem veteri pro vino novam.

SCENA SEPTIMA.

EIDEM.

SAG. Qui Ionicus aut cinædicus, qui hoc tale facere possiet?

4. *Prostibile. Meretrix*, quæ et *quæstuaria*, πρακτική, bonestioris loci erat, quam *prostibulum*; quum illa tantum uocte (hinc *noctes* passim, pro concubitu et furto venereo) sui copiam faceret : hoc vero etiam die se publice et ubivis prostituebat. FRONTO.

5. *Furi datur*, quod datur clam et propere. GRUT.

1. *Qui Ionicus aut*. Specimen saltandi, dum hæc caneret, Sagarinus ipse præbebat. Hic *cinædici* nomen non esse infamis nefandique probri, a Nonio est annotatum; sed in saltatore poni : ut et mox « cinædus contra Staticulis stare nobis non magis potis est, quam fungus imbri » : tamen et enervem fractumque et velut exossem tripudiatorem, eo nomine intelligi crediderim : quum in Aulul. III, 2 scribatur : « Ita fustibus sum mollior miser magis, quam ullus cinædus ». *Ionicum* quoque *saltatorem* fere molliculum et effeminatum, delicatiusque se moventem, interpreter : ut apud Horat. Od. III, 6 : « Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo » ; tum, quod Ionum mores et saltationes petulantiores erant; tum, quod (si id e propinqua repeti insula placet, nec in Asiam navigari) Siculi saltationem quamdam, ut reor, blandam et voluptariam in honorem Dianæ celebrabant, *Ionicam* vocatam. Pollux Onomast. lib. IV, cap. 14 : τὰ δὲ

Si istoc me vorsu viceris, alio me provocato:
Fac tu hoc modo. STICH. At tu hoc modo. SAG. Babæ!
STICH. Tatæ! SAG. Papæ! STICH. Pax!
SAG. Nunc pariter ambo: omneis voco cinædos, contra
Satis esse nobis non magis potis est, quam fungo imber.
Intro hinc abeamus: nunc jam saltatum satis pro vino'st.
Vos, spectatores, plaudite, atque ite ad vos comisatum.

ἰωνικὸν Ἀρτέμιδι ὠρχεῦντο Σικελιῶται μάλιϛα. Quum autem, ut a Plutarchu scriptum est in Symposiacis, tres sint saltatiuuis partes, φορὰ, σχῆμα et δεῖξις, *Motus*, *Gestus* et *Demonstratio*, *Staticulos* ad quietem, quæ in gestu et statu est et in demunstratioue, pertinere crediderim, nec, ut upiuor, injuria: *vorsus* ad motum. Est euim *versus et orbis saltatorius*, species quædam mutus, cujus multa genera tripudiatures frequeutaut: sed iidem etiam sæpe se versant, in orbemque rotant. TURN.

2. *Istoc vorsu* corporis.

3. *Tatæ*. Ἐκφώνησις ἀρχαϊκή. Ch. — *Pax!* Mil. III, 1, 213.

4. *Voco*, provocu. — *Contra satis esse*. Sufficiat nemo certando nubiscum, æque ac imber fuugo nun potest. Ut nun imbre fungus, sic nos certautibus nunquam viucemur.

7. *Ite ad vos*. Multi *ad nos*. Facetissima et certissima est correctiu: « atque ite ad vos comessatum ». Plaudere jubet spectatures Stichus, et ire comessatum; nun tamen in hoc suum convivium, sed ad semetipsos. Sulent quidem spectatores et alibi vocari, sed per jocum et ublique, nunquam serio et nuucupatim: tum vero semper eluditur illa vocatiu rejectione in aliud tempus; Pseudulu, Rudente. ACIDAL.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
TRINUMUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

LUXURIA.
INOPIA.
MEGARONIDES, } senes.
CALLICLES, }
LYSITELES, adolescens.
PHILTO, senex.
LESBONICUS, adolescens.
STASIMUS, servus.
CHARMIDES, senex.
SYCOPHANTA.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*T*HESAURUM abstrusum abiens peregre Charmides
*R*emque omnem amico Callicli mandat suo.
*I*stoc absente, male rem perdit filius;
*N*am et ædeis vendit: has mercatur Callicles.
*V*irgo indotata soror istius poscitur; 6
*M*inus quo cum invidia ei det dotem Callicles,
*M*andat qui dicat aurum ferre se a patre.
*U*t venit ad ædeis, hunc deludit Charmides
*S*enex, ut rediit; quojus nubunt liberi.

2. *Remque omnem* familiarem suam. — *Mandat* curandam.

3. *Istoc*, Charmide patre.

6, 7. *Minus ... Mandat.* Duo qui litera *m* continui incipiunt, recentiorem Plautina orthographiam v. *Trinumus* adfingunt. Ἁμάρτημα grammatici, quicumque hæc acroaticha Plauto supponere voluerit. — *Mandat* sycophantam.

8. *Venit* sycophanta.

9. *Nubunt*, partim inconvenienter dictum, nempe de adolescente Lesbonico.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Hæc fabula et elegans est, et exemplum boni ac fidelis amici proponit; et abundat utilibus sententiis. Commendarat liberos suos et rem familiarem senex, ad mercatum abiens, amico. Interea aliis absumtis, ædes etiam paternas venditurus erat filius perditus. In illis ædibus thesaurus defossus erat: id quia senex is, cujus fidei omnia commissa fuerant, sciebat, præmercatur ædes. Hoc nomine quum male audiret vulgo, castigatur ab amico quodam suo verbis. Sed facile defendit se, re explicata. Petebatur autem in matrimonium filia absentis senis ab adolescente nobili et divite; cui quærunt duo senes quomodo dotem dare possint, quum non vellent thesaurum indicare: et devenitur ad fallaciam hanc, ut allegent quemdam, qui quasi a patre virginis adveniat, et aureos philippos cIɔ afferat. Hunc forte rediens ante ædes convenit ille senex pater virginis, et ignarus omnino, quid rei sit, miratur. Idem cognoscit amicum suum emisse ædes, et fert inique. Sed mox omnibus exploratis, et fidem illius collaudat, et filiam adolescenti illi, cui erat desponsa, tradit; et filio ignoscit.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

TRINUMUS.

PROLOGUS.

LUXURIA ET INOPIA*.

LUX. SEQUERE me, mea gnata, ut munus fungaris tuum.
INOP. Sequor; sed finem fore quem dicam, nescio.
LUX. Adest: hem, illæ sunt ædeis; i intro nunc jam. (Inopia it intro.)
Nunc, ne quis erret vostrum, paucis in viam
Deducam, siquidem operam dare promittitis.
Nunc primum igitur, quæ ego sim, et quæ illa hæc siet,
Huc quæ abiit intro, dicam, si animum advortitis.
Primum mihi Plautus nomen Luxuriæ indidit;
Tum hanc mihi gnatam esse voluit Inopiam.
Sed ea huc quid introierit inpulsu meo,

* *Luxuria et Inopia.* Trinumo διπρόσωπον fecit Plautus Prologum, quem sane queas ἠθικὸν appellare, accommodatis ad adolescentis nequitiam personis *Luxuriæ* atque *Inopiæ*. Quemadmodum in Rud. *Arcturi*, in Aulul. *Laris familiaris*. SCALIG.

2. *Quem dicam.* Conf. Mil. IV, 5, 2, et Pseudol. II, 4, 51.

3. *Adest.* Lego *Ades*, vel certe, *Adesto*: nam ad se eam verbis et gestu trahit, ut in domum Lesbonici intrudat. J. GULIELM.—*Adest* finis; sententia per se satis liquet et constat.

5. *Operam dare.* Conf. Curcul. II, 2, 9.

Adcipite, et date vacivas aureis, dum eloquor.
Adulescens quidam 'st, qui in hisce habitat ædibus;
Is rem paternam me adjutrice perdidit.
Quoniam ei, quî me aleret, nihil video esse reliqui,
Dedi meam gnatam, quicum ætatem exigat.
Sed de argumento ne exspectetis fabulæ:
Senes qui huc venient, hi rem vobis aperient.
Huic nomen græce est Thesauro fabulæ:
Philemo scripsit, Plautus vortit barbare;
Nomen Trinumo fecit: nunc hoc vos rogat,
Ut liceat possidere hanc nomen fabulam.
Tantum'st: valete, adeste cum silentio.

14. *Quoniam*, id est, postquam. Non enim ratio datur, cur adolescens rem perdiderit: sed illa perdita, postquam nil superfuit, ei filiam suam Luxuria dicitur junxisse. Inf. I, 2, 112. Acid.

15. *Meum gnatam, quicum. Quicum* et *quocum* utrumque indeclinabile, tam plurali quam singulari numero, ablativi loco positum, omnibusque adeo generibus ἀδιαφορῶς accommodari potest: illi autem peccant largiter, qui pro *quicum* usurpare *quibuscum*, vel etiam *queiscum*, in pluralibus dativis ausi. Douza.—Vide Obs. II, 6. Gron.

19. *Philemo.* Menander et Philemo Thesaurum scripserunt, quam Plautus vertit, et *Trinumum* inscripsit. — *Vortit barbare*, i. e. latine: nam *Barbari* dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Græcis, ut ait Festus. Vid. Prol. Asin. Ern.

22. *Tantum 'st.* Merc. II, 2, 12.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

TRINUMUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

MEGARONIDES.

NÆ amicum castigare ob meritam noxiam,
Inmune est facinus; verum in ætate utile
Et conducibile : nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro conmerita noxia,
Invitus, ni me id invitet ut faciam fides.
Nam hic nimium morbus mores invasit bonos;
Ita plerique omneis jam sunt intermortui.

2. *Inmune*. Nonins quidem, « Inmune, sine officio, sine munere », interpretatur: quasi *officioso* contrarium. Festus contra pro *improbo* dictum snmere videtur. *Inmune facinus* nihil aliud fuerit, quam ingratum benefactum, sive officium; parumque adeo ex lubidine ejus, cuja res agitur, et ad quem castigatio illa peculiariter pertinet. DOUZA. — Veteribus grammaticis *Munes* dicti amici, qui gratificabantur suis. Lucil. apud Nonium: « Munifices munesqne amicis nostris videamur viri ». Sc. GENTIL. — *In ætate*, id est, interdum, vetere et eleganti genere dicendi. Turneb. XV, 11, et XXVI, 16, ntitnr et inf. II, 4. — *In ætate*, iu vita.

5. *Invitus, ni me invitet*. Invitus quidem enm castigabo : sed fides, quam amico debeo, snadet cogitqne ut id faciam. LAMB.

Sed dum illi ægrotant, interim mores mali,
Quasi herba inrigua, subcreverunt uberrume;
Neque quidquam hinc vile nunc est, nisi mores mali.
Eorum licet jam messem metere maxumam,
Nimioque heic pluris pauciorum gratiam
Faciunt pars hominum, quam id, quod prosit pluribus.
Ita vincunt illud conducibile gratiæ;
Quæ in rebus multis obstant, odiosæque sunt,
Remoramque faciunt rei privatæ et publicæ.

SCENA SEUCNDA.

CALLICLES, MEGARONIDES.

CALL. Larem corona nostrum decorari volo.
Uxor, venerare, ut nobis hæc habitatio
Bona, fausta, felix, fortunataque eveniat;
Teque ut quam primum possim, videam emortuam.
MEG. Hic ille est, senecta ætate qui factu'st puer,
Qui admisit in se culpam castigabilem.
Adgrediar hominem. CALL. Quoja vox prope me sonat?
MEG. Tui benevolentis, si ita es, ut ego volo;

12. *Nimioque heic pluris.* Pars hominum multo mavult gratiam iuire a paucioribus, potentibus scilicet et divitibus, quam *pluribus*, id est, reip. prodesse. LAMB.

1. *Larem corona.* Callicles absentis amici Charmidæ domum, quam emerat a Lesbonico filio, immigrans mandat uxori, ut domesticum deum, qui custos ædium habebatur, exornet corona; quæ quidem in Latio e spicis et aristis, in Græcia e platano fiebat: eumque ut precetur, istam fortunet habitationem. Quod ex formula, quam præfabantur, ominis causa sumtum, « quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit ». Lares ejusmodi floreis sertis redimitos, Tibullus lib. II, el. 1, *ornatos deos* vocat. TAUBM.

2. *Venerare.* Bacch. II, 1, 4.

4. *Teque ut*, etc. Vide Asinar. V, 2, 36.

5. *Senecta ætate.* Ita *senectum corpus* dixit Sallust. Hist. IV, et *senecta membra*, Lucret. III. Vide Amph. IV, 2.

8. *Tui benevolensis.* Conf. Bacch. III, 3, 71.

Sin aliter es, inimici atque irati tibi.
CALL. O amice, salve, atque æqualis. Ut vales,
Megaronides? MEG. Et tu, edepol, salve, Callicles.
Valen'? valuistin'? CALL. Valeo, et valui rectius.
MEG. Quid agit tua uxor? ut valet? CAL. Plusquam ego volo.
MEG. Bene, hercle, est, illam tibi bene valere et vivere.
CALL. Credo, hercle, te gaudere, si quid mihi mali est.
MEG. Omnibus amicis quod mihi est, cupio esse idem.
CALL. Eho, tua uxor quid agit? MEG. Inmortalis est.
Vivit, victuraque est. CALL. Bene, hercle, nuntias,
Deosque oro, ut vitæ tuæ superstes subpetat.
MEG. Dum quidem, hercle, tecum nubta sit, sane velim.
CALL. Vin' commutemus? tuam ego ducam, et tu meam?
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
MEG. Namque enim tu, credo, mihi inprudenti obrepseris.
CALL. Næ tu, hercle, faxo haud scies quam rem egeris.
MEG. Habeas, ut nanctus; gnota mala res, optuma 'st.

11. *Et tu, edepol, salve.* Donatus ad illud Hecyr. I, 2: « Salve mecastor » notat olim salutantes addidisse jusjurandum, ut sedulo hoc facere viderentur. GRON.

12. *Valui rectius.* Jocorum captator senex ludit aliud respondens atque rogabatur. Nam formula solennis erat aliquem compellantium, non modo hæc « ut vales? », sed etiam « ut valuisti? » scilicet his proximis diebus, quibus te non vidi. Callices vero intelligere se simulat *olim juventa.* N.

13. *Quid agit?* Aulul. I, 2, 39.

15. *Credo, hercle*, etc. Cf. Amph. II, 2, 206; Aulul. II, 1, 16.

19. *Vitæ tuæ*, i. e. tibi, ut *ætati tuæ* vulgo, Menæchm. IV, 3, 1.— *Superstes*, usque vivens adsit tibi. Cave intelligas quasi optaret, ut amico uxor superviveret. Cf. Asin. I, 1, 6, et Casin. IV, 4, 2.

22. *Faxo.* Captiv. III, 5, 31.— *Haud tant. verb. ded.* non fraudatus ero commutatione.

23. *Namque*, etc. Gruter. *Neque enim*, etc. ex una, ut ait, Parisina admisit, quum ceteræ ei MSS: *Namque enim tu.* Camerar. et Lambinus: *Nunquam tu.* Sed retinenda erat vetus lectio *Namque enim*, ut sæpe alibi, *Quia enim.* Deinde compendium est loquendi, in quo reticetur, quid facere nolis aut velis, exposita solum ratione, cur id facere velis aut nolis: quod alibi prolatis exemplis enarravimus. Perinde est igitur ac si dicat: Nolo commutare: nam si fecero, tum, opinor, me necopinantem circumveneris, priore transmissa. GRON. — *Inprudenti obrepseris*, inscientem fefelleris. ERN.

25. *Ut nanctus*, qualem accepisti.

Nam ego nunc si ignotam capiam, quid agam, nesciam.
Edepol, proinde ut bene vivitur, diu vivitur.
Sed hoc animum advorte atque aufer ridicularia :
Nam ego dedita opera huc ad te advenio. CALL. Quid venis?
MEG. Malis te ut verbis multis multum objurgitem.
CALL. Men'? MEG. Num quis est heic alius præter me atque te?
CALL. Nemo est. MEG. Quid igitur rogitas, tene objurgitem?
Nisi tute mihi me censes dicturum male.
Nam si in te ægrotant arteis antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus,
Aut si demutant mores ingenium tuum,
Neque eos antiquos servas, ast captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Ut te videre audireque ægroti sient.
CALL. Quî in mentem venit tibi, istæc dicta dicere?
MEG. Quia omneis bonos bonasque adcurare addecet,
Subspicionem et culpam ut ab se segregent.
CALL. Non potest utrumque fieri. MEG. Quapropter?
CALL. Rogas?
Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori :

27. *Proinde, ut*, etc. Non vivit, qui misere vivit; nedum diu vivit. LAMB.

34. *Si in te agrotant arteis. Artes* hoc loco ea sunt, quæ Græcis ἐπιτηδεύματα, id est, *instituta, quæ studiose sectamur.* Ita Terent. Andr. I, 1, *artes* appellat fidem et taciturnitatem : quod Donatus laudat, quum antiqui *artes* et vitia et virtutes vocarint. Ita Horat. Od. III, 3, *artes* vocat justitiam et constantiam. Sed et Aristoteles II Nicom. τῶν τεχνῶν nomine virtutes amplectitur. MURET.

35. *Ingenium*, indolem. — *Moribus* tuis, casu dandi positum.

36. *Mores.* Contagio morum seculi hujus. Seneca : « desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia mores sunt ».

38. *Morbum*, dolorem, Asin. I, 1, 40. Vide Bacch. III, 1, 10-14.

39. *Audireque* te malo rumore famosum. Vide inf. vs. 62-66.

44. *Meo sum promus pectori.* Erasmus in Ep. « Innocentem me præstare possum; quid homines de me loquantur, non possum ». GRON. — Ut promus e promtuaria cella, sic quisque e suo pectore, quid sibi potius videatur, arbiter est educendi, sive bonus, sive malus esse velit. N.

Subspicio est in pectore alieno sita.
Nam nunc ego si te subripuisse subspicer
Jovi coronam de capite, e Capitolio,
Quod in culmine adstat summo, si id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat subspicarier,
Quî tu id prohibere me potes, ne subspicer?
Sed istuc negoti scire cupio, quidquid est.
MEG. Haben' tu amicum aut familiarem quempiam
Quoi pectus sapiat? CALL. Edepol, haud dicam dolo:
Sunt, quos scio esse amicos; sunt, quos subspicor;
Sunt, quorum ingenia atque animos non possum gnoscere,
Ad amici partem, an ad inimici perveniant.
Sed tu ex amicis certis mi es certissumus.
Si quid scis me fecisse inscite aut inprobe,
Si id me non adcusas, tute ipse objurgandus es. MEG.
 Scio;
Et, si alia huc causa ad te adveni, æquom postulas.
CALL. Exspecto si quid dicas. MEG. Primumdum omnium,
Male dictitatur tibi volgo in sermonibus:
Turpilucricupidum te vocant civeis tui.
Tum autem sunt alii, qui te volturium vocant;
Hosteisne an civeis comedis, parvipendere.
Hæc quom audio in te dicier, excrucior miser.

47. *Jovi coronam*. Vide Menæch. V, 5, 38. ERN.

48. *Si*, etiamsi.

53. *Haud dicam dolo*, ut vere dicam.

59. MEN. *Scio; Et, si alia*. Scio, inquit Megaronides, officium meum esse ut te objurgem, si quid peccasti: nec recuso a te objurgari: sed æquum postulas, si ego alia de causa, quam ut tua tibi delicta indicem, processi. PISTOR.

61. *Primumdum*. Amph. V, 2, 5.

64. *Volturium*. *Vultur*, seu *vulturius*, avis est rapax. Senem igitur ob avaritiam, atque inexplebilem naturam ac sordes, commune senectutis malum, vulturium vocat. Cicero Pison. « Appellatus est hic Vulturius illius provinciæ (si diis placet) imperator ». Ibid. « Scaurus vulturius reip. » TAUBM.

65. *Hosteis an civeis*. Hostes e Varrone, *peregrinos* interpretor: ut Rud. II, 4, et Curcul. I, 1. GRON. — *Comedis*. *Comedim* pro *comederim* antiquum.

66. *Miser*. Rud. II, 3, 66.

CALL. Est, atque non est, mihi in manu, Megaronides:
Quin dicant, non est; merito ut ne dicant, id est.
MEG. Fuitne hic tibi amicus Charmides? CALL. Est, et fuit.
Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo.
Nam postquam hic ejus rem confregit filius,
Videtque ipse ad paupertatem protractum esse se,
Suamque filiam esse adultam virginem,
Simul ejus matrem, suamque uxorem mortuam;
Quoniam hinc iturus est ipse in Seleuciam,
Mihi conmendavit virginem gnatam suam,
Et rem suam omnem, et illum conruptum filium.
Hæc, si mihi inimicus esset, credo, haud crederet.
MEG. Quid tu adulescentem, quem esse conruptum vides,
Qui tuæ mandatus est fidei et fiduciæ,
Quin eum restituis? quin ad frugem conrigis?
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius,
Si quî probiorem facere possis, non uti
In eamdem tute adcederes infamiam,
Malumque ut ejus cum tuo misceres malo.
CALL. Quid feci? MEG. Quod homo nequam. CALL. Non istuc meum'st.
MEG. Emistin' de adulescente has ædeis? quid taces?
Ubi nunc tute habitas. CALL. Emi, atque argentum dedi,

68. *Quin dicant*, etc. Quasi dicat: Ut mihi ne male dicant homines, prohibere non possum; neque enim id in manu et potestate mea est: hoc vero possum, ut ne merito meo dicant: itaque ait: « Est, atque non est, etc. » Muret. Var. Lect. XV, 12. GRON.

69. *Hic.* Cistell. I, 2, 14.

70. *Rem tibi auctorem dabo.* I. e. re ipsa ostendero. Manil. lib. II: « Ipsi res operi faciet pondusque fidemque ». GRON.

71. *Hic.* Vs. 69.

72. *Ipse*, Charmides.

75. *Iturus in Seleuciam*, scilicet mercatum, unde rem affectam restitueret. Cf. Terent. Adelph. III, 3, 31; Heaut. I, 1, 59.

81. *Quin eum rest.* Quin eum perditum servare tentabas?

83. *Si quî*, si quo pacto. L.

88. *Ubi nunc tute habitas.* Ita hoc sine interrogatione legendum: nam cohæret cum illis: Emistin' de adolescente has ædes? scilicet ubi nunc tute habitas. Qui enim tam amicus nescierit ubi Callicles ha-

Minas quadraginta adulescenti ipsi in manum.
MEG. Dedisti argentum? CALL. Factum; neque facti piget.
MEG. Edepol, fidei adulescentem mandatum malæ.
Dedistine hoc pacto ei gladium, quî se occideret?
Quid secus est, aut quid interest dare te in manus
Argentum amanti homini adulescenti, animi inpoti,
Quî exædificaret suam inchoatam ingnaviam?
CALL. Non ego illi argentum redderem? MEG. Non redderes:
Neque de illo quidquam neque emeres, neque venderes;
Nec, quî deterior esset, faceres copiam.
Inconciliastin' eum qui mandatu'st tibi?
Ille qui mandavit, eum exturbasti ex ædibus?
Edepol, mandatum polchre, et curatum probe!
Crede huic tute; suam jam melius rem gesserit.
CALL. Subigis maledictis me tuis, Megaronides,
Novo modo adeo, ut quod meæ concreditum'st
Taciturnitati clam, fidei et fiduciæ,
Ne enuntiarem quoiquam, neu facerem palam;
Uti mihi necesse sit jam id tibi concredere.
MEG. Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris.
CALL. Circumspicedum te, ne quis adsit arbiter
Nobis; et quæso identidem circumspice.
MEG. Ausculto, si quid dicas. CALL. Si taceas, loquar.
Quoniam hinc est profectus peregre Charmides,

bitel, qui hac occasione in castigationem illius prosilnit? TAUBM.

95. *Quî exædificaret.* Tralatio qua et Cicero utitur ad Attic. pro consummaret et perficeret. TAUBM. —*Ingnaviam.* Ut industria pro virtute, sic ignavia pro luxuria et vitiis, apud veteres. Vide Catull. LI, 15: « Otium reges et urbes perdidit ».

96. *Redderem.* Pers. IV, 6, 28.

99. *Inconciliastin' eum.* « Nonne per dolum decepisti? » FEST. — *Inconciliare* est dissipare, separare, divellere, quandoque vendere: antiquis quoque decipere. ALCIAT. —Vide Mostell. III, 1, 81.

100. *Ille qui.* Mostell. I, 3, 93.

102. *Tute.* Mil. IV, 3, 24. Figura secundæ personæ quemlibet compellat. Pers. IV, 3, 70.

108. *Sumes.* Jocolus ex ambiguo. Inde petes, tanquam depositum quoddam. LAMB.

109. *Arbiter.* Captiv. II, 1, 24.

112. *Quoniam*, i. q. quando.

Thesaurum mihi demonstravit in hisce ædibus,
Heic in conclavi quodam : sed circumspice.
MEG. Nemo est. CALL. Numorum philippeûm ad tria millia.
Id solus solum, per amicitiam et per fidem,
Flens me obsecravit, suo ne gnato crederem,
Neve quoiquam, unde ad eum id posset permanascere.
Nunc si ille huc salvos revenit, reddam suom sibi;
Si quid eo fuerit, certo illius filiæ,
Quæ mihi mandata est, habeo dotem unde dem,
Ut eam in se dignam conditionem conlocem.
MEG. Pro di inmortaleis, verbis paucis quam cito
Alium fecisti me! alius ad te veneram.
Sed ut obcepisti, perge porro proloqui.
CALL. Quid tibi ego dicam? quî illius sapientiam
Et meam fidelitatem, et celata omnia
Pæne ille ingnavos funditus pessum dedit.
MEG. Quîdum? CALL. Quia rure dum sum ego unos sex dies,
Me absente atque insciente, inconsultu meo,
Ædeis venaleis hasce inscribit literis.
MEG. Adesurivit magis, et inhiavit acrius
Lupus : observavit, dum dormitaret canes,

117. *Crederem*, notum facerem.

120. *Si quid eo fuerit*, id est, si mortuus fuerit. Ennius (ed. Hessel. p. 51) : « Si quid me fuerit humanitus ». N.

122. *Dignam conditionem*. Matrimonium splendore familiæ suæ dignum. Aulul. II, 1, 60.

124. *Alium...alius*, i. q. alium... atque.

126. *Illius*, patris.

128. *Ille*, Lesbonicus filius. — *Ingnavos*. Vid. vs. 95.

131. *Inscribit*. Veteri more venalia prædia *proscribebantur*, id proposito divulgatoque libello venum ire, venumque exponi significabantur. Ita hic Plautus, ita Cic. Off. III : « Claudius ædes, quas in Cælio monte habebat, proscripsit, insulam vendidit ». Quin et hoc idem in locandis ædibus servatum deprehendi, ut pendente de ædibus tabula proscriberetur facienda locatio. Terent. Heaut. « Inscripsi illico ædes mercede ». Cic. ad Att. lib. XVI : « Iste locare incipit, non proscripta neque edicta die ». BRISSON.

133. *Canes*, archaice i. q. canis.

Gregem universum voluit totum avortere.
CALL. Fecisset, edepol, ni hæc præsensisset canes.
Sed nunc rogare ego vicissim te volo,
Quid fuit opficium meùm me facere, face sciam.
Utrum indicare me ei thesaurum æquom fuit,
Advorsum quam ejus me obsecravisset pater?
An ego alium dominum paterer fieri hisce ædibus?
Qui emisset, ejus essetne ea pecunia?
Emi egomet potius ædeis, argentum dedi
Thesauri causa, ut salvom amico traderem.
Neque adeo hasce emi mihi, nec usuræ meæ:
Illi redemi rursum: a me argentum dedi.
Hæc sunt, seu recte, seu pervorse facta sunt;
Egomet fecisse confiteor, Megaronides.
Hem mea malefacta, hem meam avaritiam tibi.
Hascine me propter res maledicta disferunt?
MEG. Pausa; vicisti castigatorem tuum:
Obclusti linguam; nihil est quî respondeam.
CALL. Nunc ego te quæso, ut me opera et consilio juves,
Conmunicesque hanc mecum meam provinciam.
MEG. Polliceor operam. CALL. Ergo ubi eris paulo post?
MEG. Domi.

134. *Avortere*, i. q. rapere. Lucan. III, 150, VI, 585.

135. *Hæc*. Capt. I, 2, 49.

137. *Quid fuit*, etc. I. e. quid licuit me facere (quod esset) officium? N.

141. *Ejus essetne*. Thesaurus enim in re emta inventus, cedit emptori. TAUBM.

144. *Usuræ*, i. e. usui.

145. *Illi*, Charmidi. — *A me*. Menæchm. III, 3, 21.

148. *Hem*. Capt. II, 3, 13.

149. *Hascine me propter*. Conjicio: « Hascine mi propter res maledicta famas ferunt? » SCRIV. — *Maledicta disferunt*. Est recentiorum. Nam MSS et vett. edd. « Hascine me propter res maledictas famas ferunt ». Sic et Academicus. Unde faciendum potius, « maledicæ famæ ferunt », vel « maledicis famis ferunt », diximus Observ. IV, 3. GRON.

150. *Pausa*. Pers. V, 2, 37.

153. *Conmunicesque hanc*. Non est mutandum: nam *communicare* aliquid cum aliquo dicitur, non solum qui suam rem communem facit, sed etiam qui alterius rem ut communem suscipit: ut notavimus Obs. IV, 3. GRON.

CALL. Numquid vis? MEG. Cures tuam fidem. CALL. Fit sedulo.
MEG. Sed quid ais? CALL. Quid vis? MEG. Ubi nunc adulescens habet?
CALL. Posticulum hoc recepit, quom ædeis vendidit.
MEG. Istuc volebam scire : i sane nunc jam.
Sed quid ais? CALL. Quid? MEG. Nunc virgo nempe apud te est? CALL. Ita, est :
Juxtaque eam curo cum mea. MEG. Recte facis.
CALL. Num, priusquam abeo, me rogaturus? MEG. Vale.

(Callicles abit.)

Nihil est profecto stultius, neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quam urbani assidui civeis, quos scurras vocant.
Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho,

155. *Numquid vis?* Amph. I, 3, 44. — *Cures tuam fidem.* Serves tuam famam. Vid. infra II, 1, 35.

156. *Sed quid ais?* Aul. IV, 9, 7.—*Habet*, id est, habitat. Aulul. Prol. 5.

157. *Posticulum hoc recepit.* I. e. posteriorem domus partem *exceptam fecit*, Nonius : vel (ut Gell. XVII, 6). *Recipere* antiquum verbum juris est. Cic. lib. II de Orat. « Dicet, te quum ædes venderes, ne in rutis quidem et cæsis solium tibi paternum recepisse » : quibus locis *recipere* pro *excipere* usurpatur. BUDÆUS.

160. *Juxtaque.* Aul. IV, 7, 1.

163. *Argutum*, multisonans, lingua celere.

164. *Perjurius.* Mil. I, 1, 21.

165. *Urbani adsidui civeis. Adsiduus* non hic, ut in duodecim Tabulis pro homine locuplete, de quo Gellius lib. XVI, cap. 10 : sed junctim *urbani adsidui*, qui perpetuo urbis solum terunt, non majorem partem rusticantur, ut honestissimi quique Romanorum. Vide de pecun. vet. lib. IV, c. 9. GRON. — *Scurras.* Epid. I, 1, 13.

166. *Una ibidem traho.* Innuit sese jure iisdem accensendum esse, quos modo exagitaverat scurras; aut saltem ab eorum moribus non adeo longe abesse, quod tam faciles eorum stultiloquentiæ aures dedisset. Item inf. II, 4, ubi Lesbonicus cum servo rationem putat, quibus in rebus XL minas sumsiset, respondet, *ibidem una traho :* quibus significat, se ibidem esse, et in eo, quantum scortis datum esset, supputando, etiam occupari. Tractum videri possit a vetulis pompæ alicui longæ immixtis, unaque cum aliis reptantibus. TAUBM.

Qui illorum verbis falsis adceptor fui :
Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Sciunt id, quod in aurem rex reginæ dixerit;
Sciunt id, quod Juno fabulata est cum Jove;
Quæ neque futura, neque facta, illi tamen sciunt.
Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt; dum illud, quod lubeat, sciant.
Omneis mortaleis hunc aibant Calliclem
Indignum civitate hac esse et vivere,
Bonis qui hunc adulescentem evortisset suis.
Ego de eorum verbis famigeratorum inscius
Prosilui amicum castigatum innoxium.
Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas,
Unde quidquid auditum dicant, nisi id adpareat,
Famigeratori res sit cum damno et malo :

167. *Adceptor*, id est, adprobator. Lamb.

168. *Qui omnia se simulant*, etc. Vix puto quidquam de *curiosis* ἐνεργέστερον potuisse dici. Simul et illud notandum, quod ait de Junonis cum Jove colloquio, in eo ad Theocriti versum de curiositate mulierum videri Plautum allusisse : Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥρην. Canter.

170. *Rex reginæ*. Credo hunc versum e græco descriptum. Philemo scripsit, quo tempore Atheuis cum regibus crebra res erat. Hoc loco, ut opinor, rex non opulentum quemlibet hominem significaverit, nisi hoc versus sequentis glossema irrepserit. N.

172. *Neque facta*, etc. Vulgo, « neque facta sunt, tamen illi sciunt », inconcinne. Bothius scribit : « neque facta, illi tam sciunt ». Malumus *tamen* monosyllabum, ut sæpe fit. N.

180. *Usque ab stirpe auctoritas*. Hoc est, primus auctor. Cicero de Divin. lib. I : « Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, observarunt ». *Ab stirpe*, ut apud Ciceronem *ab stirpe interire*, apud Gellium *ab stirpe convellere*. Gron.

181. *Quidquid*, quidque. Si exquiratur auctor, unde quidque audiverint, quod dicant, et nisi id compertum sit.

182. *Famigeratori res sit cum*. Usitatum loquendi genus, in litibus et judiciis maxime, « Res mihi cum eo est ». De quibus hic Plautus quum ageret, occasionem sumsit lepidissimi joci, « Res cum malo ei sit » : pro quo usitate dicimus, « Malum habeat ». J. Gul. — *Famigeratori res sit*. MSS, *Famigerator*

Hoc ita si fiat, publico fiat bono.
Pauci sint faxim, qui sciant, quod nesciunt;
Obclusioremque habeant stultiloquentiam.

ire sit. Lege : *Famigerator ille sit.* Scriver. — Forsan *res sit cum malo* simplicius feret *res sit damno illi*, i. e. oporteat, velim, mendacium mendaci damnum afferat; ut sæpe *cum cruciatu, cum malo* dictum. N.

184. *Faxim.* Capt. Prol. 65.

185. *Habeant* illi famigeratores, non hi pauci.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

LYSITELES.

MULTAS res simitu in meo corde vorso, multum in cogitando
Dolorem indipiscor; egomet me concoquo, et macero, et defetigo.
Magister mihi exercitor animus hinc est : sed hoc non liquet,
Nec satis cogitatum 'st, utram potius harum mihi artem expetessam,
Utram ætati agundæ arbitrer firmiorem : amorin' me, an rei
Obsequi potius par siet; utra in parte plus voluptatis sit vitæ
Ad ætatem agundam. De hac re mihi satis haud liquet : nisi hoc
Sic faciam, opinor; utramque rem simul exputem; judex sim,
Reusque ad eam rem. Ita faciam! ita placet! Omnium primum,

1. *Simitu*, veteribus i. q. simul. — *In cogitando*. Vid. Stich. I, 1.

3. *Exercitor animus hinc est*. Scitum est, qui græce παιδοτρίβης dicitur, *magistrum exercitorem* appellari. Exercitores, Græcis *progymnastæ* erant : quos Plinius in Paneg. et Seneca Epist. 15, *Græculos magistros* appellat. TURN. — *Animus exercitor*, idem aliis verbis quod priore utroque vs. Vid. II, 2, 24-31.

4. *Artem*, vitæ institutum. — *Rei*, comparandis divitiis.

7. *Nisi*. Aulul. IV, 10, 75; Cas. V, 2, 34. — *Faciam*, futuro positum. N.

Amoris arteis eloquar, quemadmodum expediant: nuuquam
Amor quemquam nisi cupidum hominem postulat se in plagas
Conjicere; eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur; ab re
Consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus,
Elegans, despoliator, latebricolarum hominum conruptor,
Blandus, inops, celati indagator: nam qui ab eo, quod amat,
Quam extemplo saviis sagittatis percussus est, inlico res foras
Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes.
Ibi ille cuculus: Ocelle mi, fiat! et istuc, et, si amplius vis dari,

11. *Amor.* Quo facilius sequentia intelligas, amorem hunc esse meretricium memineris. — *Postulat se*, etc. Casin. II, 2, 22, 23. — *Plagas*, retia.

12. *Eos cupit*, etc. Scil. cupidos homines. Significat cordatus adolescens, Amorem ea cupidis et sectatoribus suis suadere atque consulere, quæ nihil minus, quam ex re ipsorum et usu esse experiundo inveniantur. Douza. — *Ab re.* Cf. Asin. I, 3, 71.

13. *Blandiloquentulus*, etc. Hæ sunt meretricum artes, hi mores. Cf. Truc. I, 1, 1-36. *Cuppes*, ganeo. Meretrices vulgo vinosæ; cf. Bacch. I, 1; Cistell. I, 1; Mostell. I, 3, in fine.

14. *Elegans.* Mercat. Prol. 19. — *Latebricolarum*, qui in lustris desident, quum in campo sub dio agere deceat.

15. *Inops.* Meretrix semper inopia flagrat. — *Celati indogator.* Quod suus amator velit celare, facile meretrix exterebrat. — *Eo quod amat.* Vid. Epid. V, 1, 46.

16. *Saviis sogittatis.* Eleganter dixit *savio sagittata.* Alias *hamata oscula* vocantur, quum armis illis, quæ gestare sola per legem Corneliam licet, res geritur: ut contra, *inerma oscula* sunt, quum in unum omnia vota amantium non conjunguntur. Palmer.

17. *Si oudes*, Blandimento autem hoc temperabatur imperativum *da*, auctore Donato. Aul. II, 1, 48.

18. *Ibi ille cuculus.* Arbitror hoc spectare ad frequentem iterationem responsi illius amatorii, *Ocelle mi, fiat:* quod amatori non minus sæpe repetendum, quam cuculo suum *cu cu. Ibi ille cuculus*, scilicet auditur. Vide Asin. V, 2. Pistor.

Dabitur. Ibi illa pendentem ferit; jam amplius orat. Non sat
Id est mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comest,
Quod facit sumti : nox datur? ducitur familia tota;
Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ,
Cantriceis, cistellatriceis, nuntii, renuntii, raptores panis et peni.
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. Hæc ego quom ago
Cum meo animo, et recolo, ubi qui eget, quam preti sit parvi; apage te,
Amor, non places, nihil te utor; quamquam illud est dulce, esse et bibere.
Amor amara dat tibi satis, quod ægre sit. Fugit forum, fugat tuos

19. *Pendentem.* Cura suspensum et incertum. Lamb. — *Ferit*, scil. munere, i. e. multat. Ter. Phorm. I, 1 : « Geta ferietur alio munere ». Lamb.—Aliter interpretor *pendentem*. Ut servi ad trabem alligati et pendentes verberabantur, neque reluctari poterant, ita amatorem quasi vinctum multat. Vid. Amph. I, 1, 124; Asin. II, 2, 37. N.

21. *Ducitur.* Cum meretrice familia, mundus muliebris, ducitur. Vide Terent. Heaut. II, 2, 4-15.

22. *Vestispicæ.* Nonius : « Vestispici, id est, vestium custodes servi : quod frequenti diligentia vestes inspiciant ». Varro : « Tu domi videbis, i. e. curabis ». Plautus : « Intus para, cura, vide ». *Vestispici servi* aliter Latinis dicebantur *a veste*, item in vet. Inscr. *ad vestem*; uti, *servus a pedibus*, et *ad pedes*. Popma. — *Sandaligerulæ.* Ancillæ quæ dominæ *sandalia*, id est, crepidas et calceamenta sexus istius altiora gerunt. Vict. — *Sandalia*, calceamenta feminarum divitum sunt, et quidem (ut probat Pollux) elegantissima; interdum etiam aurea : quæ et sua habebant repositoria, σανδαλοθήκας appellata. Hinc et servos sandaligerulos habebant. Turn.

23. *Renuntii.* Non vere fuit hoc ministerium; sed ludit paronomasia. N.

24. *Comis*, benignus, haud parcus. N.

25. *Ubi qui*, ubi quis. — *Quam preti sit parvi*, quam parvi æstimetur. Si quis enim funditus rem conturbaverat, ad ærarios delabebatur. N.

26. *Nihil te utor.* Formula est abdicandi et ablegandi aliquem, cujus opera non indigeas. Sic et repudii formula : « Conditione tua non utor ». Tibull. « Forma nihil magicis utitur auxiliis », i. e. non indiget. Gron.*—*Esse*, edere.

27. *Amara ...quod.* Bacchid. IV, 4, 74. Hellenismus.

Congnatos, fugat ipse se a suo contuitu.
Neque enim eum sibi amicum volunt dici. Mille modis amor ingnorandu'st;
Procul adhibendus est, atque abstinendus : nam qui in amorem
Præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat. Apage, sis, amor!
Tuas res tibi habe. Amor, mihi amicus ne fuas unquam. Sunt tamen
Quos miseros maleque habeas, quos tibi obnoxios fecisti.
Certum'st ad frugem adplicare animum; quamquam ibi animo
Labos grandis capitur : boni sibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam et gratiam, hoc probis pretium 'st. Eo mihi magis lubet
Cum probis potius, quam cum inprobis vivere vanidicis.

SCENA SECUNDA.

PHILTO, LYSITELES.

PH. Quo illic homo foras se penetravit ex ædibus? LYS. Pater, adsum.
Inpera quod vis; neque tibi ero in mora, neque latebrose me abs tuo

31. *Præcipitavit*, i. e. præceps cecidit. Vide Mil. II, 6. — *Saxo saliat*, scilic. *Tarpeio*. Ita dicebant sine alia additione. Lucret. « scelerisque luela Carcer, et horribilis de saxo jactu' deorsum ». Tacitus l. II : « L. Pitusnius saxo dejectus est ». Lips.

32. *Tuas res tibi habe*. Verba in divortiis faciendis solennia. Vide Amph. III, 2. — *Tamen*, quamvis tibi defuerim, tamen sat multos habebis alios.

36. *Pretium*, res pretiosa, bonum, item atque *præmium*. Amph. II, 1, 17.

1. *Illic homo*, significat quem in mente habemus innominatum quidem. — *Se penetravit*. Vide Nonium h. voc. Inf. vv. 14, 31.

Conspectu obcultabo. PH. Feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum si percoles. Per pietatem, nolo ego cum inprobis te viris,
Gnate mi, neque in via, neque in foro ullum sermonem exsequi.
Gnovi ego hoc seculum, moribus quibus sit: malus bonum malum
Esse volt, ut sit sui similis: turbant, miscent mores mali, rapax,
Avarus, invidus: sacrum profanum, publicum privatum habent:
Hiulca gens. Hæc ego doleo; hæc sunt quæ me excruciant.
Hæc dies nocteisque tibi canto, ut caveas. Quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant;
Cætera rape, trahe, fuge, late. Lacrumas hæc mihi, quom video,
Eliciunt, quia ego ad hoc genus homînum duravi: quin prius
Me ad plureis penetravi? nam hi mores majorum laudant,
Eosdem lutulant, quos conlaudant. Hisce ego te artibus gratiam
Facio, neu colas, neu inbuas ingenium: meo modo et moribus vivito

9. *Hiulca gens*, avida, et quasi hianti ore prædam captans. DOUZ.

10. *Canto*, prædico, commemoro. Conf. Bacch. IV, 9, 61; Rud. II, 5, 21.

11. *Tantum fas hab.* Hoc solum habent sacrum, a quo abstineant, nefas contingere existimant.

12. *Cætera rape.* Prosopopœia improborum.—*Late*, ne dubita rapere, dum rapiens lateas.

14. *Plureis*, mortuos. Hellenismus, πλείονες.

15. *Hisce ego te artibus gratiam facio.* Facile possum pati, ut ne his artibus te excolas, etc. Antiqua et in circulis tum usitata loquendi forma; qua usus et Sallust. « Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem ». TAUBM.

16. *Moribus vivito antiquis*, etc.

Antiquis : quæ ego tibi præcipio, ea facito : nihil ego istos
Moror fatuos mores et turbidos, quibus boni dedecorant se.
Hæc tibi, si mea inperia capesses, multa bona in pectore consident.

LYS. Semper ego usque ad hanc ætatem ab ineunte adulescentia,
Tuis servivi servitutem inperiis et præceptis, pater.
Pro ingenio, ego me liberum esse ratus sum; pro inperio, tuum.
Meum animum tibi servitutem servire, æquom censui.

PH. Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo,
Utrum is itane esse mavelit, ut eum animus æquom censeat,
An ita potius, ut parenteis eum esse et congnati velint,
Si animus hominem perpulit, actum'st, animo servibit, non sibi;
Sin ipse animum perpulit, dum vivit, victor victorum cluet.
Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas.
Nimio satius est, ut opu'st, te ita esse, quam ut animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.

LYS. Istæc ego mihi semper habui ætati tegumentum meæ,
Ne penetrarem me usquam, ubi esset damni conciliabulum,

Omnes fere scriptores mores suorum temporum improbantes, antiqua tempora et mores laudarunt. Ita Capt. I, 2, 20 : « antiquis adulescens moribus ». GRON.

19. *Consident*, pro, considere facient : ut *desidere* in Apuleio. Vid. Stich. II, 2.

22. *Pro inperio*, *tuum*. Id est, quod ad imperium attinet, tibi me obnoxium, cætera liberum censui, vel : Pro ingenio liber sum, pro imperio tuus. LIPS.

24. *Animo*, libidine.

31. *Quam*. Intelligitur antecedens *magis*. Rud. III, 3, 22.

32. *Ætati tegumentum*. Hæc ego semper habui instar tegumenti et clypei, quibus ætatem tegerem et munirem. Vide Mostell. I, 2. L.

33. *Damni conciliabulum*, societas damnosa.

Ne noctu irem obambulatum, neu suum adimerem alteri;
Neu tibi ægritudinem, pater, parerem, parsi sedulo.
Sarta tecta tua præcepta usque habui mea modestia.
PH. Quid exprobras? bene quod fecisti, tibi fecisti, non mihi.
Mihi quidem ætas acta est ferme, tua istuc refert maxume.
Is probus est, quem pœnitet, quam probus sit et frugi bonæ.
Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bonæ.
Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.
Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriæ.
LYS. Ob eam rem hæc, pater, autumavi, quia res quædam 'st, quam volo
Ego me abs te exorare. PH. Quid id est? veniam jam dare gestio.
LYS. Adulescenti huic genere summo, amico atque æquali meo,
Minus qui caute et cogitate suam rem tractavit, pater,
Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. PH. Nempe de tuo.
LYS. De meo: nam quod tuum'st, meum'st; omne meum 'st autem tuum.
PH. Quid is, egetne? LYS. Eget. PH. Habuitne rem? LYS. Habuit. PH. Quî eam perdidit?

34. *Ne noctu*, etc. Vide Amph. I, 1, 1.

37. *Quid exprobras?* Adolescens, quod recte fecit, visus est patri id imputare, quasi bene meritus. Cf. Amph. Prol. 47.

39. *Quem pœnitet*, etc. Qui nunquam satis probus et frugi sibi videtur. Conf. Aulul. III, 2, 20, et Mil. III, 1, 143.

41. *Benefacta benefactis.* Benefacta benefactis cumulato, ne quid vitii in animo innascatur. LAMB.— *Ne perpluant.* Mostell. I, 2, 30.

42. *Se contemnit*, de se non magnifice sentit. Mostell. I, 2, 57.— *Indoles industriæ*, industria indoles, i. e. bona, contrarium ignaviæ. Genitivum appellationis pro adjectivo, vid. sup. 33, et Pers. III, 1, 2. N.

43. *Autumavi.* Cf. Amph. I, 1, 150, 260.

44. *Veniam dare gest.* mihi longum videtur, donec quæ velis annuerim.

Publicisne adfinis fuit, an maritumis negotiis?

Mercaturamne, an venaleis habuit, ubi rem perdidit?

LYS. Nihil istorum. PH. Quid igitur? LYS. Per comitatem, edepol, pater.

Præterea aliquantum animi causa in deliciis disperdidit.

PH. Edepol, hominem prædicatum ferme familiariter.

Qui quidem nusquam per virtutem rem confregit, atque eget,

Nihil moror eum tibi esse amicum cum ejusmodi virtutibus.

LYS. Quia sine omni malitia est, tolerare egestatem ejus volo.

PH. De mendico male meretur, qui ei dat quod edit, aut quod bibat.

Nam et illud quod dat, perdit, et illi producit vitam ad miseriam.

Non eo hoc dico, quin, quæ tu vis, ego velim, et faciam lubens;

Sed ego hoc verbum quom illi quoidam dico, præmonstro tibi,

Ut ita te aliorum miserescat, ne tui alios misereat.

LYS. Deserere illum, et dejuvare in rebus advorsis pudet.

PH. Pol, pudere quam pigere præstat, totidem literis.

50. *Publicis ... negotiis*, i. e. publicanorum, vel redemtorum.

51. *Vænaleis.* An mango fuit?

52. *Per comitatem.* Vide scen. præced. vs. 14.

54. *Prædicatum ferme familiariter. Prædicatum familiariter* eo dicit, quia turpem decoctionem æqualis sui valde comiter et verecunda circumlocutione protulerat: ut appareret familiarissimum illi esse. ACID. — *Familiariter*, i. e. amice. Conf. Terent. Andr. I, 1, 109.

55. *Per virtutem*, dum strenuam operam faceret.

58. *Quod edit.* Pœnul. Prol. 9.

62. *Ne tui alios misereat*, ne te ad egestatis fines redigas.

63. *Dejuvare.* Vetus editio, *desinare*, fortasse melius. Glossarium: *Desinator*, ἀβοήθητος· qui scilicet desinit, destitutos ope. SCALIG. — *Dejuvare* est juvando deesse. Vide Festum v. *Desivare*.

64. *Pudere quam pigere.* Donatus ad Terent. Adelph. III, 3, 37: « pudet, quod turpe est, piget quod dolet ». — *Totidem literis.* Lambinus explicat, quum totidem literæ sunt verbi utriusque. Lindemannus

LYS. Edepol, Deum virtute dicam, pater, et majorum, et tua,
Multa bona bene parta habemus. Bene si amico feceris,
Ne pigeat fecisse; ut potius pudeat, si non feceris.
PH. De magnis divitiis si quid demas, plus fit, an minus?
LYS. Minus, pater : sed civi inmunifico scis quid cantari solet ?
«Quod habes, ne habeas, et illud quod nunc non habes, habeas malum ;
Quandoquidem nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.»
PH. Scio equidem istuc ita solere fieri : verum, gnate mi,
Is est inmunis, quoi nihil est, quî munus fungatur suum.
LYS. Deum virtute habemus, et quî nosmet utamur, pater,
Et aliis quî comitati simus benevolentibus.
PH. Non, edepol, tibi pernegare possum quidquam quod velis.
Quojus egestatem tolerare vis? loquere audacter patri.
LYS. Lesbonico huic adulescenti, Charmidæ filio,
Qui illeic habitat. PH. Qui comedit quod fuit, quod non fuit?
LYS. Ne obprobra, pater : multa eveniunt homini, quæ volt, quæ nevolt.
PH. Mentire, edepol, gnate; atque id nunc facis haud consuetudine.

Lambinum erravisse existimat, siquidem ad verbum *præstat* ablativus *totidem literis* referendus sit, i. e. « per omnes literas melius est, tanquam literæ in voce pudere omnes ac singulæ meliores sint quam in voce pigere ». Nobis tamen, si Lambinus erravit, error placet. N.

65. *Deum virtute.* Cf. Aulul. II, 1, 44, et Capt. II, 2, 74.

67. *Ut potius.* Supple *ita.*

71. *Nec tibi bene esse potes pati.* Avarus se fraudat ipsum victu.

73. *Inmunis*, inutilis, i. e. qui censu caret, quo munia civilia obeat. Nam in censu dignitas. Vid. ae. præc. 34-37. Itaque munificentiorem fieri, immunem senex redarguit. N.

75. *Et aliis quî comitati.* Habemus, unde comes et liberales simus in benevolentes. GRON. — *Benevolentibus.* Bacch. III, 3, 71.

81-89. *Mentire, edepol.* Alium, atque vulgatum, præeunte Acidalio, versuum et diverbii instruximus ordinem. N.

Nam sapiens quidem, pol, ipse fingit fortunam sibi.
Eo ne multa quæ nevolt eveniunt, nisi fictor malus siet.
LYS. Multa est opera opus ficturæ, qui se fictorem probum
Vitæ agundæ esse expctit. Sed hic admodum adulescentulus.
PH. Non ætate, verum ingenio apiscitur sapientia.
Sapienti ætas condimentum 'st; sapiens ætati cibu'st.
PH. Agedum, eloquere: quid dare illi nunc vis? LYS. Nihil quidquam, pater.
Tu modo ne me prohibeas adcipere, si quid det mihi.
PH. An eo egestatem ejus tolerabis, si quid ab illo adceperis?
LYS. Eo, pater. PH. Pol, ego istam, volo me rationem edoceas. LYS, Licet.
Scin' tu illum quo genere gnatus sit? PH. Scio, adprime probo.
LYS. Soror illi est adulta, virgo grandis; eam cupio, pater,
Ducere uxorem. PH. Sine dote? LYS. Sine dote. PH. Uxorem? LYS. Ita,
Tua re salva: hoc pacto ab illo inibis summam gratiam,
Neque conmodius ullo pacto ei poteris auxiliarier.
PH. Egone indotatam te uxorem ut patiar? LYS. Patiundum 'st, pater:
Et eo pacto addideris nostræ lepidam famam familiæ.
PH. Multa ego possum docta dicta, et quamvis facunde loqui;

83. *Eo ne multa quæ nevolt.* Utrobique *ne* pro *non* usurpans, venuste dixit Plautus: ut V, 2, *nisi nevis.* Ait igitur: Ob id non multa, quæ non vult, eveniunt. TURN.

84. *Multa est opera*, etc. Opus est ei multa opera et cura fingendi ac laborandi, qui rationem vitæ recte degendæ sibi fingere cogitat.

87. *Sapienti ætas*, etc. Ut conditura per se cibum facere nequit, nisi cibus adsit; ita sapiens ætate non fit, nisi ingenio esse cœperit. Sapientiam ætas perficit innatam, non facit.

91. *Licet.* Rud. IV, 6, 8.

97. *Egone... ut p.* Curc. V, 2. 18.

98. *Et eo pacto*, etc. Vid. Aul. III, 5, 4-8.

99. *Quamvis.* Bacch. II, 3, 105.

Historiam veterem atque antiquam hæc mea senectus sustinet;
Verum ego quando te et amicitiam et gratiam in nostram domum
Video adlicere, etsi advorsatus tibi fui, istac judico;
Tibi permitto, posce, duce. LYS. Di te servassint mihi!
Sed adde ad istam gratiam unum. PH. Quid id est autem unum? LYS. Eloquar.
Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas. PH. Eccere.
LYS. Nimio citiùs transiges; firmum omne erit, quod tu egeris.
Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quam centum mea.
PH. Ecce autem in benignitate hoc reperi negotium.
Dabitur opera. LYS. Lepidus vivis: hæ sunt ædeis, heic habet;
Lesbonico est nomen: age, rem cura; ego te obperiar domi.

SCENA TERTIA.

PHILTO.

Non optuma hæc sunt, neque ut ego æquom censeo;
Verum meliora sunt, quam quæ deterruma.
Sed hoc unum consolatur me atque animum meum,

100. *Sustinet.* Memoria senis sufficiat exempla multa.

102. *Istac judico*, i. e. in tuam partem censeo. GRON.

105. *Concilies, poscas. Conciliandi* vox ambigua: nam et de nuptiis legitimis et de lenocinio dicitur: honeste Ovid. « Non me nupsisti conciliante sene ». Apul. in Apol. « invitam eam conciliare ». Inhoneste Sueton. Jul. « Existimator Servilia suam filiam Tertiam Cæsari conciliasse ». Ovid. « Qon veniunt alii conciliante viri ». TURN. — *Eccere.* Menæchm. II, 3, 50.

106. *Nimio.* Amph. I, 1, 58.

108. *Negotium*, laborem.

109. *Vivis.* Mil. IV, 8, 9.

Quia, qui nihil aliud, nisi quod sibi soli placet,
Consulit advorsum filium, nugas agit;
Miser ex animo fit; factius nihilo facit.
Suæ senectuti is aeriorem hiemem parat,
Quom illanc inportunam tempestatem conciet.
Sed aperiuntur ædeis, quo ibam; conmode
Ipse exit Lesbonicus cum servo foras.

SCENA QUARTA.

LESBONICUS, STASIMUS, PHILTO.

LESB. Minus quindecim dies sunt, quom pro hisce ædibus
Minas quadraginta adcepisti a Calliele.
Estne hoc quod dico, Stasime? STAS. Quom considero,
Meminisse videor fieri. LESB. Quid factum'st eo?
STAS. Comesum, expotum, exunctum, elotum in balineis.
Piscator, pistor abstulit, lanii, coci,

6. *Factius nihilo facit.* Sic MSS, non *sectius*, non *sequius*, non *sotius*. *Factius* est magis factum, ut alibi *confossiorem* dicit pro magis confosso; hac fabula *occlusiorem stultiloquentiam*; ut Cicero civitatem *conficientissimam literarum*. Petronius: «excussissima palma pulsare». Planius foret, «factius nihil facit», i. e. nihil magis reddit curatum et explicatum, nihil magis expedit, quam si concederet liberis, nec semper eorum voluptati repugnaret. Et sic scripsisse Plautum crediderim. Etsi potest et explicari alterum. Qui semper adversatus liberorum voluntati, nugas agit, nihilo factius (id quod cupit) facit. GRON.

5. *Exunctum.* Vulgo *exutum*, perperam. Magnum luxus instrumentum cottidianæ veterum unctiones, lavationes: unde decoctorum verba, *eluere*, *exungere*, pro patrimonium luxu lancinare. Rud. II, 7, «Eluas tu, an exungare, ciccum non interduim». Exungere ergo, unguentis absumere est: et ea vox myropolas ejus argenti, cujus rationem serio insistit Lesbonicus, bonam partem abstulisse significat. J. GUL.—*Elotum.* Inde *heluo*, ab *eluendo*, qui aspiratur, ut aviditas magis exprobretur: fit enim vox incitatior, ut ait Festus. Nam et in balneis luxu lavandi rem profligabant. TURN. — *Elotum.* Jocus ex ambiguo; nam *elavere* dictum fuit de iis qui fortunam amiserant. Cf. Asin. I, 2, 9. N.

Olitores, myropolæ, aucupes: confit cito,
Quam si tu objicias formicis papaverem.
LESB. Minus, hercle, in hisce rebus sumtum 'st sex minis.
STAS. Quid, quod dedisti scortis? LESB. Ibidem una traho.
STAS. Quid, quod ego defrudavi? LESB. Hem ista ratio maxuma'st.
STAS. Non tibi illud adparere, si sumas, potest;
Nisi tu inmortale rere esse argentum tibi.
Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit:
Postquam comedit rem, post rationem putat.
LESB. Nequaquam argenti ratio conparet tamen.
STAS. Ratio quidem, hercle, adparet: argentum οἴχεται.
Minas quadraginta adcepisti a Callicle,
Et ille ædeis abs te adcepit mancupio. LESB. Admodum.
PH. Pol, opinor, adfinis noster ædeis vendidit.
Pater quom peregre veniet, in porta est locus;
Nisi forte in ventrem filio conrepserit.
STAS. Trapezitæ mille drachumarum Olympicum,

10. *Ibidem una traho.* Vide supra I, 2, 166.

12. *Adparere.* Amph. II, 2, 162, et Capt. II, 3, 97. — *Sumas*, i. q. consumas. Mil. III, 1, 79.

17. *Argentum*, etc. *Argentum* οἴχεται, dictum ea forma, qua Paulus JC. dixit, « Pecuniam proficisci », vel Ulpianus, « Pecunias ire, redire, etc. » itemque Cic. in Verr. « Pecuniam, qua via iverat, eadem semita revertisse, etc. » Sc. GENTIL. — Versum hunc Tullius retulit in Pison. 25. Conf. ad Attic. VI, 1.

21. *In porta est locus.* Foris et sub dio habitandum ei est: vel, ut alii, mendicabit in porta trigemina: de qua in Captiv. I, 1, 22. LAMB.

22. *Nisi forte in ventrem filio conrepserit.* Nam quom filius pro domo pecunias recepisset, quas in ventrem congesserat, si senex revertens ad ædes suas ire voluisset, in ventrem filii necesse habebat ire: etenim ille ædes devoraverat. ALCIAT.

23. *Mille drachumarum.* Fit *drachuma*, sicut *mina* et *Alcumena*, interposita inter consonantes litera *i*, seu *u*. Quæ fuerint autem *drachmæ Olympicæ*, quæramus. Constat vero aliis in locis aliud drachmarum pretium fuisse, secundum quas et æstimatio talenti varia fuit. Fortasse verum Philippicum, ut in Truculento. CAMER.—*Redditæ* positum est, quasi dictum esset *mille drachmæ*; ut spectarit illud, quod intelligitur, non quibus verbis dicatur. LAMB.

Quas de ratione debuisti, redditæ.
LESB. Nempe quas spopondi. STAS. Imo, quas dependi, inquito;
Quas sponsione pro nuper tu exactus es
Pro illo adulescente, quem tu aibas esse divitem.
LESB. Factum. STAS. Ut quidem illud perierit. LESB. Factum id quoque est.
Nam nunc eum vidi miserum, et me ejus miseritum 'st.
STAS. Miseret te aliorum, tui te nec miseret, nec pudet.
PH. Tempus adeundi est. LESB. Estne hic Philto, qui advenit?
Is, hercle, est ipsus. STAS. Edepol, uæ ego istum velim
Meum fieri servom cum suo peculio.
PH. Herum atque servom plurimum Philto jubet
Salvere, Lesbonicum et Stasimum. LESB. Di duint
Tibi, Philto, quæcumque optes: quid agit filius?
PH. Bene volt tibi. LESB. Edepol, mutuom mecum facit.
STAS. Nequam illud verbum'st, Bene volt; nisi qui bene facit.
Ego quoque volo esse liber; nequidquam volo;

25. *Quas dependi.* Cic. Famil. I, 8: « Dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti ». Ad Att. XIV, epist. 16: « Puto si quid in homine pudoris est, præstaturum eum, ne pro se quodammodo dependatur ». Ad Brutum epist. 18: « Reipublicæ quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis ». Quod autem sequitur, *sponsione*, dicitur quasi esset ex sponsione, vel sponsione facta.

26. *Sponsione pro nuper.* Vulgo *pronuper* una voce insolenti. Anastrophen hic esse, quam Plautus figuram loquendi amat, opinor. N. — *Quas exactus es.* Ut apud Cæcilium: « ego illud nihilominus exigor portorium ». Q. Metellus Numidicus apud Gellium, XV, 14: « sese maximas pecunias exactas esse ». Recte Gellius, XV, 14: « Id nobis videbatur, inquit, græca figura dictum ». Græci enim dicunt εἰσεπράξατό με ἀργύριον, id significat, « exegit me pecuniam ». GRON.

28. *Ut quidem*, etc. Per conjunctionem *ut*, Stasimus verbo *factum* aliam atque sentiebat ipse Lesbonicus, subjicit sententiam. N.

36. *Quid agit?* Aul. I, 2, 39.

37. *Mutuom mecum facit*, id est, a me mutuo amatur. LAMB.

38. *Nisi qui*, nisi quis.

Hic postulet frugi esse, nugas postulet.
PH. Meus gnatus me ad te misit, inter se atque vos
Adfinitatem ut conciliarem et gratiam.
Tuam volt sororem ducere uxorem, et mihi
Sententia eadem'st, et volo. LESB. Haud gnosco tuum.
Bonis tuis rebus meas res inrides malas.
PH. Homo ego sum, homo tu es : ita me amabit Jupiter!
Neque te derisum veni, neque dignum puto.
Verum hoc, ut dixi, meus me oravit filius,
Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi.
LESB. Mearum rerum me gnovisse æquom'st ordinem.
Cum vostris nostra non est æqua factio;
Adfinitatem vobis aliam quærite.
STAS. Satin' tu sanus mentis aut animi tui,
Qui conditionem hanc repudies? nam illum tibi
Ferentarium esse amicum inventum intellego.
LESB. Abin' hinc, dierecte? STAS. Si, hercle, ire obcipiam,
vetes.

4u. *Postulet*, cupiat.

41. *Vas*, vestram domum.

44. *Haud gnosco tuum*. I. q. sup. II, 2, 83, « id nunc facis haud consuetudine », et Aul. II, 2, 43, « haud decorum facinus tuis factis facis ». Pari sententia dixit Asin. I, 3, 38, « non meum 'st ». Vulg. « haud gnosco tuum », insulse. N.

45. *Bonis rebus tuis*, i. q. salva re tua. — *Meas res inrid*. Cf. Aulul. loc. cit.

46, *Homo ego*. Plane simile Terentiano, « Homo sum, et a me humanum nihil alienum puto », Heaut. I, 1. — *Ita me am. Jupiter!* Captiv. IV, 2, 97. N.

51. *Cum vostris*, etc. Vestri ordinis hominibus, qui estis factiosi, id est, divites ac potentes, nos inopes tenuesque pares esse non possumus. TAUBM. — Conf. Aulul. III, 1, 45.

55. *Ferentar. esse amicum*. Plautus jocose *amicum ferentarium* vocat, qui repente opem ferat et auxilium egenti amico. J. GUL. — In ferentario amico, eum, qui subsidio futurus sit, significare videtur Plautus, et qui sit auxilium laturus, ut mihi mirum videatur, quod Varro interpretetur *inanem*. Duxisse videtur interpretationem a levi armatura illorum equitum, quos dicit esse ferentarios vocatos : quum Plautus ad vocabulum potius alluserit; ut et alio loco scribit : « Nulla est mihi salus dataria », a dando. TURN.

56. *Dierecte*. Bacch. IV, 1, 17. — *Si ire obcipiam*. Cf. Amph. II 2, 227.

LESB. Nisi quid me aliud vis, Philto, respondi tibi.
PH. Benigniorem, Lesbonice, te mihi,
Quam nunc experior esse, confido fore;
Nam et stulte facere, et stulte fabularier,
Utrumque, Lesbonice, in ætate haud bonum 'st.
STAS. Verum, hercle, hic dicit. LESB. Oculum ego ecfodiam tibi,
Si verbum addideris. STAS. Hercle, quin dicam tamen.
Nam si sic non licebit, luscus dixero.
PH. Ita tu nunc dicis non esse æquiparabileis
Vostras cum nostris factiones atque opes?
LESB. Dico. PH. Quid nunc, si in ædem ad cœnam veneris,
Atque ibi opulentus tibi par forte ut venerit,
Adposita sit cœna, popularem quam vocant,
Si illi congestæ sint epulæ a clientibus,
Si quid tibi placeat, quod illi congestum siet,
Edisne, an incœnatus cum opulento adcubes?
LESB. Edim, nisi ille vetet. STAS. At, pol, ego, etiamsi vetet,
Edim, atque ambabus malis expletus vorem;
Et quod illi placeat, præripiam potissumum;
Neque illi concedam quidquam de vita mea.

61. *In ætate.* Supra I, 1, 2.

66. *Opes.* Veteres *oves* appellabant *opes*: hinc *opicerda*, *opilio*. Deinde quia in multitudine pecorum, maxime ovium, divitias collocabant, ex eo *opes* dictæ etiam divitiæ. Similiter Græcia πολύμηλος, ad verbum est *opulentus*. MEURS. — Cistell. II, 1.

67. *Ædem*, scil. sacram aliquam; in his enim epulabantur. TURN.

68. *Par*, tecum juxta adcubans, conviva.

69. *Popularem quam vocant.* Cœna popularis est epulum, quod populo datur. Nam, verbi gratia, in triumphis epulum populo interdum dabatur, et dabantur prandia: ut in Jul. Cæsare indicat Tranquillus. Sed et quum decimam Herculi solvebant, polluecto accipiebant populum. TURN.—A clientibus olim in æde sacra convivium patronis apparari solitum, quod cœnam popularem vocarunt. FABRI.

76. *De vita mea*, id est, de victu: ut apud Terent. « Cui opera vita erat », i. e. qui ex opera sua

Verecundari neminem apud mensam decet;
Nam ibi de divinis atque humanis cernitur.
PH. Rem fabulare. STAS. Non tibi dicam dolo:
Decedam ego illi de via, de semita,
De honore populi; verum quod ad ventrem adtinet,
Non, hercle, hoc longe, nisi me pugnis vicerit.
Cœna hac annona est sine sacris hereditas.
PH. Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites,
Id optumum esse, tute uti sis optumus:
Si id nequeas, saltem ut optumis sis proxumus.
Nunc conditionem hanc, quam ego fero, et quam abs te peto,
Dare atque adcipere, Lesbonice, te volo.
Dei divites sunt, deos decent opulentiæ
Et factiones: verum nos homunculi

vivebat. Donatus: *vita* et mores significat, et animam, et alimentum, et spatium vivendi. Its βίος Græcis tum *vitam*, tum illud ipsum declarat, quo vitam tuemur. BEZA.

78. *De div. atque hum.* Quasi de aris atque focis; nam servulo esuritori summa rerum est epulatio.

79. *Rem fab.* Epid. II, 2, 100. — *Non ... dolo*, sincere.

80. *Decedam de via, de sem.* Cf. Curc. II, 3, 2, 8, et Amph. III, 4, 1.

81. *De honore populi.* Cf. Bacch. III, 3, 34.

82. *Non hoc longe.* Cf. Mostell. II, 1, 46.

83. *Cœna hac annona est sine s. hereditas.* Probo omnino conjecturam eorum qui legerunt: « Cœna hæc an non est sine sacris hereditas? » Nam annona non potest explicari, nec hic locum habere. SALMAS. — *Cœna hac annona.* Ego vero non probo ullam hic conjecturam, sed retineo mordicus scripturam veterem cum explicatione Mureti. *Hac annona*, est, ut nunc est annona, hujus temporis annona. Sic Livius, « horum magnificentia operum », quæ nunc fiunt; *hæc licentia*, quæ nunc grassatur. Vide ad lib. XXIV, 40. Cœna gratuita, ut nunc annona cara est, res tam rara est, quam hereditas sine onerosis et sumtuosis sacris. Capt. IV, 1: « Sine sacris hereditatem sum aptus ecfertissimam ». GRON.

85. *Optumus.* Cf. Pers. IV, 4, 18, et Curc. III, 1, 14.

89. *Deos decent opulentiæ.* Vulg. *decet opulentia.* At est illud Plauti et in Bacchid. III, 4, 23: « Antequam illa unquam meis opulentiis Ramenta fiat ignavior ». Sic infra IV, 3: « Veteres parsimoniæ ». Sic « famæ, gloriæ, memoriæ, misericordiæ ». Sic alibi: « Secundas res decent superbiæ ». GRON.

90. *Nos homunculi salillum ani-*

Salillum animæ, qui quom extemplo amisimus,
Æquo mendicus atque ille opulentissumus
Censetur censu ad Acheruntem mortuus.
STAS. Mirum, ni tu illuc tecum divitias feras!
Ubi mortuus sis, ita sis ut nomen cluet.
PH. Nunc ut scias heic factiones atque opes
Non esse, neque nos tuam neglegere gratiam,
Sine dote posco tuam sororem filio.
Quæ res bene vortat! habeon' pactam? quid taces?
STAS. Pro di inmortaleis, conditionem quojusmodi!
PH. Quin fabulare: Di bene vortant! spondeo.
STAS. Eheu, ubi usus nihil erat dicto, spondeo

mæ. Sumus vasculum salis, id est, sumus corpuscula animata : nam corpora nostra sunt tamquam animarum vascula. *Salillum animæ* dixit, furte translatione sermonis facta a mensis pauperum, quæ sunt perquam tenues et sine apparatu : eis enim sal pro obsonio est. Horat. Od. II, 16 : « Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum, etc. » Licet etiam dicere, Plautum eo spectasse, animam corpori nostro esse pro sale : quemadmodum enim carnes pecudum si diu serventur sine sale, putrescunt : ita et corpora, efflata anima, putore corrumpuntur. LAMB.

92, 93. *Æquo censetur censu.* Tauli æstimatur.—*Ad*, apud.

95. *Ut nomen cluet.* Opinor servum hoc velle : Credo profecto te illuc (ad Acherontem) divitias tuas perlaturum : ubi demum (quum mortuus nimirum eris) sis *ut nomen cluet*, i. e. Philto : ut ibi demum benignitatem tuam exerceas, et revera Philto sis hominibus : nam ut nunc quidem es, in tantis divitiis satis parcus es : unde nominis tui ἔτυμον apud Orcum demum fortassis verum esse ostendes. PIST. — *Ita sis ut nomen.* Admitto interpretationem Pistorii : sed ut ei satis conveniant verba, scribo : « Ubi mortuus sis, uti sis, ut nomen cluet ». GRON. — Lambini planior enarratio : « quasi queratur senex quod dives etiam in inferis esse non possit, in eum ridicule invehitur servulus ; mirandum sane est, inquit, si tuas divitias illuc ferre non possis, et ubi sis mortuus, sis vere, quod dicaris, i. e. mortuus ». — *Ut nomen cluet.* Cf. Bacchid. III, 2, 2. N.

96. *Heic*, in nostra familia.

99. *Quæ res bene vortat!* Curc. V, 3, 51. — *Habeon' pactam?* Est formula qua utebantur in despondendis futuris uxoribus. Puellæ, quum ambirentur, dicebantur *speratæ;* quas ducere decretum est, post celebrata sponsalia dicuntur *pactæ*. Pœnul. V, 3, 38. Unde et *pactam* dicebant pro sponsa. GRON.*

101. *Quin fabulare*, etc. Aulul. IV, 10, 57.

102. *Dicto, spondeo.* Sup. 25.

Dicebat; nunc heic, quom opus est, non quit dicere.
LESB. Quom adfinitate vostra me arbitramini
Dignum, habeo vobis, Philto, magnam gratiam.
Sed, etsi, hercle, graviter cecidit stultitia mea,
Philto, est ager sub urbe heic nobis; eum dabo
Dotem sorori; nam is de stultia mea
Solus superfit, præter vitam, reliquus.
PH. Profecto dotem nihil moror. LESB. Certum'st dare.
STAS. Nostramne vis nutricem, here, quæ nos educat,
Abalienare a nobis? cave, sis, feceris:
Quid edemus nosmet postea? LESB. Etiam tu taces?
Tibi ego rationem reddam? STAS. Plane periimus,
Nisi quid ego comminiscor. Philto, te volo......
PH. Si quid vis, Stasime. STAS. Huc concede aliquantum.
PH. Licet.
STAS. Arcano tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat,
Neve alius quisquam. PH. Crede audacter quid lubet.
STAS. Per deos atque homines dico, ne tu illunc agrum
Tuum siris unquam fieri, neque gnati tui.
Ei rei argumentum dicam. PH. Audire, edepol, lubet.
STAS. Primum omnium, olim terra quom proscinditur,
In quinto quoque sulco moriuntur boves.
PH. Apage! STAS. Acheruntis ostium in nostro'st agro.
Tum vinum, priusquam coactum'st, pendet putidum.

111. *Nostramne vis nutricem*. Sic autem vocat agrom, cujus proventu tamquam outrice alebantur. Apposite. Val. Max. VII, 6: « Siciliamqne et Sardioiam, benignissimas urbis nostræ notrices, gradus et stabilimeota bellorum ».

118. *Crede*, committe mihi.

122. *Olim quom*, si quando.

123. *Quinto quoque sulco*. *Quinto sulco*, *sexto*, *nono*, dicuot auctores pro, « Serere quinquies, sexies, novies aratum agrum ». TURN.

124. *Acheruntis ostium*. Veteres quom aoimas omoes ad inferos descendere putareot, multis locis esse *ostium Orci* credebaut, ot qua spiracola erant, quæ odoris fœditate animam extorquebaot, etc. Sed et in locis pestileotibus *ostium Orci* esse dicebant: ut hoc loco. Festus: *Manalem lapidem*, seu potius *manal* sive *manale*, eleganter *ostium manium* vocat. SCALIG.

125. *Vinum*, i. q. uva hoc loco. —*Priusquam coactum 'st*. P. Scrive-

LESB. Consuadet homini, credo; etsi scelestus est,
At mihi infidelis non est. STAS. Audi cætera.
Post id, frumenti quom alibi messis maxuma 'st,
Tribus tantis illei minus redit, quam obseveris.
PH. Hem, isteic oportet obseri mores malos,
Si in obserendo possint interfieri.
STAS. Neque unquam quisquam 'st, quojus ille ager fuit,
Quin pessume ei res vorterit. Quorum fuit,
Alii exsulatum abierunt, alii emortui,
Alii se suspendere: hem nunc hic, quojus est,
Ut ad incitas redactus! PH. Apage a me istum agrum.
STAS. Magis apage dicas, si omnia a me audiveris.
Nam fulguritæ sunt heic alternæ arbores.
Sues moriuntur angina acerrume.
Oveis scabræ sunt, tam glabræ, hem, quam hæc est manus.
Tum autem Syrorum, genus quod patientissumum 'st
Hominum, nemo exstat, qui ibi sex menseis vixerit:
Ita cuucti solstitiali morbo decidunt.

rius ad Martialis Xenia legit *coctum est*, quod cupide recepit Pareus: sed male. Vide Observat. IV, 3. GRON.—« Uvas percoctas, vinum coctum », Cato dixit R. R. 24, 25. Si *coctum* obtinet, vindemia significatur. N.

126. *Consuadet*. Servus abduxerat senem: ait herus, Est quidem apprime scelestus noster ille servus: tamen eum tam mihi arbitror fidelem, ut nihil suasurus sit, quod contra meam rem. GRUTER.

129. *Illei*. Amph. Prol. 133.

131. *In obserendo*, quum obserantur. Virg. Georg. « uritque videndo Femina ».

133. *Quo-um*. Hæc est Lindemanni emendatio. Vulgo *quojum*, quod facile non intellexeris.

136. *Ad incitas redactus*. Pœnul. IV, 2, 86.

138. *Alternæ*, de binis altera.

140. *Oveis scabræ*, etc. Oves nudatæ lana sunt per scabiem. Conf. Aulul. II, 8, 6.

143. *Solstitiali morbo*. Apud Plautum quæsitum est quis sit morbus solstitialis. Alii pro comitiali intellexerunt: alii pro repentino et subitaneo: ut etiam alibi (Pseudul. I, 1) *herba solstitialis*, quæ nata statim moritur. Turnebus pro solstitiali morbo ardentissimas febres intellexit, quasi illæ sub solstitio maxime vagentur. Sed, etsi demus Turnebo, similes febres Canicularibus diebus grassari, attamen solstitium a Canicula multorum dierum intervallo remotum est.

PH. Credo ego istuc, Stasime, ita esse; sed Campas genus
Multo Syrorum jam antidit patientia.
Sed iste est ager profecto, ut te audivi loqui,
Malos in quem omneis publice mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant insulas,
Quo cuncti, qui ætatem egerunt caste suam,
Conveniant: contra istoc detrudi maleficos
Æquom videtur, qui quidem istius sit modi.
STAS. Hospitium'st calamitatis: quid verbis opu'st?
Quamvis malam rem quærens, illeic reperias.
PH. At tu, hercle, et illei et alibi. STAS. Cave, sis, dixeris,
Me tibi dixisse hoc. PH. Dixisti arcano satis.
STAS. Quin hic quidem cupit illum ab sese abalienarier;
Siquidem reperiri posset, quojus os sublinat.
PH. Meus quidem, hercle, nunquam fiet. STAS. Si sapies quidem.
Lepide, hercle, de agro ego hunc senem deterrui;
Nam quî vivamus, nihil est, si illum amiserit.
PH. Redeo ad te, Lesbonice. LESB. Dic, sodes, mihi,
Quid hic locutus tecum? PH. Quid censes? homo'st;
Volt fieri liber; verum, quod det, non habet.
LESB. Et ego esse locuples, verum nequidquam volo.
STAS. Licitum, si velles: nunc, quoniam nihil est, non licet.

Quare puto ego solstitialem morbum quemcumque pravum et letalem vocari: quasi innuere velit ille servus, neminem ibi potuisse sextum mensem vivere, sed statim unumquemque tempore solstitiali interire consuevisse. Etenim solstitium periculosum atque morbosum esse, unus ante omnes docuit Hippocrates libro De aere, aquis et locis. Post quem Aristot. Problem. Sect. 1 idem confirmat. MERCUR.

144. *Sed Campas genus.* Nonius legit *Campans*, id est, Campanum genus quos molles et libidinosos fuisse constat. LAMB.

150. *Istoc*, istuc.

151. *Qui quidem.* Videtur deesse antecedens huic voci, sed intelligitur adverbio *istoc*, sensus « in istum agrum » valet. N.

152. *Hospitium 'st cal.* i. e. calamitosum hospitium. Sup. II, 2, 42: « indoles industriæ ».

LESB. Quid tecum, Stasime? STAS. De istoc quod dixisti modo,
Si antea voluisses, esses; nunc sero cupis.
PH. De dote mecum convenire nihil potes;
Quid tibi lubet, tute agito cum gnato meo.
Nunc tuam sororem filio posco meo.
Quæ res bene vortat : quid nunc? etiam consulis.
LESB. Quid isteic? quando ita vis, di bene vortant! spondeo.
PH. Nunquam, edepol, quoiquam tam exspectatus filius
Gnatus, quam est illud Spondeo gnatum mihi.
STAS. Di fortunabunt vostra consilia! PH. Ita volo.
LESB. Sed, Stasime, abi huc ad meam sororem, ad Calliclem;
Dic hoc negoti quomodo actum'st. STAS. Ibitur.
LESB. Et gratulator meæ sorori. STAS. Scilicet.
PH. I hac, Lesbonice, mecum, ut coram nubtiis
Dies constituatur; eadem hæc confirmabimus.
LESB. Tu istuc cura quod jussi; ego jam heic ero.
Dic Callicli, me ut conveniat. STAS. Quin tu i modo!
LESB. De dote ut videat, quid opus sit facto. STAS. I modo.
LESB. Nam certum 'st me sine dote haud dare. STAS. Quin tu i modo!
LESB. Neque enim illi damno unquam esse patiar... STAS. Abi modo!

172. *Quid isteic?* Locutio annuentis. Vide Donat. ad Eunuch. I, 2, 91.

175. *Fortunabunt.* Non pollicetur, sed optat. Hoc est ingenium hujus orationis. Pers. I, 1, 16.

176. *Ad Calliclem*, quæ est apud Calliclem.

180. *Eadem.* Bacch. I, 1, 15.

182. *Dic Callicli.* Indecore adolescens cupit ad se venire senem. Imo eam sententiam non esse puto : nam alia fuit fortasse additurus, ni servus interrupisset, in hanc mentem : Dic Callicli, *ut*, seu quomodo me dotem sorori quærere conveniat, atque ut ipse de eadem videat : quod quidem diserte subjungit. Quin imo nihil defuerit : et, *ut me conveniat*, valere potest, « quomodo me deceat » : nam sic et Merc. extr. « Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit ». Acid.

LESB. Meam neglegentiam. STAS. I modo. LESB. O pater!
Æquom videtur, quin, quod peccarim... STAS. I modo!
LESB. Potissumum mihi id obsit. STAS. I modo! LESB. O pater!
En unquam adspiciam te? STAS. I modo, i modo, i modo!
Tandem inpetravi abiret. Di vostram fidem,
Edepol, re gesta pessume gestam probe,
Siquidem ager nobis salvos est! etsi admodum
In ambiguo'st etiam, nunc quid de hac re fuat.
Sed si alienatur, actum'st de collo meo.
Gestandus peregre clypeus, galea, sarcina;
Ecfugiet ex urbe, ubi erunt factæ nubtiæ;
Ibit istac aliquo in maxumam malam crucem
Latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam.
Ibo huc, quo mihi inperatum'st, etsi odi hanc domum,
Postquam exturbavit hic nos ex nostris ædibus.

187. *Quin.* Hic affirmat. Conf. Casin. III, 4, 12-19. Lindemannus reposuit *qui* i. q. *ut*.

191. *Gestam probe.* Hæc vera lectio. Ait: Edepol, etsi rem male hactenus gesserimus, tamen in eo saltem probe gesta est, quod filia herilis in tam lautam familiam collocatur. Modo hoc etiam obtineri possit, ut ager salvus nobis maneat. Hoc enim vult servus, non', ut explicat Lambinus, quasi glorietur de agro servato: de quo adhuc dubitat. Eadem forma scen. seq. « tanton' in re perdita Quam in re salva factus est frugalior? » PISTOR.

198. *Latrocinatum.* Conf. Mil. I, 1, 74.

200. *Hic*, Callicles.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

CALLICLES, STASIMUS.

CALL. Quo modo tu istuc, Stasime, dixisti? STAS. Nostrum herilem filium
Lesbonicum suam sororem despopondisse: hoc modo.
CALL. Quoi homini despondit? STAS. Lysiteli, Philtonis filio,
Sine dote. CALL. Sine dote ille illam in tantas divitias dabit?
Non credibile dicis. STAS. At tu, edepol, nullus creduas.
Si hoc non credis, ego credidero... CALL. Quid? STAS. Me nihili pendere.
CALL. Quamdudum istuc, aut ubi actum'st? STAS. Inlico heic ante ostium.
Tam modo, inquit Prænestinus. CALL. Tanton' in re perdita,

1. *Nostrum heril. filium.* Vel hic præscribi debet nomen Stasimi, et legi sine interrogatione, ut intelligatur, respondere Stasimum: « dixi, Nostrum herilem filium Lesbonicum suam s. despondisse », vel legendum: « vestrum herilem filium, etc. » vel hoc totum accipiendum τεχνικῶς, hoc pacto: Dixistine ita: Nostrum herilem filium, etc. Hæccine sunt tua verba, quæ mecum loquutus es? Nostrum herilem filium. LAMB. — *Nostrum*, etc. Hæc vulgo Callicli attribuuntur importune; nam Callicles ingenuus. Et *hoc modo* comparet Epidico, postquam narratum servus iteravit ipse. N.

8. *Tam modo*, i. e. modo. FEST. — Notat autem Prænestinorum barbariem, et irridet peregrinantem. SCAL.

Quam in re salva, Lesbonicus factus est frugalior?
STAS. Atque equidem ipsus ultro venit Philto oratum filio.
CALL. Flagitium quidem, hercle, fiet, nisi dos dabitur virgini.
Postremo, edepol, ego istam rem ad me adtinere intellego.
Ibo ad meum castigatorem, atque ab eo consilium petam.
STAS. Propemodum quid illic festinet sentio, et subolet mihi,
Ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit ædibus.
O here Charmide, quam absente te heic tua res distrahitur tibi!
Utinam te redisse salvom videam, ut inimicos tuos
Ulciscare, ut mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam!
Nimium difficile'st reperiri amicum, ita ut nomen cluet;
Quoi tuam quom rem credideris, sine omni cura dormias.
Sed generum nostrum ire eccillum video cum adfini suo.
Nescio quid non satis inter eos convenit : celeri gradu
Eunt uterque : ille reprehendit hunc priorem pallio.
Haud illi euscheme adstiterunt : huc aliquantum abscessero :
Est lubido orationem audire duorum adfinium.

SCENA SECUNDA.

LYSITELES, LESBONICUS, STASIMUS.

LYS. Sta ilico, noli avorsari, neque te obcultassis mihi.
LESB. Potin' ut me ire, quo profectus sum, sinas? LYS. Si in rem tuam,
Lesbonice, esse videatur, gloriæ aut famæ, sinam.

9. *Frugalior.* Homo frugi est qui rem auget.
11. *Flagitium.* Cas. III, 2, 19.
19. *Ut nomen cluet.* Supra II, 4, 95.
3. *Gloriæ.* Intellige respectu.

LESB. Quod est facillumum, facis. LYS. Quid id est?
LESB. Amico injuriam.
LYS. Neque meum'st, neque facere didici. LESB. Indoctus quam docte facis!
Quid faceres, si quis docuisset te, ut sic odio esses mihi?
Qui bene quom simulas facere mihi te, male facis, male consulis.
LYS. Egone? LESB. Tu næ. LYS. Quid male facio? LESB. Quod ego nolo, id quom facis.
LYS. Tuæ rei bene consulere cupio. LESB. Tu mihi es melior, quam egomet mihi?
Sat sapio, satis in rem quæ sint meam ego conspicio mihi.
LYS. An id est sapere, ut quî beneficium a benevolente repudies?
LESB. Nullum beneficium esse duco id, quod, quoi facias, non placet.
Scio ego et sentio ipse quid agam, neque a me opficium migrat;
Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam.
LYS. Quid ais? (nam retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres.)
Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui,
Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes?
Ante honori posterorum tuorum ut vindex fieres?

6. *Odio*, importunitati. Cf. Aul. II, 1, 4.

11. *Ut quî*. Capt. II, 1, 46.

13. *Neque a me opficium*. MSS Camerar. « neque in se opficium ». Lego: « neque meum se opficium migrat ». Ut Cicero de Divin. I: « credo, ne communia jura migrare videatur ». Gellius: « cassila nidum migravit ». SCHOPP. — *Opficium*, i. e. conscientia officii.

15. *Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7.

18. *Ut vindex fieres*. Neque *vibex* Lambini admitto, neque conciliare stomacho meo possum, ut *vindicem honori posterorum* eum credam latine dici, qui posteris decus aufert, quacumque cerussa oblinant. Nimirum non interrogatio est, neque conjungendus hic versus cum præcedenti, sed cum sequenti, hoc modo: « Atqui honori

Tibi paterque avosque facilem fecit et planam viam
Ad quærundum honorem; tu fecisti ut difficilis foret,
Culpa maxume et desidia, tuisque stultis moribus.
Præoptavisti amorem tuum uti virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? ah! non ita est!
Cape, sis, virtutem animo, et corde expelle desidiam tuo;
In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut solitus es.
Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem enixe expeto;
Ut tibi sit, quî te conrigere possis; ne omnino inopiam
Civeis objectare possint tibi, quos tu inimicos habes.
LESB. Omnia ego isteic quæ dixisti scio, vel exsignavero;
Ut rem patriam et majorum gloriam fœdarim meum.
Sciebam ut esse me deceret; facere non quibam miser,
Ita vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi:
Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias.
LYS. At operam perire meam sic, et te hæc dicta corde spernere,
Perpeti nequeo; simul me piget parum pudere te.

posterorum tuorum ut vindex fieres, Tibi pater avosque ». Id est, ut vindicares traderesque posteris tuis honorem et decus, non tibi primo ea adquirenda erant, quod est difficilius, sed ad eam rem planam tibi viam fecerant majores. Vide Observ. IV, 8. Gronov. — Vindex est, qui dimittit servum abiturum in libertatem. Sic honorem avitum dimisit adolesceos abiturum. Jocus ingenio Plautioo non iodecorus.

27. *Quî te conrigere possis. Colligere* Scal. Scriver. — I. q. erigere jacentem.

29. *Vel exsignavero.* Vulgatum omnioo retinendum censeo. *Vel exsignavero*, valet exquisite in charta consignatum ordine recensuero, ut rem confregerim. *Exsignare*, proprie e commentario describere et in ordinem redigere: unde in genere pro accurata recensione accipitur. Livius lib. I: « Eique sacra omnia exscripta exsignataque tradidit ». *Exsignata*, nempe ex commentario. Pistor.

31. *Sciebam*, etc. « Video meliora proboque, Deteriora sequor ».

34. *Corde spernere.* Cf. Captiv. III, 3, 2.

35. *Parum pudere te*, ob mores malos et inopiam.

Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc ut dico facis,
Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor;
In obculto jacebis, quom te maxume clarum voles.
Pergnovi equidem, Lesbonice, inperitum tuum ingenium admodum.
Scio te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi
Pectus obscurasse: atque ipse amoris teneo omneis vias.
Ita est amor; balista ut jacitur: nihil sic celere'st, neque volat,
Atque is mores hominum moros et morosos efficit.
Minus placet, magis quod suadetur; quod dissuadetur, placet.
Quom inopia'st, cupias; quando ejus copia'st, tum non velis.
Ille qui abspellit, is conpellit; ille qui consuadet, vetat.
Insanum'st malum in hospitium devorti ad Cupidinem.
Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas.
Si istuc conare, ut facis indicium, tuum incendes genus.
Tum igitur tibi aquæ erit cupido, genus quî restinguas tuum.
Atque eris si nanctus, proinde ut corde amauteis sunt cati,

37. *Tute*, tu. Tua tibi infamia obstabit, quominus te honor inveniat. N.

41. *Teneo*. Capt. III, 5, 39.

42. *Balista ut*, anastrophe. — *Sic... Atque*, i. q. *tam... quam.*

45. *Inopia 'st*. Quamdiu voti non compos es.

46. *Ille qui abspellit*. Siquis dehortari amantem a proposito tentat, idem facit hortanti.

47. *Insanum est malum*. Varro lib. VI de Ling. Lat. « Plautus quum vehementer vellet dicere, dicit Insane: quod insani omnia faciunt vehementer ».—*Hospitium*. Locum liberum, ubi facias nequam: de *hospite Cupidine*, consulendus Anacreon. Propert. Eleg. III, 24: « Hospitium tota nocte paravit Amor ». Passer.

49. *Si istuc*, etc. Vulgata, « Si istuc, ut conare, facis indicium », nullo sensu, nisi ægre extundas « Si facis quod indicasti, declaravisti ». Sed transposita una vocula oratio expeditur, auctore Hermanno. *Istuc* significat, id quod nunc agis. N.

51. *Atque eris si nanctus* aquam,

Ne scintillam quidem relinques, genus quî congliscat tuum.
LESB. Facile'st inventu: datur ignis, tametsi ab inimicis petas.
Sed tu objurgans me a peccatis, rapis deteriorem in viam.
Meam vis sororem tibi dem; suades sine dote: hoc non convenit;
Me, qui abusus sum tantam rem patriam, porro in divitiis
Esse, agrumque habere, egere illam autem, ut me merito oderit.
Nunquam erit alienis gravis, qui suis se concinnat levem.
Sicut dixi, faciam; nolo te jactari diutius.
LYS. Tanto meliu'st te sororis causa egestatem exsequi,
Atque eum agrum me habere quam te, tua quî toleres mœnia?
LESB. Nolo ego mihi te tam prospicere, quî meam egestatem leves,

i. e. pecnniam mntno snmtam. — *Cati*. Putabat Alciatus *catus*, extrito *P*, usurpasse Plautum hoc loco, prn *captus*, metri causa: quod minime verum pntem. Quum non aliter *catum* hic dixerit Plautus, quam in Epidico, *consilium catum*, aut Ennius, *cata dicta:* qnod Varro interpretatur *acuta*. Unde et *Catonis* nomen factnm. VOSSIUS.

53. *Facile 'st inventu*. Hoc Lesboniei responsum ad parœmiam trahendum : « Altera manu fert aquam, altera ignem ». Quamvis enim hoc dicere videatur comicus, ignem etiam ab inimicis utendum sumi solere, ad frigus defendendum; aliud tamen dissimulanter innuit : nimirum, si quis rei iratus suæ, cum Venere ista Tibulliana, messes privatas combustum ire velit, ei porro homini ustrinæ ejusmodi conciunandæ materiam nullo unquam tempore defuturam; etiamsi mutuo illa vel ab inimicissimis sit petenda. A quibus quid mirum si ardor ille Vulcanius impetratu facillimus, quem hoc genus manu promtum gestitat assidue : ob causam quam exposni : non item de aqua, qui incendium restinguas. Et hæc germana est paradoxæ hujus sententiæ declaratio, qnidquid dicant interpretes. DOUZA. — Simplicior datur enarratio, si reputas Lesbonicum ipsis amici verbis alludere minantis ne scintillam quidem snperfuturam. N.

54. *Objurgans*, quasi deterrens jurgio a peccatis.

58. *Nunquam erit*, etc. Levis est nullius pretii homo. Menæch. III, 2, 23 : « levior pluma, pessume et neqnissume », opponitur gravi, magni æstimando. N.

61. *Tua quî toleres mœnia*. Unde tua *munia*, ut alii leg. civilia obeas, statum tuearis. Nam quì bonis caret, capite deminutus est.

Sed ut inops infamis ne sim; ne mihi hanc famam disferant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse, magis quam in matrimonium.
Quis me inprobior perhibeatur esse? hæc famigeratio
Te honestet, me autem conlutulet, si sine dote duxeris;
Tibi sit emolumentum honoris, mihi quod objectent, siet.
LYS. Quid, te dictatorem censes fore, si abs te agrum adceperim?
LESB. Neque volo, neque postulo, neque censeo; verum tamen
Is est honos homini pudico, meminisse opficium suum.
LYS. Scio equidem te, animatus ut sis; video, subolet, sentio.
Id agis, ut ubi adfinitatem inter nos nostram adstrinxeris,
Atque eum agrum dederis, nec quidquam heic tibi sit, quî vitam colas,
Ecfugias ex urbe inanis, profugus patriam deseras,
Congnatos, adfinitatem, amicos, factis nubtiis;
Mea opera hinc proterritum te meaque avaritia autument.
Id me conmissurum, ut patiar fieri, ne animum induxeris.
STAS. Non enim possum quin exclamem: Euge, euge, Lysiteles, πάλιν.
Facile palmam habes! hic victus: vicit tua comœdia.
Hic agit magis ex argumento, et versus meliores facit.

63. *Disferant. Differre famam*, est malis sermonibus differre. Vid. Epid. I, 2, 15.

68. *Tibi sit*, etc. Sic Nero apud Tacit. Annal. XIV, 57: « non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere ». N.

69. *Quid, te dictatorem.* Hoc eo pertinet, quod Lesbonicus dixerat, Lysitelem apud homines honorem consequuturum esse, si agrum non accipiat, se vero dedecus. Quid? inquit, si agrum mihi dederis, te dictaturam consequuturum putas? LAMB.

78. *Ne animum induxeris*, noli credere.

79. *Enim.* Mil. II, 3, 12. — Πάλιν, iterum dico *euge*.

81. *Hic agit magis ex argumento. Agere ex argumento* proprie dicitur histrio, qui omnem habitum, gestum, motum, vocem attemperat

Etiam ob stultitiam tuam te tueris? multam abomina.

LESB. Quid tibi interpellatio aut in concilium huc adcessio est?

STAS. Eodem pacto, quo huc adcessi, abscessero. LESB. I hac mecum domum,

Lysiteles, ibi de istis rebus plura fabulabimur.

LYS. Nihil ego in obculto agere soleo : meus ut animus est, eloquar.

Si mihi tua soror, ut ego æquom censeo, ita nubtum datur

Sine dote, neque tu hinc abiturus; quod meum erit, id erit tuum :

Sin aliter animatus es, bene quod agas eveniat tibi;

Ego amicus nunquam tibi ero alio pacto : sic sententia'st. (abit.)

STAS. Abiit, hercle, ille quidem : ecquid audis, Lysiteles? ego te volo. (abit Lesbonicus.)

Hic quoque hinc abiit. Stasime, restas solus : quid ego nunc agam?

Nisi uti sarcinam constringam, et clypeum ad dorsum adcommodem :

Fulmentas jubeam subpingi soccis : non sisti potest.

Video caculam militarem me futurum haud longius:

materiæ et narrationi ex argumento spectatoribus cognitæ. GRON.* — Proprie quidem de histrione dicitur agere. Sed poeta hoc loco intelligitur, qui commode argumentum tractaverat. — *Hic*, Lysiteles. Scilicet ad Lesbonicum convertitur oratio. N.

82. *Etiam ob stultitiam*. Cave ne tuæ imperitiæ des pœnas. — *Mult. abom.* deprecare multam, quam victus mereris. N.

88. *Neque tu hinc abiturus*. Forte, *abituris* ab *abiturio*. GRON.

91. *Ecquid audis?* audi.

94. *Fulmentas*. *Fulmentæ* sunt καττύματα, quod et *solum* Latinis. *Suppacta*, κεκασσυμένα· et *suppingere* est ἥλους ἐγκρούειν in calceos. Etsi enim hic clavi non nominantur, manifestum tamen id est ex illo Bacch. II, 3, ubi servus luxum laudat viri, qui clavis argenteis vel aureis in hanc rem usus. CAS. — *Non sisti potest*. Id est, actum est, periimus. Neque enim cepe-runt interpretes. Vide ad Livium, IV, 12. GRON.

95. *Caculam*. Glossæ vett. *Cacula*, δοῦλος στρατιώτου. Nonnullis et

Aut aliquem ad regem in saginam herus se conjexit meus.
Credo ad summos bellatores acrem fugitorem fore;
Et capturum spolia ibi illum... qui meo hero advorsus venerit.
Egomet autem quom extemplo arcum mihi, et pharetram, et sagittas sumsero,
Cassidem in caput... dormibo placide in tabernaculo.
Ad forum ibo; nudius sextus quoi talentum mutuum
Dedi, reposcam, ut habeam mecum quod feram viaticum.

SCENA TERTIA.

MEGARONIDES, CALLICLES.

MEG. Ut mihi narras, Callicles, nullo modo
Potest fieri prorsus, quin dos detur virgini.
CALL. Namque, hercle, honeste fieri ferme non potest,
Ut eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, quom ejus rem penes me habeam domi.
MEG. Parata dos domi'st, nisi exspectare vis,
Ut eam sine dote frater nubtum conlocet:
Post adeas tute Philtonem, et dotem dare
Te ei dicas; facere id ejus ob amicitiam patris.
Verum hoc ego vereor, ne istæc pollicitatio
Te in crimen populo ponat atque infamiam.

Calones dicuntur, qui militibus ligna suppeditabant, ut *Lixæ*, qui aquam, quam veteres *lixam* dixere: vel *calones*, quia ligneas clavas pro tutela dominorum gerebant: nam *ligna* κᾶλα vocant. SCAL.

96. *In saginam.* Qui saginetur a rege, utpote conductus miles. Egregie Tacit. Histor. II, 71: « luxu et saginæ mancipatus emtusque ».

97. *Ad.* Mil. I, 1, 12.

98. *Et capturum spolia ibi illum.* Ludit amphibolia; nam illum credas hucusque intelligi Lesbonicum, qui sensus παρὰ προσδοκίαν convertitur.

100. *Dormibo.* Pariter ut supra joculus præter exspectatum.

101. *Talentum mutuum.* Infra IV, 3, 48.

Non temere dicant te benignum virgini,
Datam tibi dotem, ei quam dares, ejus a patre;
Ex ea largitari te illi; neque ita, ut sit data, in-
Columem te sistere illi, et detraxe autument.
Nunc si obperiri vis adventum Charmidis,
Perlongum'st : huic ducenti interea abscesserit.
CALL. Nam, hercle, omnia istæc veniunt in mentem mihi.
MEG. Vide si hoc utibile magis atque in rem deputas,
Ut adeam Lesbonicum, edoceam ut res se habet.
CALL. Ut ego nunc adulescenti thesaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac lasciviæ?
Minume, minume, hercle, vero! nam certo scio
Locum quoque illum omnem, ubi situ'st, comederit:
Quem fodere metuo, sonitum ne ille exaudiat,
Neu ipsam rem indaget, dotem dare si dixerim.
MEG. Quo pacto ergo igitur? CALL. Clam dos depromi potest;
Dum obcasio ei rei reperiatur, interim
Ab amico alicunde argentum roges.

12. *Non temere*, non sine causa. Hoc junge cum *benignum*.

15. *Autument*. Amph. I, 1, 150.

17. *Ducenti abscesserit*. Recte quidem hæc mutila esse Lambinus vidit : sed ipsius interpretatio locum hic nullum habet. Nam Lysiteles eam sibi jam sine dote omni desponderat : nec audire de dote quidquam volebat. Legendum puto : « huic ducenti interea abscesserit » : id est, dos abscedet interea Lysiteli puellam ducenti : nam dixerat ante Megaronides : si virgini dotem dederis ex pecunia, quam tibi pater ejus clam concredidit, dicent omnes : « Datam tibi dotem, etc. » Subjungit : « Nunc si operiri vis adventum Charmidis, perlongum est; huic ducenti interea abscesserit ». Vides itaque ad dotem referri debere. Proinde ac si dicat : Si operiri voles tantisper, dum veniat Charmides, hic interea illam indotatam duxerit. Vel legendum : « hinc ducenda interea abscesserit ». Interea dum tu adventum patris præstolaris, illa, quam ducere vult, hinc ex ædibus tuis in domum mariti abibit. SCOPP.—Verbi *abscesserit* persona est virgo. I. e. virgo paterna domo abierit hunc secuta.

20. *Ut adeam Lesbonicum, edoceam*, etc. Vera est lectio *adeas* : nam consilium Megaronidæ est, non ut ipse, sed Callicles adeat et educeat adolescentem; ipsi enim cum illo nihil rei. Et huic ita suasisse, patet ex ejus responso. ACID.

29. *Ab amico*, etc. Versus man-

MEG. Potin' est ab amico alicunde exorari? CALL. Potest.
MEG. Gerræ! næ tu illud verbum actutum inveneris,
« Mihi quidem, hercle, non est quod dem mutuum ».
CALL. Malim, hercle, ut verum dicas, quam ut des mutuum.
MEG. Sed vide consilium, si placet. CALL. Quid consili 'st?
MEG. Scitum, ut ego opinor, consilium inveni. CALL. Quid est?
MEG. Homo conducatur aliquis jam, quantum potest,
Quasi sit peregrinus. CALL. Quid is scit facere postea?
MEG. Is homo exornetur graphice in peregrinum modum,
Ingnota facies, quæ non visitata sit,
Falsidicum, confidentem. CALL. Quid tum postea?
MEG. Quasi ad adulescentem a patre ex Seleucia
Veniat, salutem ei nuntiet verbis patris,
Illum bene gerere rem, et valere et vivere,
Et eum rediturum actutum. Ferat epistolas
Duas; eas nos consignemus, quasi sint a patre;
Det alteram illi, dicat alteram tibi

cus est, quem sic Lindemannus tentat sanare : « Ab amico alicunde mi argentum rogem ». N.—*Roges.* Malim legi *roget*, ut ad Lesbonicum referatur, cujus erat dotare sororem. Habebat enim adhuc agrum, sub cujus pignore pecuniam mutuo sumere poterat. Atque ita convenit id, quod Megaronidi subjicit : « Potin' est ab amico, etc » Pistor.

33. *Malim, hercle*, etc. Malim ob tuam malignitatem ut verum dicas, quum te nihil habere prædices, quam ut accipiam mutuum. Fingit Callicles se deneganti ipsi respondere. N.

36. *Quantum potest.* Cf. Bacch. II, 3, 114.

39. *Quæ non visitata sit.* Quæ non sæpe in his locis conspecta sit. Epid. et Pseud. II, 4.

40. *Falsidicum confidentem.* Etsi durius hæc cohærere videbantur, tamen scripturam vett. libb. noluimus temere mutare, præsertim has tot syllabas numeris exigentibus. Camer. — Non debebant vett. edd. hæc mutare in *falsidicus, confidensque*, contra libb. consensum. Repetendum est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *scit facere*. Ignota facies scit facere, aut facit, hominem falsidicum et confidentem. Boxh. — Malim intelligere *conducamus*, nisi unus versus elapsus fuerit. N.

42. *Salutem nuntiet*, salutet. — *Verbis patris.* Amph. III, 3, 12.

45. *Consignemus.* Infra 58, et Bacch. IV, 4, 64, 96.

Dare sese velle. CALL. Perge porro dicere.
MEG. Seque aurum ferre virgini dotem a patre
Dicat, patremque id jussisse aurum tibi dare.
Tenes jam? CAL. Propemodum, atque ausculto perlubens.
MEG. Tum tu igitur demum id adulescenti aurum dabis,
Ubi erit locata virgo in matrimonium.
CALL. Scite, hercle, sane. MEG. Hoc, ubi thesaurum ecfoderis,
Subspicionem ab adulescente amoveris.
Censebit aurum esse a patre adlatum tibi;
Tu de thesauro sumes. CALL. Satis scite et probe;
Quamquam hoc me ætatis sycophantari pudet.
Sed epistolas quando obsignatas adferet,
Siquidem obsignatas adtulerit epistolas,
Nonne arbitraris eum adulescentem anuli
Paterni signum gnovisse? MEG. Etiam tu taces?
Sexcentæ ad eam rem causæ possunt conligi:
Illum quem habuit, perdidit, alium post fecit novom.
Jam si obsignatas non feret, dici hoc potest:
Apud portitorem eas resignatas sibi
Inspectasque esse; in hujusmodi negotio
Diem sermone terere, segnities mera'st:
Quamvis sermones possunt longi texier.
Abi ad thesaurum jam confestim clanculum,
Servos, ancillas amove: atque audin'? CALL. Quid est?
MEG. Uxorem quoque ipsam hanc rem ut celes, face.
Nam, pol, tacere nunquam quidquam 'st quod queat.
Quid nunc stas? quin te hinc amoves, et te moves?

50. *Tenes jam?* CALL. *Propemodum.* Haud aliter edd. vett. attamen Pall. ambo, *propemodo*, inquit Gruterus. Et recte. Nam hoc exstat et Pseudol. I, 3: « Sed scin' quid nos volumus? BALL. Pol, ego propemodum ». Et est comparatum, qualia « exadvorsum, examussim, impræsentiarum », et similia. Invenimus quoque in scriptis Livii exemplaribus. GRON.

53. *Hoc* pacto.

57. *Sycophantari.* Conf. Milit. III, 1, 170.

Aperi, deprome inde auri ad hanc rem quod sat est.
Continuo operito denuo; sed clanculum,
Sicut præcepi; cunctos exturba ædibus.
CALL. Ita faciam. MEG. At enim nimis longo sermone utimur.
Diem conficimus, quod jam properato 'st opus.
Nihil est de signo quod vereare, me vide.
Lepida est illa causa: conmemoravi dicere,
Apud portitores esse inspectas : denique
Diei tempus non vides? quid illum putas
Natura illa atque ingenio? jamdudum ebriu'st.
Quidvis probari poterit : tum, quod maxumum'st,
Adferre, non petere hic se dicet. CALL. Jam sat est.
MEG. Ego sycophantam jam conduco de foro,
Epistolasque jam consignabo duas,
Eumque huc ad adulescentem meditatum probe
Mittam. CALL. Eo ego igitur intro ad opficium meum.
Tu istuc age. MEG. Actum reddam [nugacissume.]

82. *Quid illum putas*, etc. Ita distinguendum hoc sensu : Quum sit tam prope vespera, vix est quod dubites, quin, pro ea qua est natura atque ingenio, jam diu vino sit depositus. Simile Apuleianum Apul. I : « Quid sit diei vides : dico Crassum jamdudum ebrium stertere, etc. » Cæterum hinc notamus, literas peregre latas, portitoribus commissas ; utpote qui eas deinde curarent omnibus mitti. Terent. Phorm. I, 2 : « Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo, Et ad portitores esse delatam ; hanc petam ». GRUT.

84. *Probari*, persuaderi illi.

85. *Hic*, subornatus lator epistolarum.

86. *Conduco de foro.* Vide Pœn. III, 2.

88. *Intro*, domum.

89. *Ad opficium meum*, ad effodiendum thesaurum. TAUBM.

89. [*Nugacissume*]. Sic versum alias mancum Hermannus supplevit, MSS dantibus, « nugax sum nisi ». N.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

CHARMIDES.

Salsipotenti et multipotenti Jovis fratri ætherei Neptuno,
Lætus, lubens, laudes ago, et grateis gratiasque habeo, et fluctibus salsis,
Quos penes mei potestas, bonis meis quid foret, et meæ vitæ,
Quom suis me ex locis in patriam urbisque mœnia reducem faciunt.
Atque ego, Neptune, tibi ante alios deos gratias ago atque habeo summas.
Nam te omneis sævomque severumque atque avidis moribus conmemorant,
Spurcificum, inmanem, intolerandum, vesanum : contra opera expertus :

1. *Jovis fratri æth. Neptuno.* Hæc emendatio Bothiana, quum vulgo libri proferant : « Jovis fratri et Nerei Neptuni ». N.

3. *Bonis quid foret.* Supra I, 2, 110, et Terent. Heaut. IV, 3, 36 : « quid me fiat parvi pendis ». — *Et meæ vitæ.* Hunc genitivum refer ad illa, « quos penes mei potestas ». N.

4. *Quom*, valet *quod* post *grateis ago.* — *Urbisque mœnia reducem.* Ita conjecit Camerarius, quum esset in MSS *urbis cumam*, inquit Gruterus. Editiones priscæ utrumque vocabulum prætererunt. At suspicor scribendum : « in patriam urbem incolumem reducem faciunt ». Quum invenissent librarii *urbincolmen*, quibusdam ductibus obliteratis fecerunt, quod illic exstat. Gron.

6. *Avid. mor.* mare vorax.

7. *Spurcificum*, utpote qui fœdas tempestates conciet. — *Expertus* ego sum. N.

Nam, pol, placido te et clementi meo usque modo, ut volui, usus sum in alto.
Atque hanc tuam gloriam jam ante auribus adceperam gnobilem apud homines,
Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare.
Abi, laudo; scis ordine, ut æquom'st,
Tractare homines: hoc dis dignum'st, semper mendicis modesti sint.
Fidus fuisti; infidum esse iterant: nam absque foret te, sat scio, in alto
Distraxissent disque tulissent satelliteis tui me miserum fœde,
Bonaque omnia item una mecum passim cæruleos per campos.
Ita jam quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti:
Imbres fluctusque atque procellæ infensæ frangere malum,
Ruere antennas, scindere vela, ni tua pax propitia foret præsto.
Apage me, sis: deinde hinc certum'st otio me dare: satis partum habeo.
Quibus ærumnis deluctavi, filio dum divitias quæro!

9. *Gnobilem.* Vulgo, *et nobiles.* Haud liquido sensu. Nobilem, i. e. celebratam.

11. *Abi.* Curcul. II, 2, 5. — *Ordine.* Captiv. II, 3, 17.

13. *Fidem ... iterant.* Licet narrent te infidum, tamen fidus fuisti mihi. De verbo *iterare* vide Casin. V, 2, 5. — *Absque.* Conf. Bacch. III, 3, 8.

14. *Disque tulissent*, tmesis, *et distulissent.*

16. *Turbines venti.* Junxit speciem cum genere. Vide Trucul. V, 1. — *Turbines venti.* Curc. V, 2, 47.

18. *Ruere.* Ἐνεργητικῶς. Virgil. Georg. II: « et ruit atram Ad cælum nubem ». Item: *ruit omnia late.* Gron.

19. *Apage me.* Sic habent MSS et omnes edd. Neque *me* in *te* mutandum est cum Acidalio. Apage, inquit, me a te, Neptune; mei meorumque cura tibi nulla in posterum sit. Satis multas mihi divitias comparavi. A mari dehinc abstinebo. Nulla mihi dehinc res tecum erit. Boxh.

Sed quis hic est, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu specieque
Simul? pol, quamquam domum cupio, obperiar heic, quam gerat rem.

SCENA SECUNDA.

SYCOPHANTA, CHARMIDES.

SYC. Huic ego diei nomen Trinumo faciam; nam ego operam meam
Tribus numis hodie locavi ad arteis nugatorias.
Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia, atque Arabia,
Quas ego neque oculis, neque pedibus unquam usurpavi meis.
Viden' egestas quid negoti dat homini misero mali!
Qui ego nunc subigor trium numorum causa, ut has epistolas
Dicam ab eo homine me adcepisse, quem ego, qui sit homo, nescio,
Neque gnovi; neque gnatus, necne is fuerit, id solide scio.
CHARM. Pol, hic quidem fungino genere'st, capite se totum tegit;
Illurica facies videtur hominis; eo ornatu advenit.
SYC. Ille qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum.
Quæ voluit, mihi dixit; docuit, et præmonstravit prius,

2. *Numis*. Trucul. II, 7, 10.

4. *Quas ego neque oculis*, etc. Valet *usurpare*, crebro aliquid agere aut dicere : et sæpissime a Cic. *usurpare* pro *appellare* positum video, quod hodie satis tritum non est. Noster vero dicit, « usurpare oculis, usurpare sensibus », pro, *videre*, *sentire*: quæ multo minus sunt nota. GIFAN.

7. *Ab eo homine*, scilicet Charmide. N.

9. *Fungino genere 'st*. *Fungi* nihil sunt aliud fere, quam caput. Respexit ad causiam seu petasum, quam illa capite gestabat. LAMB.

Quómodo quidque agerem : nunc adeo, si quid ego addidero amplius,
Eo conductor melius de me nugas conciliaverit.
Ut ille me exornavit, ita sum ornatus : argentum hoc facit.
Ipse ornamenta a chorago hæc sumsit suo periculo.
Nunc ego si potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam, ut me esse ipsum plane sycophantam sentiat.
CHARM. Quam magis specto, minus placet mihi hominis facies : mira sunt,
Ni illic homo'st aut dormitator, aut sector zonarius.
Loca contemplat, circumspectat sese, atque ædeis gnoscitat.
Credo, edepol, quo mox furatum veniat, speculatur loca.
Magis lubido'st observare, quid agat; ei rei operam dabo.
SYC. Has regiones demonstravit mihi ille conductor meus:
Apud illas ædeis sistendæ mihi sunt sycophantiæ.
Foreis pultabo. CHARM. Ad nostras ædeis hic quidem habet rectam viam.
Hercle, opinor mihi advenienti hac noctu agitandum'st vigilias.

14. *Eo conductor melius.* Si ea, quæ doctus sum, expolivero, tanto melius conductor mea opera rem nugatoriam confecerit. LAMB. — *Melius conciliaverit.* Pretio meliore emerit. Pers. IV, 3, 69.

15. *Argentum hoc facit*, i. e. me adigit, ut hunc ornatum geram.

15. *A chorago.* Conf. Pers. I, 3, 79.

17. *Circumducere.* Bacch. II, 3, 77. Cf. Curc. IV, 1, 3.

18. *Ut me esse ipsum.* Ait se fore illum ipsum, pro quo sit exornatus; verum, non fictum. TAUBM.

19. *Mira sunt.* Conf. Bacch. III, 3, 46.

20. *Dormitator.* Id est, fur. Quemadmodum et Hesiodus ἡμερόκοιτον furem appellat; quod interdiu dormiat, noctu evigilet ad furandum. TURN.

21. *Circumspectat sese.* Supra I, 2, 109. — *Gnoscitat*, noscere conatur, explorat. Vide Amph. II, 2, et Stich. II, 1.

24. *Conductor*, Callicles.

27. *Agitandum 'st vigilias*, pro, « agitandæ sunt vigiliæ ». Sic loquebantur interdum antiqui, ut Varr. de Re Rust. II, 7 : « Prodigendum equuleos »; et alibi, « tempora animadvertendum et loca idonea providendum ». GRON.

SYC. Aperite hoc, aperite : heus ! ecquis his foribus tutelam gerit ?

CHARM. Quid, adulescens, quæris ? quid vis ? quid istas pultas ? SYC. Heus, senex !

Census, quom juratori recte rationem dedi.

Lesbonicum heic adulescentem quæro, in his regionibus

Ubi habitet, et item alterum ad istanc capitis albitudinem;

Calliclem aibat vocari, qui has mihi dedit epistolas.

CHARM. Meum gnatum hic quidem Lesbonicum quærit et amicum meum, *

Quoi ego liberosque bonaque conmendavi, Calliclem.

SYC. Fac me, si scis, certiorem, hice homines ubi habitent, pater.

CHARM. Quid eos quæris ? aut quis es ? aut unde es ? aut unde advenis ?

SYC. Multa simul rogitas ! nescio quid expediam potissumum.

Sin unum quidquid singillatim et placide percunctabere,

28. *Foribus tutelam gerit.* Alloquitur « Ostiarium, qui, ut ait Ovidius, egressus introitusque videt ». Erant autem janitores sive ostiarii isti in catenis : idque prisco instituto, quod ex Ovid. Fast. lib. claret. WOUWER.

29. *Adulescens.* Conf. Menæchm. II, 2, 11, 15.

30. *Census, quom juratori recte.* Placuit conjectura Boxhornii, legentis, « Census sum, juratori recte rationem dedi ». Alioquin ferri etiam potest quod habent scripti codices : « Census cum juratori recte rationem dedi ». SALM. — *Juratorem* esse ipsissimum censorem, magistratum populi romani, et legendum : « Census cum juratori » : id est, quum censum edidi vel professus sum apud censorem, per intellectum verbi substantivi, docuimus Observ. IV, 4. GRON. — Ergo vult sycophanta : Noli me quæstionibus urgere; tu censor non es, qui me, quid agam, jure interroges; cui reddam rationem.

32. *Ad istanc.* Alterum tibi albitudine similem. De voce *iste* conf. Mostell. V, 2, 44, 46. De voce *ad*, Mil. IV, 1, 21.

33. *Qui h. d.* nempe senex, cujus nomen oblitus est, i. e. Charmides.

36. *Hice homines ubi.* MSS ambo : *hosce homines*, non de nihilo, inquit Gruterus. Itaque hoc recepimus. Nihil enim frequentius hoc genere loquendi apud Plautum. Vide ad Senec. de Benef. IV, 32. GRON.

Et meum nomen, et mea facta, et itinera ego faxo scias.
CHARM. Faciam ita ut vis : agedum nomen tuum primum memora mihi.
SYC. Magnum facinus incipissis petere. CHARM. Quid ita? SYC. Quia, pater,
Si ante lucem ire obcipias a meo primo nomine,
Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.
CHARM. Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.
SYC. Est minusculum alterum, quasi vasculum vinarium.
CHARM. Hic homo solide sycophanta'st. Quid ais tu, adulescens? SYC. Quid est?
CHARM. Eloquere, isti tibi quid homines debent, quos tu quæritas?
SYC. Pater istius adulescentis dedit has duas mihi epistolas
Lesbonici : mihi est amicus. CHARM. Teneo hunc manifestarium.
Me sibi epistolas dedisse dicit : ludam hominem probe.
SYC. Ita ut obcepi si animum advortas, dicam. CHARM. Dabo operam tibi.
SYC. Hanc me jussit Lesbonico suo gnato dare epistolam,
Et item hanc alteram suo amico Callicli jussit dare.
CHARM. Mihi quoque, edepol, quom hic nugatur, contra nugari lubet.
Ubi ipse erat? SYC. Bene rem gerebat. CHARM. Ergo ubi? SYC. In Seleucia.

42. *Facinus*, rem.

44. *Si ante lucem*, etc. Talem decursum nominum vide Pers. IV, 6, 20-23.

45. *Opus face est et viatico.* Ut scilicet in tam longo itinere et victus suppetat, et in tenebris lumen. LIPSIUS.

46. *Quasi vasculum vinarium.* Digna merobibulo mensura.

47. *Quid ais tu?* Conf. Aulul. IV, 9, 7.

52. *Dabo operam*, audiam. Cf. Menæchm. V, 9, 40.

56. *Ubi ipse erat?* Duplex potuit esse hujus quæstionis intellectus;

CHARM. Ab ipson' istas adcepisti? SYC. E manibus dedit mihi ipse in manus.

CHARM. Qua facie est homo? SYC. Sesquipede quidem'st quam tu longior.

CHARM. (secum.) Hæret hæc res: siquidem ego absens sum, quam præsens longior.

Gnovistin' hominem? SYC. Ridicule rogitas, quocum una cibum

Capere soleo. CHARM. Quid est ei nomen? SYC. Quod, edepol, homini probo.

CHARM. Lubet audire. SYC. Ille, edepol... illi... illi... væ misero mihi!

CHARM. Quid est negoti? SYC. (secum.) Devoravi nomen inprudens modo.

CHARM. Non placet, qui amicos intra denteis conclusos habet.

SYC. Atque etiam modo vorsabatur mihi in labris primoribus.

CHARM. (secum.) Temperi huic hodie anteveni. SYC. Teneor manifesto miser.

CHARM. Jamne conmentatus es nomen? SYC. Deum, hercle, me atque hominum pudet.

CHARM. Vide, homo, ut hominem gnoveris. SYC. Tamquam me: fieri istuc solet,

quam ad expeditiorem sibi interpretationem affectat convertere; cf. Bacch. II, 2, 11. Sed cogitur ad veram redire viam iterata quæstione : « ergo ubi? » N.

59. CH. *Hæret hæc res.* Amph. II, 2, 182.

60. *Ridicule*, ridiculi causa.

61. *Quid nomen.* Conf. Amph. I, 1, 208.

64. *Intra denteis conclusos.* Nempe sycophanta mussitanti similis, aliquid confusum ore clauso murmurabat, quæritans elapsum nomen. Infra 80. N.

67. *Conmentatus.* In duos sensus hoc verbum diducebatur, meminisse et excogitare. N.

68. *Istuc fieri solet.* Præponunt hic MSS aliam personam, teste Grutero. Sed censet Pistorius relinquenda verosimilius esse Trinummo, ut se excuset quod nomen oblitus sit. TAUBM.

Quod in manu teneas atque oculis videas, id desideres.
Literis recomminiscar. C est principium nomini.
CHARM. Callicias? SYC. Non est. CHARM. Callippus? SYC. Non est. CHARM. Callidemides?
SYC. Non est. CHARM. Callinicus? SYC. Non est. CHARM. Callimarchus? SYC. Nil agis.
Neque adeo, edepol, floccifacio, quando egomet memini mihi.
CHARM. At enim multi Lesbonici sunc heic; nisi nomen patris
Dices, non monstrare possum istos homines, quos tu quæritas.
Quod ad exemplum'st? conjectura si reperire possumus.
SYC. Ad hoc exemplum est, Char. CHARM. An Chares? an Charidemus? num Charmides?
SYC. Hem istic erit : quî istum di perdant! CHARM. Dixi ego jamdudum tibi :
Te potius bene dicere æquom'st homini amico, quam male.
SYC. Satin' intra labra atque denteis latuit vir minumi preti?
CHARM. Ne male loquare absenti amico. SYC. Quid ergo ille ingnavissumus
Mihi latitabat? CHARM. Si adpellasses, respondisset, nomine.
Sed ipse ubi est? SYC. Pol, illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia insula.
CHARM. (ad spectatores.) Qui homo est me insipientior, qui ipse egomet, ubi sim, quæritem?

73. *Mihi.* Satis est me mihi scire, etsi dicere tibi non possum. Vulgata *mei*, scilicet nominis, a MSS discedeus. N.

77. SYC. *Ad hoc exemplum est, Char*, etc. Ita ingeniosissime restituit Palmerius. Quærit Charmides, ad quod exemplum sit nomen : si forte ita tandem ad verum perveniri posset. Respondet *Char* esse initium. TAUBM.

78. *Quî istum.* Casin. II, 4, 1.

80. *Satin'.* Conf. Mostell. I, 1, 73.

83. *In Cecropia.* Nil mutandum est. Nomen insulæ et insula, et ficta sunt, et ejusmodi alia passim apud Plautum. BOXH.

Sed nihil disconducit huic rei. Quid ais? SYC. Quid? CHARM. Hoc te rogo:
Quos locos adisti? SYC. Nimium miris modis mirabileis.
CHARM. Lubet audire, nisi molestum'st. SYC. Quin discupio dicere.
Omnium primum, in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus.
CHARM. Eho! an etiam Arabia'st in Ponto? SYC. Est; non illæc, ubi tus gignitur,
Sed ubi absinthium fit, atque cunila gallinacea.
CHARM. Nimium graphicum hunc nugatorem! sed ego sum insipientior,
Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quæ ego sciam, atque hic nesciat:
Nisi quia lubet experiri, quo evasuru'st denique.
Quid est tibi nomen, adulescens? SYC. Pax, id est nomen mihi:
Hoc cotidianum'st. CHARM. Edepol, nomen nugatorium:
Quasi dicas, si quid crediderim tibi, pax! periisse inlico.
Sed quid ais? Quo inde iisti porro? SYC. Si animum advortas, eloquar.
Ad caput amnis, quod de cælo exoritur sub solio Jovis.

85. *Disconducit*, male conducit. —*Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7.

90. *Cunila gallinacea.* Κονίλη græce origanum; unde Latinis *cunila* et *conila*. Unde *conila bubula*, ἡ βουκονίλη, vel βούτης ὀρίγανος, quod boves a scabie sanos præstaret. Sic ὀνῖτις ὀρίγανος, *cunila asinaria*, ab eadem fortasse causa, quod asinorum scabiem emendaret. Alia fuit *conila gallinacea*, i. e. origanum gallinaceum. Plinius Hist. Nat. « est alia cunila gallinaeca appellata nostris, Græcis origanum heracleoticum ». Forte quod galli gallinacei semen ejus appetant. SALM.

96. *Pax periisse inlico.* Non opus est ut hoc loco scribatur *tax*, quod visum Salmasio. *Pax*, ut supra indicavimus, ad Mil. III, 1, 211, interjectio est finem imponentis vel silentium jubentis. Tum indicat non esse amplius, quod de ea re, de qua sermo est, dicas, rem ad finem perductam esse. Sic apud Terent. Heaut. II, 3, 50, IV, 3, 39. Igitur hoc dicit Charmides: Nomen tuum sic ego interpretor, quasi quis, quum tibi aliquid credidit, dicat: finis est, periit. LIND.

CHARM. Sub solio Jovis? SYC. Ita dico. CHARM. E cælo? SYC. Atque e medio quidem.
CHARM. Eho! an etiam in cælum escendisti? SYC. Imo horiola advecti sumus,
Usque aqua advorsa per amnem. CHARM. Eho, an etiam vidisti Jovem?
SYC. Alii dii isse ad villam aibant servis depromtum cibum.
Deinde porro.... CHARM. Deinde porro nolo quidquam prædices.
SYC. Ego, hercle, si es molestus. CHARM. Nam pudicum neminem
Esse oportet, qui abs terra ad cælum pervenerit.
SYC. Dimittam, ut te velle video : sed monstra hosce homines mihi.
Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epistolas.
CHARM. Quid ais tu nunc? si forte eum ipsum Charmidem conspexeris,
Illum, quem tibi istas dedisse conmemoras epistolas,
Gnoverisne hominem? SYC. Næ tu me, edepol, arbitrare beluam,
Qui quidem non gnovisse possim, quicum ætatem exegerim.
An ille tam esset stultus, qui mihi mille numûm crederet
Philippeûm, quod me aurum deferre jussit ad gnatum suum,
Atque ad amicum Calliclem, quoi rem aibat mandasse heic suam,
Mihi concrederet, nisi me ille et ego illum gnossem adprobe?
CHARM. Enimvero ego nunc sycophantæ huic sycophantari volo,

100. *Horiola.* Quæ navis modica piscatorum. Vid. Rud. IV, 2.

108. *Quid ais tu?* Conf. Aulul. IV, 9, 7.

Si hunc possum illo mille numûm philippeo circumducere,
Quod sibi me dedisse dixit : quem ego, qui sit homo, nescio,
Neque oculis ante hunc diem unquam vidi, eine aurum crederem?
Quoi, si capitis res siet, numum nunquam credam plumbeum.
Adgrediundu'st hic homo mihi astu. Heus, Pax, te tribus verbis volo.
SYC. Vel trecentis. CHARM. Haben' tu id aurum, quod adcepisti a Charmide?
SYC. Atque etiam philippeûm, numeratûm illius in mensa manu,
Mille numûm. CHARM. Nempe ab ipso id adcepisti Charmide?
SYC. Mirum quin ab avo ejus, aut proavo adciperem, qui sunt mortui.
CHARM. Adulescens, cedodum istuc aurum mihi. SYC. Quod ego aurum dem tibi?
CHARM. Quod a me adcepisse fassus. SYC. Abs te adcepisse? CHARM. Ita loquor.
SYC. Quis tu homo es? CHARM. Qui mille numûm tibi dedi, ego sum Charmides.
SYC. Neque, edepol, tu is es, neque hodie is unquam eris, auro huic quidem.
Abi, sis, nugator; nugari nugatori postulas.

117. *Illo mille n.* Mille hic fit nomen; i. e. aureis illis mille numis philippeis. Cf. Mil. IV, 2, 73. — *Circumducere.* Bacch. II, 3, 77. N.

120. *Si capitis res siet*, si in summo periculo versetur, nummum etiam plumbeum fidei ejus non credam redimendæ salutis gratia.

123. *In mensa*, apud trapezitam, in foro. LAMB.

125. *Mirum quin.* Aul. I, 2, 7.

126. *Cedodum*, da.

129. *Auro huic quid.* Sic omnes omnino habent edd. et MSS Cam. Ait enim, etsi in aliis rebus omnibus sis Charmides; at non eris etiam isti auro. GRUT

130. *Nugari nugatori*, ludere lusorem. — *Postulas.* Conf. Amph. II, 2, 157. N.

CHARM. Charmides ego sum. SYC. Nequidquam, hercle, es : nam nihil auri fero.
Nimis argute obrepsisti in eapse obcasiuncula :
Postquam ego me aurum ferre dixi, post tu factus Charmides.
Prius tu non eras, quam auri feci mentionem : nihil agis.
Proin' tu te itidem, ut Charmidatus es, rursum recharmida.
CHARM. Quis ego sum igitur, siquidem is non sum, qui sum? SYC. Quid id ad me adtinet?
Dum ille ne sis, quem ego esse nolo, sis mea causa qui lubet.
Prius non is eras, qui eras: nunc is factus, qui tum non eras.
CHARM. Age si quid agis. SYC. Quid ego agam? CHARM. Aurum redde. SYC. Dormitas, senex.
CHARM. Fassus Charmidem dedisse aurum tibi. SYC. Scribtum quidem.
CHARM. Properas, an non properas abire actutum ab his regionibus,
Dormitator, priusquam ego heic te jubeo mulcari male?
SYC. Quamobrem? CHARM. Quia illum quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides,
Quem tibi epistolas dedisse aibas. SYC. Eho! quæso an tu is es?

135. *Recharmida.* Festive Plautus alludens ad græci nominis (χάρμη, *lætitia*) significationem, Charmidem auri mentione interposita delectatum, et Charmidem professum, jubet se *recharmidare*, hoc est, conceptam lætitiam et assumtum nomen deponere. DURANT. — Simpliciter interpretor : Tu qui Charmidem te fecisti, rursus te recharmida, Charmidem te esse nega. Nihil agis, nihil obtinebis nomine isto falso et tibi non competente. BOXH. — *Recharmida.* Lepide confictum Plauto verbum, ut Moliero hæc : *et l'on me désosie enfin, Comme on vous désamphitryonne.* N.

137. *Mea causa*, per me licet. Epid. V, 2, 14.

139. *Age si quid agis.* Locutio urgentis, i. q. agedum.

140. *Scribtum quidem.* Quasi dicat: Non ipsum aurum mihi dedit, sed tantum auri summam in tabellis notatam. LAMB.

142. *Dormitator.* Supra 90.

CHARM. Is enimvero sum. SYC. Ain' tu tandem, is ipsusne es? CHARM. Aio. SYC. Ipsus es?
Ipsus, inquam, Charmides sum. SYC. Ergo ipsusne es? CHARM. Ipsissumus.
Abi hinc ab oculis. SYC. Enimvero sero quoniam advenis,
Vapulabis meo arbitratu et novorum ædilium.
CHARM. At etiam maledicis? SYC. Imo, salvos quandoquidem advenis,
Di te perdant; etsi floccifacio, an periisses prius.
Ego ob hanc operam argentum adcepi; te macto infortunio.
Cæterum qui sis, qui non sis, floccum non interduim.
Ibo ad illum, renuntiabo qui mihi treis numos dedit,
Ut sciat se perdidisse: ego abeo; male vive et vale.
Quod di te omneis advenientem peregre perdant, Charmides!
CHARM. Postquam ille hinc abiit, post loquendi libere
Videtur tempus venisse, atque occasio.
Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negoti fuerit ante ædeis meas.
Nam epistola illa mihi concenturiat metum

147. *Enimvero sero quoniam.* Ad histrionum pœnas alludi manifestum est. Ii vero, si quid deliquerant in actione, vapulabant. In Cistellariæ epilogo: «... ornamenta ponent: postidea loci Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet». In culpis autem fuisse, si quia serius quam oporteret, proscenium ingrederetur, non dubium est. Hinc sycophanta Charmidi minatur, qui fabula jam magnam partem acta peregre domum venit, daturum eum pœnas, quod sero venerit. J. GUL.

150. *Etsi floccifaccio.* Gratulaturus seni videbatur, quum inciperet: «salvus quandoquidem advenis»: at παρὰ προσδοκίαν subjicit, *dii te perdant.* Quoniam incolumis hic venisti, pereas, inquit: etsi mea causa perire potueras etiam prius; nec ego floccum interduim, si id factum. Hæc germana est sententia, joco lepidissime constans. Tantum pro *si te* factum *etsi*, trajectis literis. ACIDAL.

151. *Ob hanc operam*, mercedem jam accepi ob hanc sycophantiam. — *Te macto infortunio.* Cf. Curcul. IV, 3, 5. N.

160. *Concenturiat. Concenturiare* est colligere: dictum a centuriis, quæ ad suffragia conveniebant:

In corde, et illud mille numûm quam rem agat.
Nunquam, edepol, temere tinniit tintinnabulum:
Nisi qui illud tractat, aut movet, mutum'st, tacet.
Sed quis hic est, qui huc in plateam cursuram incipit?
Lubet observare quid agat: huc concessero.

SCENA TERTIA.

STASIMUS, CHARMIDES.

STAS. Stasime, fac te propere celerem, recipe te ad dominum domum;
Ne subito metus exoriatur scapulis stultitia tua.
Adde gradum, adpropera; jamdudum factum'st, quom abisti domo.
Cave, sis, tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent,
Si abieris ab heri quæstione; ne destiteris currere.
Ecce hominem te, Stasime, nihili! satin' in thermopolio
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?

ulitur et Pseud. I, 5. Ita Terent. Phorm. I, 4: « ...ego in subsidiis hic ero Succenturiatus, si quid deficies ». Id est, ero successor in locum deficientis, ad supplementum centuriæ. A re militari. L.

162. *Nunquam, edepol.* Quemadmodum tintinnabulum temere et sine motu alieno tinnire non solet, ita hic sycophanta non temere, sed ab aliu subornatus ad ædes meas cum literis venit. LAMB.

163. *Nisi qui*, i. e. nisi quis.

1. *Stasime, fac te propere*, etc. Cf. Merc. I, 2.

3. *Jamdudum factum 'st.* Pers. V, 2, 41.

4. *Ne bubuli in te cottabi crebri.* Græci in conviviis solebant e poculo reliquias vini arte quadam in terram elidere, ut sonum redderent, vel (ut Cicero de eodem I Tuscul.), *resonaret*; idque κοτταβίζειν, *facere cottabum*, vocabant. Quo respiciens Plautus, *cottabos bubulos* facete vocat vel plagarum crepitus, qui eduntur, quum servi corio bubulo cæduntur, vel lora ipsa, quibus cæduntur. LIPS.

6. *Satin'.* Casin. III, 4, 8. — *Thermopolio.* Curc. II, 3, 14.

7. *Condalium. Condulus*, vel *condalus* et *condalium*, anuli genus Festo est, quem servos digitis gessisse Cælius auctor est. Ἀπὸ τῶν κονδύλων, a digitorum articulis, duco. Plautus quoque fabulam Menandri Δακτύλιον quum verteret,

Recipe te, et recurre petere re recenti. CHARM. Huic, quisquis est,
Curculio'st exercitor; is hunc hominem cursuram docet.
STAS. Quid, homo nihili, non pudet te? tribusne te poteriis
Memoria esse oblitum? an vero, quia cum frugi hominibus
Ibi bibisti, qui ab alieno facile cohiberent manus?
Theruchus fuit, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus,
Oculicrepidæ, Cruricrepidæ, Ferriteri, Mastigiæ.
Inter eosne homines condalium te redipisci postulas,
Quorum eorum unus surripuit currenti cursori solum?
CHARM. Ita me di ament, graphicum furem! STAS. Quid ego, quod periit, petam?
Nisi etiam laborem ad damnum adponam epithecam insuper?
Quin tu quod periit, periisse ducis? cape vorsoriam.

Condalium eam nominavit. SALM. — *Thermopotasti gutturem*, id est, postquam calida potione guttur proluisti. TURN.

8. *Huic, quisquis est, Curculio 'st exercitor.* Puteın hoc ab athletis sumtum, quibus gymnastæ sui et magistri exercitores. Quia igitur in brevitate illa proscenii currebat servulus et recurrebat, sed lento et mimico cursu, senex ludit, et Hunc hominem, inquit, tardus aliquis Gurgulio ad cursum exercuit: ita currit, nec procurrit. Non alia allusione aut sententia, supra dictum: « magis exercitor animus hic est ». LIPS.

13. *Theruchus*, etc. Nomina servulorum a Plauto conficta: quorum ἔτυμα investigare, esset otio suo abuti. TAUBM. — Sed furacium ingenia satis clare significantur. N.

16. *Quorum eorum unus*, etc. Ita versute docti sunt et exercitati in furto artifices, ut unus eorum surripuerit cursori, dum curreret, soleam calceamenti. *Solum* est infimum pedis calcaneum et calcei soleam significat. Lucret. I: « Nullius loca trita solo, etc. » Martialis lib. IX, 75: « En mordere luto putre vetusque solum ». SCAL. — Bacch. II, 3, 18.

17. *Graphicum.* Conf. Epid. III, 3, 27.

19. *Periit, periisse.* Cist. IV, 2, 36. — *Cape vorsoriam.* Fit a παλίνδρομος, « Da vela retrorsum », ut loquitur Flaccus. Turneb. XX, 4. *Versoria* est funis quo velum vertitur. TAUBM.

Recipe te ad herum. CHARM. Non fugitivos est hic homo, conmeminit domi.
STAS. Utinam veteres mores, veteres parsimoniæ
Potius majori honori heic essent, quam mores mali!
CHARM. Di inmortaleis! basilica hic quidem facinora inceptat loqui.
Vetera quærit, vetera amare hunc, morem majorum, scias.
STAS. Nam nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet.
Ambitio jam more sancta'st, libera'st a legibus;
Scuta jacere, fugereque hosteis, more habent licentiam;
Petere honorem pro flagitio, more fit. CHARM. Morem inprobum.
STAS. Strenuos præterire, more fit. CHARM. Nequam quidem.
STAS. Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam,
Magis quis sunt obnoxiosæ, quam parenteis liberis.
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,

21 seqq. *Utinam.* Cf. inf. 43.

28. *Basilica.* Pœn. III, 1, 74.— *Facinora.* Supra sc. 2, 42.

24. *Quærit*, desiderat. — *Scias.* Capt. III, 4, 55.

25. *Nisi.* Aulut. IV, 10, 75.

28. *Pro flagitio*, quasi morum flagitiosorum præmium.

31. *Obnoxiosæ.* Vulgo *obnoxiosi*, ut sententiæ contrarium. *Obnoxiosus*, multum est obnoxius : ibique perverti jura omnia servus queritur : et præter alia, leges a moribus jam in suam potestatem perductas, quum ipsi contra legibus obnoxii esse debeant magis, quam hodie sint parentes liberis suis, qui itidem parentibus esse potius debeant. Ita duplex est incusatio, illæc directa in mores; hæc obliqua in liberos, quæ occultior fefellit hactenus; sed quo occultior, eo acrior est, et ex transverso vehementius mordet. Utrumque contra naturam est : Leges moribus, parentes liberis obnoxios esse. Quem sensum invidit usurpatio vocis ejus, aut potius reliqua loquendi forma duplex : semel enim de jure, ut vocant, accipitur; iterum de facto : et prius in mores, alterum in parentes dictum. Vide Stich. II, 2, 41. ACID.

32. *Eæ miseræ*, etc. Quod leges ligneis vel æreis incisæ tabulis ad parietem in foro affigantur, ut ab omnibus cognosci possint, id servulus urbane trahit in aliam par-

Ubi malos mores adfigi nimio fuerat æquius.

CHARM. Lubet adire atque adpellare hunc; verum ausculto perlubens,
Et metuo, si conpellabo, ne aliam rem obcipiat loqui.

STAS. Neque istis quidquam lege sanctum 'st. Leges mori serviunt:
Mores autem rapere properant, qua sacrum, qua publicum.

CHARM. Hercle, istis malam rem magnam moribus dignum 'st dari!

STAS. Nonne hoc publice animum advorti? nam id genus hominum omnibus
Universis est advorsum, atque omni populo male facit;
Male fidem servando, illis quoque abrogant etiam fidem,
Qui nihil meriti; quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Hoc quî in mentem venerit mihi, reipsa modo conmonitus sum.
Si quis mutuom quid dederit, fit pro proprio perditum.
Quom repetas, inimicum amicum beneficio invenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio:
Vel illud, quod credideris, perdas; vel illum amicum amiseris.

tem, quasi legibus fiat injuria, aut quasi per leges supplicio afficiantur innocentes. Ita jocatur et Capt. IV, 3, *de pernis indemnatis*. Ant. Augustin.—Virg. Æn. VI, 622.

83. *Ubi adfigi*, etc. Ridicule convertit locutionem ad servile supplicium, malum cruciatum, quem malis moribus imprecatur.

34. *Verum ausculto*. Conf. Aulul. III, 5, 22, 49.

37. *Qua sacrum. Qua, qua*. Conf. Mil. IV, 3. Ern.

38. *Dignum 'st*. Conf. Aulul. II, 2, 47.

39. *Nonne hoc*, etc. Nonne hoc publica animadversione coerceri debet? Lamb.

41. *Male fidem servando*. Lamb. hoc ad magistratus refert, minus apposite: loquitur enim de debitoribus non solventibus, et stomachatur sibi fidem in talento reddendu non servatam. Et ita, ait, malos debitores fidem non servando, facere, ut etiam iis, qui servaturi essent, tantu difficilius credatur. Pistor.

45. *Invenis*, comparas, tibi facis. Capt. II, 3, 81.

CHARM. Meus est hic quidem Stasimus servos. STAS. Nam ego talentum mutuom
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.
Sed ego sum insipientior, qui rebus curem publicis
Potius, quam id quod proxumum'st, meo tergo tutelam geram.
Eo domum. CHARM. Heus tu, adsta inlico : audi, heus tu. STAS. Non sto. CHARM. At ego te stare volo.
STAS. Quid si egomet te velle nolo? CHARM. Ha nimium, Stasime, sæviter!
STAS. Emere meliu'st, quoi inperes. CHARM. Pol, ego emi, atque argentum dedi.
Sed si non dicto audiens est, quid ago? STAS. Da magnum malum.
CHARM. Bene mones, ita facere certum'st. STAS. Nisi quidem es obnoxius.
CHARM. Si bonus es, obnoxius sum; sin secus est, faciam uti jubes.
STAS. Quid id ad me adtinet, bonisne servis tu utare an malis?

50. *Sum insipientior*, etc. Pers. I, 2, 23.—*Rebus curem.* Rara syntaxis. Trucul. I, 2, 35. N.

52. *Non sto.* Errorem præsentes non agnoscentium magnitudo proscenii antiqui similem vero facere potuit, dein actio histrionum tuebatur, qui abibant non respectantes; denique inscitia tum spectatorum, qui ridiculum magis quam decorum sectabantur, probavit.—*Quid ago?* Sæpe præsens pro futuro ponitur, et sic Stasimus accepit. Vid. Pœnul. IV, 2, 29; Trucul. I, 2, 19, et Most. II, 1, 21. N.

55. *Dicto audiens est.* Ita legendum uti et mox, *si bonus est*, et, *sin secus est*, non *es*. Neque enim hoc de Stasimo, sed de quovis indefinite capiendum: quod vel illud conjicit: « ST. Quid id ad me attinet, etc. » Ad verbum igitur *emi* non *te*, sed *aliquem* subintelligendum. ACID. — *Da m. mal.* Emendatio Gulielmi. Vulgo *damnum* neque sententiæ neque metro commodum. N.

56. *Nisi quidem es obnoxius.* Cum hac exceptione quidem, nisi servo tuo, ob alia ejus recte facta, multum debeas. LAMB. — Conf. Stich. III, 2, 4.

CHARM. Quia boni malique in ea re pars tibi est. STAS. Partem alteram
Tibi permitto, illam alteram ad me, quod boni est, adponito.
CHARM. Si eris meritus, fiet : sed respice ad me huc; ego sum Charmides.
STAS. Hem, quis est, qui mentionem facit homo hominis optumi?
CHARM. Ipse homo optumus. STAS. Mare, terra, cælum, di, vostram fidem!
Satin' ego oculis plane video? estne ipsus, an non est? is est.
Certe is est, is est profecto : o mi here exoptatissume,
Salve! CHARM. Salve, Stasime. STAS. Salvom te... CHARM. Scio et credo tibi.
Sed omitto alia; hoc mihi responde. Liberi quid agunt mei,
Quos reliqui heic, filium atque filiam? STAS. Vivunt, valent.
CHARM. Nempe uterque? STAS. Uterque. CHARM. Di me salvom et servatum volunt.
Cætera intus otiose percunctabor quæ volo.
Eamus intro, sequere. STAS. Quo tu te agis? CHARM. Quonam, nisi domum?
STAS. Heiccine uos habitare censes? CHARM. Ubinam ego alibi censeam?
STAS. Jam... CHARM. Quid jam? STAS. Non sunt nostræ ædeis istæ. CHARM. Quid ego ex te audio?
STAS. Vendidit tuus gnatus ædeis. CHARM. Perii! STAS. Præsentariis
Argenti minis numeratis. CHARM. Quot? STAS. Quadraginta. CHARM. Obcidi!

66. *Salvom te.* Additurus erat *advenisse gaudeo*, etc. Cf. Bacch. II, 2, 6, 7, et sc. seq. 5.

67. *Quid agunt.* Aulul. I, 2, 39. Similis festinatio de filio quærendi' Bacch. II, 3, 10, 12. N.

69. *Di me servatum*, etc. Locutio sibi gratulantium. Cf. V, 4, 5.

Qui eas emit? STAS. Callicles, quoi tuam rem conmendaveras;
Is habitatum huc conmigravit, nosque exturbavit foras.
CHARM. Ubi nunc filius meus habitat? STAS. Heic, in hoc posticulo.
CHARM. Male disperii! STAS. Credidi ægre tibi id, ubi audisses; fore.
CHARM. Ego miser meis periculis sum per maria maxuma
Vectus capitali periculo, per prædones plurimos
Me servavi, salvos redii; nunc heic disperii miser,
Propter eosdem, quorum causa fui hac ætate exercitus.
Adimit animam mihi ægritudo: Stasime, tene me. STAS. Visne aquam
Tibi petam? CHARM. Res quom animum agebat, tum esse obfusam oportuit.

SCENA QUARTA.

CALLICLES, CHARMIDES, STASIMUS.

CALL. Quid hoc heic clamoris audio ante ædeis meas?
CHARM. O Callicles! o Callicles! o Callicles!
Qualine amico mea conmendavi bona!
CALL. Probo et fideli, et fido, et cum magna fide;
Et salve, et salvom te advenisse gaudeo.
CHARM. Credo omnia istæc, si ita'st, ut prædicas.

80. *Meis periculis.* Emendavit Bothius, deinde Lindemannus recepit *minumis vehiclis*, ne tautologia retioeretur sequentibus *capitali periculo*. At vel repetitionem, etiamsi auxesis non adesset, nudam malim, quam supplementum haud ita lepidum, ut opinor. N.

83. *Hac ætate.* Nonius legit, *hoc ætate:* unde suspicor scriptum, *hoc ætatis*, id est, ætate tam præcipiti atque effeta. Ut *hoc noctis*, pro, nocte tam sera sive intempesta. DOUZA.

84. *Tene me.* Cas. III, 5, 12.

85. *Res quom animam agebat.* Quum res familiaris peribat, illi oportuit offundere aquam, qua recrearetur. Ridicule ἄψυχον facit ἔμψυχον. TAUBM.

Sed quis iste est tuus ornatus? CALL. Ego dicam tibi.
Thesaurum ecfodiebam intus, dotem, filiæ
Tuæ quæ daretur: sed intus narrabo tibi
Et hoc et alia, sequere. CHARM. Stasime! STAS. Hem!
CHARM. Strenue
Curre in Piræeum, atque unum curriculum face.
Videbis illam illeic navem, qua advecti sumus.
Jubeto Sangarionem, quæ inperaverim,
Curare, ut ecferantur; et tu ito simul.
Solutum'st portitori jam portorium.
STAS. Nihil est moræ. CHARM. I, i, ambula, actutum redi.
STAS. Illeic sum atque heic sum. CALL. Sequere tu hac me
intro. CHARM. Sequor.
STAS. Hic meo hero amicus solus firmus restitit,
Neque demutavit animum de firma fide.
Quamquam labores multos***
Sed hic unus, ut ego subspicor, servat fidem.
Ob rem laborem eum ego cepisse censeo.

10. *Hem.* En adsum.

14. *Ito*, venito.

17. *Illeic sum*, etc. Conf. Pers. II, 2, 8.

18. *Hic, meo hero.* Magis pro scientia spectatorum quam pro sua loqui servus nunc videtur. Facile nonnulla librariis præterita, dum exscriberent, crediderim. N.

22. *Ob rem.* Non de se aut suis laboribus servus loquitur, sed de Calliclis, ut apparet ultimo versu, ubi sententiam veram aperiam emendatione, *Ab re laborem.* Non enim hic convenit de re facienda. Alii sunt labores, quos eum cepisse judicat *Ab re*, id est, frustra, et non ex merito ipsius. Immerito enim calumniis exagitatum et oneratum infamia innuit, quam ille fide sua sibi pepererat, ut ex superioribus clarum. Et hæc etiam verborum defectorum sensus respexit: *Quamquam lab.* ACID.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

LYSITELES.

Hic homo est omnium hominum præcipuus, voluptatibus gaudiisque antepotens;
Ita conmoda, quæ cupio, eveniunt; quod ago, adsequitur, subest,
Subsequitur: ita gaudiis gaudium subpeditat.
Modo me Stasimus Lesbonici servos convenit; is
Mihi dixit, suum herum peregre huc advenisse Charmidem.
Nunc mihi is propere conveniendu'st; ut, quæ cum ejus filio
Egi, ei rei fundus pater sit potior: eo; sed foreis
Hæ sonitu suo mihi moram objiciunt inconmode.

SCENA SECUNDA.

CHARMIDES, CALLICLES, LYSITELES, LESBONICUS.

CHARM. Neque fuit, neque erit, neque esse quemquam hominum in terra dum arbitror,

1. *Hic homo.* Bacch. IV, 4, 1.

7. *Ei rei fundus.* Id est, auctor, Festus. Turneb. lib. XII. Ant. Augustinus ad Festum. Gellius, XVI, 8. Sigonius, I, 4, De antiq. jure Italiæ, ubi de industria hoc egit. Hotomann. Observ. II, 5.

1. *Dum.* Cum particula negativa *neque.* Enclitica *dum* vim intendit negandi. N.

Quoi fides fidelitasque amicum erga æquiparet suum:
Nam exædificavisset me ex his ædibus, absque te foret.
CALL. Si quid amicum erga bene feci, aut consului fideliter,
Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror.
Nam beneficium, homini proprium quod datur, proprium sumserit:
Quod datum utendum'st, id repetundi copia 'st, quando velis.

2. *Amicum erga.* Anastrophe. — *Æquiparet*, intransitive, æqua sit. Cf. Amph. I, 3, 52. N.

3. *Exædificavisset.* Ejecisset me filius ædibus, si absque te foret. Dictum *exædificare ex ædibus*, ut *expectorare ex animo*, οἰνοχοεύειν οἶνον. LAMB.

4. *Absque te.* Bacch. III, 3, 8.

6. *Proprium*, id est, perpetuum; nec timet ut ab se repetatur. Ita Lucret. lib. IV, *amorem proprium* pro stabili et perpetuo dixit. Et Virgil. Æn. I de uxore perpetua: « ...propriamque dicabo ». Idemque de stabilibus muneribus: « ... propria hæc si dona fuissent ». HOTOM. — *Prosumpserit* legitur in MSS. Latinum non est. Ego legendum opinor: *prorsum perit*. Distinguit inter duum generum beneficia. Quædam, inquit, propria facta accipientis, plane pereunt danti; quædam utenda data repetendi copia et potestas danti est, quando velit: scita plane et egregia sententia. BOXH. — Ego vero omnino improbo hanc conj. Nam quis sanus dixit, beneficio quod datur, prorsum perire? Ne quidem semper, etsi in ingratum ceciderit, ut Cicero in libris de Officiis et Seneca recte disputant. « Malo si quid benefacias, id beneficium interit », inquit noster Pœnul. III, 3. Non ergo, si bono. Potest autem quisquam explicare illa duo genera beneficiorum, quorum alterum fit accipientis, alterum utendum datur? Imo posterior versus de nullo significat beneficio. *Prosumere* autem qui negat latinum esse, neget etiam *prosubigit* esse latinum, quia id unus habet Virgilius, aut *prælassat*, quia unus Ovidius. Imo est idem quod insumere, sumere, impendere, erogare. « Beneficium quod homini proprium datur », ut in eo non sit potestas postea ei qui dedit, *prosumpserit*, alienarit, transcripserit forsan is qui dedit, ut repetere nequeat: *at quod* non est datum beneficio, sed tantummodo *datum utendum est*, ut tu mihi rem tuam credidisti, « id repetundi copia est, quando velis »: ut nunc tibi. Ad Liviam: « Vita data est utenda: data est sine fœnore nobis Mutua ». GRON. — Arridet præ cæteris Camerariana lectio *proprium sumserit*, i. e. ita ut nunquam restituat. Et ita omnem interpretor sententiam: Non merui laudem, siquidem quadraginta minas, quibus ædes simularem mihi emtas, non dedi proprias tibi, sed mutuo locavi; et repetendi quando velim copia est. Si quid proprium datur homini, hoc demum beneficium vere datur. N.

CHARM. Est ita, ut tu dicis : sed ego hoc nequeo mirari satis,
Eum sororem despondisse suam in tam fortem familiam,
Lysiteli quidem Philtonis filio. LYS. Enim me nominat.
CHARM. Familiam optumam obcupavit. LYS. Quid ego cesso hos conloqui?
Sed maneam etiam opinor : namque hoc conmodum orditur loqui.
CHARM. Vah! CALL. Quid est? CHARM. Oblitus intus dudum tibi sum dicere;
Modo mihi advenienti nugator quidam adcessit obviam,
Nimis pergraphicus sycophanta; is mille numûm se aureûm
Meo datu tibi ferre, et gnato Lesbonico aibat meo;
Quem ego nec qui esset gnoram, neque eum ante usquam conspexi prius.
Sed quid rides? CALL. Meo adlegatu venit, quasi qui aurum mihi
Ferret abs te, quod darem tuæ gnatæ dotem; ut filius
Tuus, quando illi a me darem, esse adlatum id abs te crederet,
Neu quî rem ipsam posset intellegere, et thesaurum tuum
Me esse penes, atque eum a me lege populi patrium posceret.
CHARM. Scite, edepol. CALL. Megaronides conmunis hoc meus et tuus
Benevolens conmentu'st. CHARM. Quin conlaudo consilium, et probo.
LYS. Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere,

9. *Fortem*, i. e. divitem, copiosam. NONIUS. — Conf. Mil. IV, 3, 13.

11. *Obcupavit*, invenit, possedit. NONIUS.

21. *Neu quî*, i. e. aliquo modo : et recte ita; quod vox *patrium* convincit : non *quis*, quod tamen in MSS et edd. Nemo enim alienus thesaurum repetere poterat. ACID. — Ita sæpe *ut qui*. Conf. Captiv. II, 1, 46.

Solus sto, nec, quod conatus sum agere, ago? homines conloquar.

CHARM. Quis hic est, qui huc ad nos incedit? LYS. Charmidem socerum suum

Lysiteles salutat. CHARM. Di dent tibi, Lysiteles, quæ velis.

CALL. Non ego sum salutis dignus? LYC. Imo salve, Callicles.

Hunc priorem æquom 'st me habere: tunica propior pallio est.

CHARM. Deos volo consilia vostra recte vortere.

Filiam meam tibi desponsatam esse audio. LYS. Nisi tu nevis.

CHARM. Imo haud nolo. LYS. Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?

CHARM. Spondeo, et mille auri philippûm dotis. LYS. Dotem nihil moror.

CHARM. Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi.

Postremo, quod vis, non duces, nisi illud quod non vis, feres.

29. *Salutis dignus?* Ita Nonius, aitque metaplasmum casum esse: at rectius J. Gul. hellenismum: ἄξιος χαρᾶς, τιμῆς, ὑγιείας. Ita Virgilius: « indignus avorum ». Ovid. de Arte, III: « Curia consilii quæ nunc dignissima tanti ». Sueton. Othone: « et prædicaret, solum successionis imperii dignum ». TAUBM.

30. *Tunica pallio propior.* Proverbium quo significatur ex amicis nos aliis atque aliis magis esse devinctos, neque parem omnium habendam rationem. Pallium extrema vestis apud Græcos, ut toga apud Rom. et tunicam tegebat: ideoque corpori propior tunica quam pallium. PIUS. — Græci etiam simili loquendi ratione utuntur. Theocr. in Idyll. XVI, 18: ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα, « remotior est tibia quam genu ». Cicero etiam hac usus est, Famil. XVI, 23, γόνυ κνήμης, « genu tibia propius est ». Subauditur enim ἔγγιον. Quod integrum recitat Aristotel. Moral. lib. IX: γόνυ κνήμης ἔγγιον. GRON.*

33. *Sponden'.* Aul. II, 2, 78.

34. *Mille auri philippûm dotis.* Vid. Pers. II, 1.

35. *Placenda.* Mira locutio: *placenda* a *placeo*: quasi etiam dici posset, *standus*, *sedendus*, *surgendus*; a *sto*, *sedeo*, *surgo*, etc. De quo Priscian. lib. VIII. ERN.—Sic Epid. I, 1, 70: « puppis pereunda ». N

CALL. Jus hic orat. LYS. Inpetrabit te advocato atque arbitro.
Istac lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?
CHARM. Spondeo. CALL. Et ego spondeo idem hoc. LYS. Oh! salvete adfineis mei.
CHARM. Atque, edepol, sunt res, quas propter tibi tamen subcensui.
CALL. Quid ego feci? CHARM. Meum conrumpi quia perpessus filium.
CALL. Si id mea voluntate factum'st, est quod mihi subcenseas.
Sed sine me hoc abs te inpetrare, quod volo. CHARM. Quid id est? CALL. Scies.
Si quid stulte fecit, ut ea missa facias omnia.
Quid quassas caput? CHARM. Cruciatur cor mihi, et metuo. CALL. Quidnam id est?
CHARM. Quom ille ita'st ut esse nolo, id crucior; metuo, si tibi
Denegem quod me oras, ne te leviorem erga me putes.
Non gravabor; faciam ita ut vis. CALL. Probus es: eo, illum evocem.
CHARM. Miserum'st male promerita, ut merita, si mihi ulcisci non licet.
CALL. Aperite hoc, aperite propere, et Lesbonicum, si domi'st, foras
Evocate: ita subitum'st, propere quod eum conventum volo.
LESB. Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subito foras?
CALL. Benevolens tuus atque amicu'st. LESB. Satin' salve? dic mihi.

37. *Jus hic orat.* Conf. Captiv. II, 2, 83.

43. *Sine*, per te liceat.

47. *Leviorem*, minoris æstimatum. Sup. III, 2, 58.

51. *Subitum 'st*, instat, urget.

53. *Satin' salve?* Terent. Eun. III, 6: « Quid est? quid trepidas? satin' salve? » ubi Donatus *salve* interpretatur *integre*, *recte*, *commo-*

CALL. Recte: tuum patrem rediisse salvom peregre gaudeo.
LESB. Quis id ait? CALL. Ego. LESB. Tun' vidisti? CALL. Et tute idem videas liceat.
LESB. O pater, pater, mi salve! CHARM. Salve multum, gnate mi.
LESB. Si quid tibi, pater, laboris? CHARM. Nihil evenit, ne time;
Bene re gesta salvos redeo: si tu modo frugi esse vis,
Hæc tibi pacta'st Callicli filia. LESB. Ego ducam, pater;
Etiam et si quam aliam jubebis. CHARM. Quamquam tibi subcensui.
CALL. Miseria una uni quidem homini'st adfatim. CHARM. Imo huic parum'st:
Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum'st.
LESB. At jam posthac temperabo. CALL. Dicis; si facias modo.
LESB. Numquid causæ est, quin uxorem cras domum ducam? CHARM. Optumum'st, licet.
Tu in perendinum paratus sis ut ducas. Plaudite.

de: citatque hunc Plauti locum, et alium Sallustii: utitur eo crebro Livius. Ita Apul. Apol. I: « Puer ubi sit, et quam salve agat, interrogat ». Dicebant etiam, « Rectene omnia? » Peregre enim redeuntibus, vel aliunde advenientibus, familiaris erat hæc interrogatio. TAUBM.—Sunt qui scribant « satin' salva? » Conf. Drackenb. ad Liv. I, 58, 7. Donato concessimus et Plauto ipsi, Menæchm. V, 2, 26.

60. *Quamquam*, etc. Tamen tibi irascor. Videtur velle filium objurgare, ni Callicles interciperet, dicens jlocaliter, non ultra sæviendum adversus Lesbonicum esse, siquidem una satis tibi sit miseria, quam sit perlaturus.

61. *Miseria una uni quidem homini*, etc. Vult Callicles satis dare supplicii Lesbonicum ducenda uxore. Et nota, in pœnam quasi luxuriosis juvenibus datas olim uxores, fierique præcipit prudens educationis magister Plutarchus.

64. *Numquid causæ est.* Aulul. II, 2, 84.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

TRUCULENTUS

DRAMATIS PERSONAE.

DINARCHUS, adolescens.
PHRONESIUM, meretrix.
GETA, servus.
CALLICLES, senex.
ASTAPHIUM, ancilla.
STRATILAX, servus.
STRATOPHANES, miles.
STRABAX, adolescens rusticus.
ANCILLA altera.

RES AGITUR ATHENIS.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*T*REIS unum pereunt adulescenteis mulierem,
*R*ure unus, alter urbe, peregre tertius.
*U*tique ista ingenti militem tangat bolo,
*C*lam subposuit sibi clandestino editum.
*V*i magna servos est ac trucibus moribus,
*L*upæ ne rapiant domini parsimoniam;
*E*t is tamen mollitur. Miles advenit,
*N*atique causa dat propensa munera.
*T*andem conpressæ pater congnoscit omnia;
*U*tque illam ducat, qui vitiarat, convenit;
*S*uumque is reperit a meretrice subditum.

1. *Treis*, Strabax, Dinarchus, Stratophanes.
3. *Militem*, Stratophanem. — *Bolo*. Prolog. Pœn. 101.
4. *Subposuit sibi*, dedit pro suo. — *Clandestino editum*, a virgine quam urbanus adolescens compresserat. Vid. IV, 3. N.
6. *Parsimoniam*. *Parsimonia* posita, pro bonis ipsis comparsis. Ean.
7. *Is*, servus truculentus.
8. *Propensa*, id est, multa et ponderosa. Ean.
9. *Conpressæ*. Amph. I, 1, 192.
10. *Convenit*, fit amborum consensu.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

HÆC comœdia est altera, quam Ciceroni in primis placuisse, de Catone intelligi potest, ut retulimus in Pseu-

dolo. Et quamvis mendosissima et lacera ad nos pervenerit, tamen quasi de ungue leonem, aut de culmo fruges æstimant, ita de his reliquiis præstantia hujus fabulæ plane judicatur. *Argumentum* tale est. Meretrix quædam callida et astuta, et famulitio atque rebus omnibus ad fallacias et fraudes instructa, pellicit in amorem sui tres adolescentes, unum urbanum, quem celeriter conficit, alterum rusticum, qui profusus est in dando, tertium militem, cujus stoliditate abuti, et quem compilare cupiens, simulat se ex ipso esse gravidam, et hoc persuadet credulo. Ut enim hoc genus fastuosum, ita et stolidum est. Erat rustico servus immitis et cui doleret corrumpi filium herilem ; sed et ille tamen mutatur, et desinit esse sævus seu *truculentus;* nam hinc nomen fabulæ inditum est. Ut autem minus simplex argumentum esset, inseritur et virginis stuprum, compressæ per vim ab urbano, quæ quum filiolum peperisset, hunc meretrix sibi supposuit allatum a tonstrice. Ac re palam facta, virgo urbano nubit, et ille a meretrice puerum repetit, ac amores hos relinquit. Ita retinet meretrix par amatorum, rusticum ac militem, et in ludificando ac despoliando milite delicias facit. *Fabula* habet formam eorum poematum, quæ μίμους appellant. Est autem ita depravata et corrupta a librariis, ut aliquoties fuerit mihi in animo me editurum non esse illam. Scite vero, et, ut Plautus loquitur, nimis *graphice* expressa est levitas, et malitia et fraudulentia meretricia, et quantopere desipiant in amore et voluptatum illecebris simplices; et quod isto genere hominum, quod se primum esse vult, et virtutis ac dignitatis possessionem propriam esse ducit, nihil reipsa plerumque sit vanius, neque futilius.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

TRUCULENTUS.

PROLOGUS.

PERPARVAM partem postulat Plautus loci
De vostris magnis atque amœnis mœnibus,
Athenas quo sine architectis conferat.
Quid nunc? daturin' estis, an non? adnuunt.
Meditor equidem vobis me ablaturum sine
Mora : quid si de vostro quidpiam orem? abnuunt.
En, mehercle, in vobis resident mores pristini,
Ad denegandum ut celeri lingua utamini.
Sed hoc agamus, qua huc ventum 'st gratia :
Athenæ istæ sunto, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper, dum transigimus hanc comœdiam.
Heic habitat mulier, nomine quæ est Phronesium.
Hæc hujus sæcli mores in se possidet,
Nunquam ab amatore suo postulat id quod datum 'st:
Sed reliquam dat operam ne sit reliquum,
Poscendo atque auferendo, ut mos est mulierum.

5. *Meditor*, persuasi mihi hoc a vobis me impetraturum, quippe publicum. Sed si quid de vestra re privata singulos rogem? abnuitis.

Nam omneis id faciunt, quom se amari intellegunt.
Ea se perperisse puerum simulat militi,
Quo citius rem ab eo abferat cum pulvisculo.
Quid multa? ætas huic si superet mulieri,
Is cum anima ad eam habentiam everrerit.

19. *Cum pulvisculo.* Cf. Bacchid. IV, 4, 29.

21. *Is cum*, etc. Versus mutilus, quem alii aliter sanare conantur. Palmer. « habentiam ἔξω everrerit », quia illud « ἔξω everrerit » bis terve hac comœdia Scriverius : « Istum animam adeo jam agentem quidem everterit ». Scalig. « habentiam omnem everrerit ». Bothius : « Hisce anima etiam ad suam habentiam exterebrabitur », ex MSS *erceteritur* et *erteteritur*. Vulgatæ sententia : « Is miles exinanita domo transtulerit ad eam meretricem habentiam, quidquid possidet, neque animam sibi reliquam faciet ». N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

TRUCULENTUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

DINARCHUS.

Non omnis ætas ad perdiscendum sat est
Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis.
Neque eam rationem eapse unquam edocet Venus,
Quam penes amantum summa summarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotque exoretur exorabulis.
Quot illeic blanditiæ, quot illeic iracundiæ
Sunt! quot sui pericla amanda! di vostram fidem, hui!

1. *Omnis*, tota.

2. *Pereat*, evertatur fortunis, pessumdetur.

4. *Summa summarum*, i. e. penes quam summa rerum amantum potestas est. *Summa summarum* est, quum in rationibus multa nomina et capita in unam summam rediguntur, ac si multis summis factis, omnia tandem in unum consumantur. Turn. — Credo, ut *dia dearum* dicitur exaugendi sensu, ita Plautus *summa summarum* per emphasim comicam, dixit, quasi « maximopere summa rerum ». N.

5. *Exemplis*. Capt. III, 5, 33.

8. *Quot sui pericla amanda*. A Meursio adoptavit Gruterus. Vett. edd. « quot sunt perclamanda ». MSS, « quot sui perclamanda ».

Quid perjerandum'st etiam, præter munera!
Primumdum merces annua; is primus bolu'st.
Ob eam treis nocteis utor : interea loci
Aut æra, aut vinum, aut oleum, aut triticum
Tentat, benignusne an bonæ frugi sies.
Quasi in piscinam rete qui jaculum parat,
Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum :
Sin jecit recte, pisceis ne ecfugiant, cavet,
Dum huc dum illuc inretitos inpedit
Pisceis, usque adeo donicum eduxit foras.
Itidem'st amator : si id, quod oratur, dedit,
Atque est benignus potius quam frugi bonæ,
Adduntur nocteis; interim ille hamum vorat.

Conjiciebam olim : « quot senia perdomanda », i. e. tædia devoranda. Gron. — Lego, « Quot hui perclamanda! di, vostram fidem! hui! » i. e. quot voces doloris ac gemitus indices proferendæ sunt. Ern.

10. *Merces*. Vulgo *miros*, nullo sensu, ex altero codicum Camerarii; alter, « Primum dum miror annuus ». Hinc duæ mihi nascebantur conjecturæ. Altera : « Primum penus annuus »; ut in Pseudolo : « Nisi penus annuus hodie convenit ». Altera : « Primum dum merces annua : is primus bolu'st ». Solebant enim conducere annuas meretricum operas. Asinar. I, 3 : « Quid me æquum censes pro illa tibi dare, annum hunc perpetuum ne cum quiquam alio siet ». Et III, 3 : « Opto annum hunc perpetuum mihi hujus operas ». Et IV, 1 : « Philenium ut secum esset noctes et dies Hunc annum totum ». Bacchid. V, 1 : « eam sibi hunc annum conductam ». Fragmentum Plauti apud Nonium : « Ne a quoquam alio acciperes mercedem annuam, Nisi ab sese, nec cum quiquam limares caput ». Et hoc magis placet. Nisi malis : « Primum ædium merces annua ». Lucianus Dial. Dorionis et Myrt. καὶ τὸ ἐνοίκιον κατέβαλεν ὑπὲρ ἡμῶν. Gron.

11. *Interea loci*. Cf. Menæchm. III, 1, 1.

12. *Æra*, ærea vasa, vel signa.

13. *Bonæ frugi*, parcus.

14. *Rete jaculum*, genus retis.

15. *Pessum*. Cf Aulul. IV, 1, et Mostell. in fine. — *Sinum*. Laxitatem retis contrahit. Lamb.

16. *Recte*. MSS, *Sin jecit rete*, quod incommodum est, quia jam præcessit : *abiit rete pessum*. Et frustra explicant, si rete pisces cepit : neque enim illorum verborum hæc potest esse sententia. Alii, *Sin icit rete*. Malim : « tum adducit sinum, Qui jecit recte; pisces ne effugiant, cavet ». Gron.

17. *Inretitos*. Vulgo, *reti eos*, perperam. Hæc Bothiana emendatio. N.

20. *Hamum vorat*. Conf. Curcul. III, 1, 61.

Si semel amoris poculum adcepit mere,
Eaque intra pectus se penetravit potio,
Extemplo et ipsus periit, et res, et fides.
Si iratum'st scortum forte amatori suo,
Bis periit amator, ab re atque animo simul.
Sin altero alterum potiu'st, item perit :
Si raras nocteis, ab animo perit;
Sin increbravit, ipsus gaudet, res perit.
Ita disciplina in ædibus est lenoniis,
Priusquam unum dederis, centum quæ poscat, parat.
Aut aurum periit, aut conscissa pallula'st,
Aut emta ancilla, aut aliquod vasum argenteum,
Aut vasum ahenum aliquod, aut lectus dapsilis,
Aut armariola Græca, aut aliquid semper est
Quod pereat, debeatque amaus scorto suo.
Atque hæc celamus damna nos industria,

23. *Se penetravit.* Amat hoc verbo auctor active uti, quum vulgo verbum *penetrare* neutraliter usurpetur. Amph. I, 1, 94; Menæchm. V, 2, 64, et Trin. II, 2, 1, 14 et 33. GRON.*

26. *Ab re atque animo.* Quia bona sua perdit, dum eam placare studet, et anima cruciatur, quam diu puella irata est. LAMB.

27. *Sin altero alterum*, etc. I. e. si alterum e duobus, re et animo, alteri anteponit. Hæc emendatio Bothiana, proba quidem, certe melior cæterorum conjecturis quas supponimus. N. Editio Taubmanni habet : « Sin alter alteri potitus est ». Sed omnino scribendum : « Sin alter alteri potius est, itidem perit ». Quod referendum ad id, quod præcedit : « Si iratum est scortum forte amatori suo, Bis perit amator ». Deinde subjungit : « Sin lter alteri potius est ». Sin alter alteri, hoc est, si ambo irati potius sunt, et mutua offensione alter in alterum commoti. Sed omnino vera est lectio codicis mei MS, « Sin alter alteri potior est ». I. e. si alter alterum amat. SALM.

32. *Aut aurum.* Hæ sunt προφάσεις et causæ, quas profert puella, quare nunquam desinat poscere. LAMB.—*Aurum.* Conf. Menæchm. I, 2, 12.

35. *Aut aliquid*, etc. Lepide et Martialis causas poscendi quas meretrices prætexerent enarravit, Epigr. XI, 50. N.

36. *Quod pereat*, quod sit perditum. N.

37. *Damna industria.* Camerarius scripsit *una industria*, quum invenisset in MS altero : *clammina industria;* in altero, *dammina industria.* Quasi sit : cum eadem, qua celamus illos industria, rem fidemque, et nosmet perditum imus.

Quom rem fidemque nosque nosmet perdimus,
Ne quid parenteis, neu congnati sentiant.
Quos, quom celamus, si faximus conscios,
Qui nostræ ætati tempestivo temperent,
Unde anteparta demus postpartoribus,
Faxim lenonum et scortorum, ut plus est, minus
Et minus damnosorum hominum, quam nunc sunt, siet.
Nam nunc lenonum et scortorum plus est fere,
Quam olim muscarum'st, quom caletur maxume.
Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorta et lenones quasi sedeut quotidie.
Ea nimia'st ratio; quippe qui certo scio,
Æri plus scortorum esse jam quam ponderum:
Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis

Cogitabam : « Atque hæc celamus nos, clam mira industria Dum rem fidemque » ; vel, « clam summa industria Dum rem ». Gron.

40. *Quom celamus*. Eo ipso quo illos facta celamns tempore, si, contra, illis fateamur. N.

41. *Qui ... temperent*, ot monitis regant adolesceutiam.

42. *Unde*. Ambo quidem scripti: *Unde anteparata*. Sed hanc particulam nou ceperunt : ideo placuit *Ut ne :* ideo rejecerunt Turoebi explicationem. Sed τὸ *Unde* persæpe Latinis est idem quod *a quo*, vel *a quibus*. Vide Observat. IV, 11. — *Postportaribus*. Possuntne rationem edere quare *postpartores* sint potius lenones et meretrices ad quos bonn aoteparta vitio veoiaot, quam hæredes ad quos lege ? Sensus : A quibus moniti, quorum studio in temperando ætati nostræ ad melius revocati anteparta a majoribus booa demus illis, quibus jure post nos parta esse debent. Gron.

44. *Damnosarum*. Conf. Curcul. IV, 1, 11.

46. *Olim*. Mil. I, 1, 2.—*Muscarum 'st*. Ita fere Voltarius : *Jadis l'Ègypte eut moins de sauterelles, Que l'on ne voit aujaurd'hui dans Paris De malotrus soi-disant beaux esprits*. N.

48. *Scorta et lenones*. Vulgo, *Scorti lenones*, impedito seosu.

49. *Ea nimia*. Rationes quibus scorta et lenooes computaotor, nimis magnæ sunt, maximus est numerus. Ita Trin. II, 4 : « Quid, quod ego defraudavi ! LE. Hem ista ratio maxuma est ». Pist.

50. *Æri plus*, etc. Quasi dicat argentarias sic obsideri a scortis, ut æs jam minus ponderom habeat, quam ejusmodi nebulonum. Lips. — *Panderum*, quibus utuntur argeotarii. Ern.

51. *Quos*, lenones et scorta. — *Quam ad rem dicam*, etc. Ambitus hic orationis pro simplice : « Nescio quam ad rem referat eos ha-

Referre habere, nisi pro tabulis, nescio,
Ubi æra perscribantur usuraria :
Adcipiat inlico expensa, neque censeat.
Postremo in magno populo, in multis hominibus,
Re placida atque otiosa, victis hostibus,
Amare oportet omneis, qui quod dent, habent.
Nam mihi hæc meretrix, quæ heic habet, Phronesium,
Suom nomen omne ex pectore emovit meo,
Phronesium; nam phronesis est sapientia.
Nam me fuisse huic fateor summum atque intimum,
Quod amantis multo pessumum 'st pecuniæ.
Eadem, postquam alium reperit, qui plus daret,
Damnosiorem, me exinde amovit loco,
Quem infestum ac odiosum sibi esse memorabat mala,
Babyloniensem militem : is nunc dicitur
Venturus peregre, eo nunc commenta 'st dolum,
Peperisse simulat sese, ut me extrudat foras,
Atque ut cum solo pergræcetur milite :
Eum esse simulat militem puero patrem.
Quid isti subpositum puerum opus pessumæ?
Mihi verba retur dare sese? an me censuit
Celare se potesse, gravida si foret?
Nam ego Lemno advenio Atheuas nudius tertius,

bere (se), stare, in argentariis, nisi pro tabulis sint, in quibus expensum feratur, neque censeat, examinet argentarius ». N.

56. *Re placida*, etc. Scilicet hanc fabulam debellata demum Carthagine docebat. N.

57. *Amare oportet*, etc. Auctor elegiæ in obitum Mæcenatis, 93-95 : « Sic est; victor amet, victor potiatur in umbra, Victor odorata dormiat inque rosa. Victus aret, victusque metat ». N.

58. *Hic habet*, i. e. habitat.

60. *Phronesis*, etc. Olei glossam.

65. *Memorabat*, dicebat.—*Mala*, versuta.

66. *Babyloniensem mil.* Oratio componitur : Postquam alium damnosiorem, qui plus daret, quem primo importunum et odiosum sibi dicebat, Babyloniensem militem, reperit, exinde me amovit loco. N.

67. *Eo*, ideo.

71. *Quid isti*, etc. Id est, 'quid isti pessimæ puero supposito est opus ? Taubm.

Legatus hinc quo cum publico inperio fui.
Sed hæc quis mulier est? Astaphium est ancillula.
Cum ea quoque etiam mihi fuit conmercium.

SCENA SECUNDA.

ASTAPHIUM, DINARCHUS.

AST. Ad foreis auscultato, adque serva has ædeis,
Ne quis adventor gravior abeat quam adveniat;
Neu qui manus adtulerit sterileis intro ad nos,
Gravidas foras exportet: gnovi ego hominum mores,
Ita nunc adulescenteis morati sunt: quin ei
Ut simitu adveniunt ad scorta congerones,
Consulta sunt consilia, quando intro advenerunt;
Unus eorum aliquis osculum amicæ usque obgerit.
Dum illi agunt quod agunt, sunt cæteri cleptæ*
Sin videant quempiam se adservare, obludunt, quî custodem

76. *Quis mulier.* Aul. II, 1, 16.

1. *Adque serva has ædeis.* Recepimus, quod totum est in Camer. secundo, seu Decurtato: nisi quod ibi: «adque servas ædeis». In altero, «adque adservas ædeis». Et ita in Gruteri notis corrigendum. Loquitur exiens ancilla ad aliam, quam domi relinquit, aut ad janitorem. Acad. «auscultato atque adservabis ædeis». GRON.

2. *Adventor.* Adventores in cauponis et diversoriis hospites; apud scorta qui rei causa veniebant. Et ita, præter alios, Apuleius et Petronius. Conf. II, 7, 54. PALM.— *Gravior*, furto onustus.

5. *Quin ei*, pro *ii.*

6. *Ut simitu*, i. e. simulatque.— *Congerones*, fures. Nonius: *Congerones*, a congerendo. Fulgentius: «Congerones, qui aliena ad se congregant: unde apud Romanos Gerones Brutiani dicti». Idque verum esse duco: nam *Gerones* sunt χειρισταί, πρακτῆρες, ut auctor Glossarii docet. SCAL. — Sunt qui scribant *congerrones*, i. e. nugatorii sodales.

7. *Consulta*, etc. Inita jam eis sunt consilia.

9. *Dum illi agunt quod agunt.* Sensus est: Dum basiator cum amica, quale etiam quale, agit in eum finem, ne animadvertat, quid cæteri agant, interim illi furantur. DOUZA. — *Cæteri cleptæ.* Pseudol. I, 1.

10. *Se adservare*, i. e. se observari a quoquam.

Oblectent per joculum et ludum; de nostro sæpe edunt, quod
Fartores faciunt. Fit, pol, hoc : et, pars spectatorum, scitis,
Pol, hæc vos me haud mentiri.
Ibi est ibus pugnæ et virtuti, de prædonibus prædam capere.
At nos rursum lepide referimus gratiam furibus nostris;
Nam ipsi vident, quom eorum adgerimus bona; quin etiam ultro ipsi adgerunt ad nos.
DIN. Me illis quidem hæc verberat verbis, nam ego huic dona adcongessi.
AST. Conmemini; jam, pol, ego eum ipsum, si domi erit, mecum adducam.
DIN. Heus, manedum, Astaphium, priusquam abis. AST. Qui revocat? DIN. Scies;
Respice huc. AST. Quis est? DIN. Vobis qui multa bona esse volt. AST. Dato, si esse vis.
DIN. Faxo, erunt, respice huc modo. AST. Io! enicas me miseram, quisquis es.
DIN. Pessuma, mane.
AST. I, optume, odiosus es.
Dinarchusne illic est? atque is est : it ad nos. DIN. Et tu fer contra manum, et pariter

12. *Fartores faciunt*. Nam de iis, quæ ad eos delata sunt, ut farcimina conficiant, nonnihil detrahunt, eoque vescuntur. LAMB.

13. *Me haud mentiri*. De furacitate adolescentium Ovidius quoque admonet puellas, Art. Amat. III, 441-450. N.

14. *Ibi est ibus*, etc. Tum putant sibi de eo esse pugnandum, et ex eo virtutis famam consequuturos, si de nobis prædentur. *Ibus*, pro iis. LAMB.

16. *Adgerimus*, allicimus.

19. *Qui revocat?* Cf. Trin. IV, 3, 52 seqq.

21. DIN. *Faxo, erunt*. Quum ancillula meretricio more benedicto contenta non esset, sed rem et benefactum posceret, Dinarchus, Faciam, inquit, bene : tu hoc modo respice. J. GUL. — *Enicas*. Cf. Merc. I, 1, 45.

23. *Odiosus*. Curcul. I, 1, 45.

24. *Pariter gradere*, me congredere.

Gradere. AST. Tibi servio atque audiens sum imperi. DIN. Tute quid agis?
AST. Valeo et validum teneo : peregre quom advénis, cœna detur.
DIN. Benigne dicis. AST. At enim, amabo, sine me ire quo jussit. DIN. Eas.
Sed quid ais? AST. Quid vis? DIN. Istic, quo iter inceptas, qui est? quem arcessis? AST. Archivam
Obstetricem. DIN. Mala femina es. AST. Solens sum; ea'st disciplina.
DIN. Manifestam mendaci, mala, te teneo. AST. Quid jam, amabo?
DIN. Quia te adducturam huc dixeras eum ipsum, non eampse.
Nunc mulier facta est ex viro; mala es! AST. Præstigiator!
DIN. Sed tandem loquere : quis is homo est, Astaphium? novos amator?
AST. Nimis otiosum arbitror hominem esse te. DIN. Quianam arbitrare?
AST. Quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas.
DIN. Vos me reddidistis otiosum. AST. Quid jam, amabo? DIN. Ego expedibo :
Rem perdidi apud vos : cum re meum negotium abstulistis.
Si rem servassem, fuit ubi negotiosus essem.
AST. An tute bene rem publicam aut amoris alia lege

26. *Quid agis?* Aulol. I, 2, 39. — *Cœna detur.* Derisio est, non officiosa comitas; omnque optat ut cœna detur illi, a quo oon dicit; certe non a Phronesio. Vid. Bacch. II, 2, 8. N.

27. *Benigne dicis.* Formula gratias agendi. Irooia hic est. Terent. Phorm. V, 8, 62. N.

28. *Quid ais?* Aulul. IV, 9, 7.

29. *Mala*, versuta, vafra. — *Solens sum.* Pro meo more facio. Amph. I, 1, 43.

32. *Mulier facta est ex viro.* Vid. Amph. II, 2, 182.

35. *Tuo vestimento et cibo*, tois impensis. — *Rebus curas.* Trinum. IV, 3, 50.

36. *Expedibo*, explicabo.

39. *An tute*, etc. An to rempoblicam, i. e. munos aliquod reipublicæ, aut rem amoris, exercere

Habere posse postulas, quin tu otiosus fias?
DIN. Illa, haud ego, habuit publicum : pervorse interpretaris.
Nam advorsum legem a me, ob meam scripturam, pecudem adcepit
Æraque. AST. Idem quod tu facis, faciunt rei male gerentes;
Ubi non est, scripturam unde dent, incusant publicanos.
DIN. Male vortit res pecuaria mihi apud vos; nunc vicissim
Volo habere aratiunculam pro copia heic apud vos.
AST. Non arvos hic, sed pascuus est ager : si arationes
Habituris, qui arari solent, ad pueros ire melius.
Hunc nos habemus publicum; illi alii sunt publicani.

bene posse vis, nisi fueris otiosus, neque privatis negotiis districtus?

41. *Illa habuit publicum.* Quam Astaphium rem publicam dixerat, in aliam sententiam Dinarchus joculo detorquet : nam publica vectigalia simulat se intelligere. Id est, non vere dicis, quum me habere rem publicam memoras, quia legatione functus sum. Imo Phronesium habet publicam rem, i. e. vectigal publicum. Quid ita? nempe improborum publicanorum more fecit, qui pro scriptura, vectigali de pascuis collecto, non solum æs debitum, sed etiam pecudem cepit. Etenim Dinarchus, pecuniam et cum pecunia seipsum tradiderat. N.

43. *Æraque. Æra* vocabant multam pecuniariam, quam portitores aut scripturarii imponerent. LIPS.

44. *Ubi non est, scripturam. Scriptura* est illud, quod ideo datur, ut ager publicus alicui adscribatur. Sentit : Ubi non est pecunia, quam dent amicæ, accusant amicam. PIST.

46. *Aratiunculam.* Id est, agellum conductum, quem arem. *Arationes* erant agri publici, qui aratoribus colendi dabantur, et tanquam locabantur, impositis decumis : aut denique agri etiam, qui decumas populo romano pendebant. Nec tam aratores domini erant, quam reipublicæ quidam coloni. Sic *arationes* et *aratores*, in Verr. Cicero semper appellat agros decumanos, et eos, qui agros illos colebant. TURN. — Sed subest lasciva ambiguitas. Asin. V, 2, 24.

47. *Non arvos.* Varro : « Ager arvus est, consitus; pascuus, florens ». Idem de Re Rustica interpretatur *arvum*, quod aratum nec satum est. Alii *arvum* interpretantur *agrum sationalem*. *Ager pascuus* Ciceroni et Fab. *compascuus*, communis ad pascenda pecora. TURN.

48. *Habituris*, i. e. habere cupis. Sic versu præcedenti dixit : « volo habere aratiunculam ». — Terminatio *urire* cupidinem significat, e. g. *esurio, nupturio*. Prisc. VIII, 14.

DIN. Utrosque percognovi utrobidem. AST. Istoc, pol, tu otiosus,

Quom et illeic et heic pervorsus es : sed utris cum rem esse mavis?

DIN. Procaciores estis vos, sed illi perjuriosi.

Illis perit quidquid datur, neque ipsis adparet quidquam.

Vos saltem, si quid quæritis, et bibitis et comestis.

Postremo illi sunt inprobi, vos nequam et gloriosæ

Malæque. AST. Quæ in nos illosque, ea omnia tibi dicis, Dinarche,

Et nostram et illorum vicem. DIN. Quî istuc? AST. Rationem dicam :

Quia qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet.

Tu a nobis, sapiens, nihil habes: nos nequam abs te habemus.

DIN. O Astaphium, haud istoc modo solita es me ante adpellare,

Sed blande, quom illuc, quod apud vos nunc est, apud me haberem.

AST. Dum vivit, hominem gnoveris; ubi mortuus est, quiescas.

Te, dum vivebas, gnoveram. DIN. An me mortuum arbitrare?

AST. Quî potis est, amabo, planius? qui antehac amator summus

56. *Quæ in nos*, etc. Quæ in nos opprobria fundis, hæc ipse tibi objicis nostro et eorum nomine.

58. *Qui alterum incusat.* Similis sententia Pseudol. IV, 2.

59. *Tu a nobis*, etc. Tu, qui sapis aut sapientem te existimas, quidquam a nobis auferre non scisti; nos, nequam quos dicis, scivimus a te. N.

60. *Adpellare*, me alloqui.

61. *Sed blande.* Cf. Asin. I, 3, 52-61. — *Apud me haberem.* Ego huic versui subjiciendum illum puto, qui a Prisciano citatur ex hac comœdia : « Bona perdidi, mala reperi, factus sum extimus a vobis ». *Extimus* ab extra, hoc est, alienissimus, exclusissimus. DISS.

62. *Dum vivit.* Similis locus Pseud. I, 3.

64. *Amabo.* Cas. I, 1, 49.

Habitu'st, istunc ad amicam meras querimonias referre.
DIN. Vostra, hercle, factum injuria, quæ properavistis olim
Rapere : otiose oportuit, diu ut essem incolumis vobis.
AST. Amator simili'st oppidi hostilis. DIN. Quo argumento est? AST. Quam-
Primum expugnari poti'st amator, optumum'st amicæ.
DIN. Ego fateor : sed longe aliter est amicus atque amator.
Certe, hercle, quam veterrumus homini optumus est amicus.
Non, hercle, obciderunt mihi etiam fundi et ædeis.
AST. Cur, obsecro, ergo ante ostium pro ignoto alienoque adstas?
I intro, haud alienus tu quidem es : nam, ecastor, neminem hodie
Mage amat corde atque animo suo, siquidem habes fundum atque ædeis.
DIN. In melle sunt linguæ sitæ vostræ atque orationes
Lacteque; corda felle sunt lita, atque acerbo aceto.
E linguis dicta dulcia datis, corda amare facitis
Amanteis, si qui non danunt. AST. Non didici fabulare.
DIN. Non istæc mea benignitas docuit te fabulare,
Sed isti qui cum Geniis suis belligerant, parcipromi.

65. *Meras querimonias.* Sic fere Cleæreta Asin. I, 3, 37 : « Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas ». N.

67. *Otiose*, lente.

78. *Amare facitis.* Seu constet una voce, ut Bothio placet, seu duabus distinguatur, ut vulgo proferunt, idem erit sensus *amaritudine afficere.* Bothius scribit : *corde ..... amantis.* Vulgata non offendit : amaritudine afficitis amantes κατὰ corda. Haud semel paronomasia tali Plautus lusit in Trin. II, 1, 27, « amor amara dat ». N.

79. *Non didici fabulare*, loqui nescio.

80, 81. *Non istæc*, etc. Non in me benignum contemtus plena ista conveniunt dicta tua, sed in parcos. BOTH.—*Benignitas*, i. e. beneficia et liberalitas. Livius : « Prædæ erat largitor, et benignitatem per se gratam comitate adjuvabat ». *Benignus* idem valet quod largus, liberalis, munificus : et dicitur proprie de eo qui *bonis et dignis* largitur : interdum etiam tamen qui *indignis*. LAMB.

81. *Qui cum Geniis belligerant.*

Mala es, atque eadem, quæ soles, inlecebra. AST. Ut exspectatus
Peregre advenisti! DIN. Nam obsecro? AST. Cupiebat te hera videre.
DIN. Quid tandem? AST. Te unum ex omnibus amat. DIN. Euge, funde et ædeis,
Per tempus subvenistis mihi: sed quid ais, Astaphium? AST. Quid vis?
DIN. Estne intus nunc Phronesium? AST. Tibi quidem intus.
DIN. Valetne? AST. Imo, edepol, melius credo fore, ubi te videbit.
DIN. Hoc nobis vitium maxumum'st: quom amamus, tum perimus.
Si illud, quod volumus, dicitur, palam quom mentiuntur,
Verum esse insciti credimus: næ, ut in æstu, mutuantur maria.
AST. Eia! haud ita'st res. DIN. Ain' tu, me amare? AST. Imo unice unum.
DIN. Peperisse eam audivi. AST. Ah, obsecro, tace Dinarche. DIN. Quid jam?
AST. Horresco misera, mentio quoties fit partionis:
Ita pæne tibi fuit Phronesium: i intro jam, amabo,
Vise illam, atque operire ibi: jam exibit, nam lavabat.
DIN. Quid ais tu? quæ nunquam fuit prægnas, qui parere potuit?

Qui ventri suo bellum indixerunt: qui Genios suos defraudant. L.

84. *Euge, funde.* Quasi dicat: Vobis habeo gratiam, quorum beneficio redibo in gratiam cum Phronesio. L. — Simili mente scriptor gallicus: *Ah! mon habit, que je vous remercie!*

89. *Palam quom mentiuntur*, i. e. etiamsi manifeste mentiuntur.

90. *Næ, ut in æstu*, etc. Fœde depravatus locus in MSS Scriverii conjecturam recepimus. Vulgata, « næ, ut in æstu, mutuamur ira ». Bothius fecit: « ne ut æstuitemus ira ». N.

94. *Fuit*, id est, parum abfuit, quin moreretur. *Fuisse*, pro, mori. SCALIG.

96. *Quid ais tu?* Aul. IV, 9, 7.

Nam equidem uterum illi, quod sciam, nunquam extumere sensi.
AST. Celabat, metuebatque te illa, ne sibi persuaderes
Ut abortioni operam daret, puerumque ut enecaret.
DIN. Tum, pol, isti puero quis est pater? AST. Babyloniensis miles,
Quojus nunc ista adventum expetit : imo adeo, ut nuntiatum'st,
Jam heic adfuturum aiunt eum; nondum advenisse miror.
DIN. Ibo igitur intro? AST. Quippini? tam audacter, quam domum ad te.
Nam tu, edepol, noster es etiam jam nunc, Dinarche. DIN. Quam mox
Te recipis tu? AST. Jam heic ero; prope est, profecta quo sum.
DIN. Redi vero actutum : ego interim te apud vos operibor.

103. *Ad te*, id est, in domum tuam.

105. *Te recipis tu? AST. Jam heic ero; prope.* Turbavit non recte intellecta locutio, « profecta quo sum » : quod est, quo institui et incepi ire : quod exstat Aulul. I, 2, vs. penult. et alibi. TAUBM. — *Prope est.* Parcit nominare mentitam obstetricem; nam adolescentem intelligit se non credulum habituram.



ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

ASTAPHIUM.

Ha, ha, ha, ecere! quievi, quia introivit odium: tandem sola sum.
Nunc quidem meo arbitratu loquar libere quæ volam et quæ lubebit.
Huic homini amanti mea hera apud nos dixit næniam de bonis;
Nam fundi et ædeis obligatæ sunt ob amoris prandium: verum
Apud hunc mea hera consilia summa eloquitur libere; magisque
Adeo ei consiliarius hic amicus est, quam auxiliarius.

1. *Ecere.* Vulgo, « Ha, ha, ha! hercle ». Lego: « Ha, ha, ha, he, ecere qnievit, q. » ut ex *he ecere*, fecerint *hercle*. Hoc nisi aut tale quid faciemus, erit scil. in Plauto monstrum *Hercules*, quantum ne Hercules quidem domuit unquam, ut in comœdia mulier per Herculem dejeret. Negant enim Varro et Gellius, usquam apud idoneum scriptorem reperiri, aut, *mehercle*, feminam dicere; aut, *mecastor*, virum; et nefarium id ac peculiare adeo fuisse, quia feminæ Herculaneo sacrificio abstinerent, viri Eleusinis initiis. An id nos fugere aut prius in cogitando Plautum potuisse, aut postea in discendo histriones, aut demum in audiendo spectatores arbitramur? Palm. — *Sola sum.* Casin. II, 2. — *Odium.* Captiv. Epil. 7.

3. *Dixit næniam de bonis.* « Næniam dixit », idem est quod « supremam dixit: valedixit: abire jussit ». Glossarium: *Næniæ*, ὕμνοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν. Ib. *Næniæ*, ἐπιτάφιος ᾠδή. Scal. — Vide Asinar. IV, 1, ultim. vers.

4. *Ob amoris prandium*, id est, ob amorem. Lamb.

5. *Consilia summa*, quidquid de rebus suis maximis agitat.

6. *Consiliarius quam auxil.* Consiliis nos juvat, non opibus; quippe cui nihil sit reliqui.

Dum fuit, dedit : nunc nihil habet; quod habebat, nos habemus;
Iste nunc id habet, quod nos habuimus : humanum facinus factum 'st;
Actutum fortunæ solent mutarier; varia vita 'st.
Nos divitem eum meminimus, atque iste pauperes nos.
Vorterunt sese memoriæ. Stultus sit, qui id admiretur.
Si eget, necesse 'st nos patiatur ali; ita æquom factum 'st.
Piaculum'st, misereri nos hominum rei male gerentum.
Bonis esse oportet dentibus lænam probam; adridere,
Quisquis veniat, blandeque adloqui; male corde consultare,
Bene loqui lingua. Meretricem esse similem sentis condecet,
Quemquem hominem adtigerit profecto aut malum aut damnum dari.
Nunquam amatoris meretricem oportet causam gnoscere,
Quin, ubi nihil det, pro infrequente eum mittas militia domum.
Nec unquam quisquam probus erit amator, nisi qui rei inimicu'st suæ.

7. *Dum fuit* illi pecunia.

8. *Quod nos habuimus*, scil. egestatem. LAMB. — *Humanum facinus fact.* res humanitus evenit.

11. *Vorterunt sese memoriæ.* Nihil mutandum. Alluditur ad illud præcedens, *meminimus*. Verterunt sese memoriæ. Nos illum divitem meminimus, nunc illum meminimus pauperem; ille nos meminit pauperes, nunc meminit divites et fortunæ ac conditionis lautioris. Stultus sit, qui illas vicissitudines admiretur. Si ipse eget, necesse est ut cogitet æquum esse, ut nos ejus liberalitate alamur. BOXH.

14. *Dentibus.* Mostell. I, 1.

16. *Meretricem esse similem sentis condecet.* Conf. Casin. III, 6, 1.

18. *Nunquam.* Nunquam debet meretrix audire amatorem causas afferentem, quare, si non is largiatur, non debeat ipsa eum ejicere, et domum remittere, ut militem infrequentem. «Infrequens, ait Festus, appellatur miles, qui abest, abfuitque a signis». Cornif. ad Herenn. lib. IV : «Præterea, quod militiæ te infrequentem tradidisti, etc.» LIPS.—*Oportet caus. gnoscere.* *Causas gnoscere* dicebantur in delectu magistratus populi romani, quum audiebant eos, qui putabant se habere immunitatem et vacationem militiæ. Vide De pec. vet. lib. IV, cap. 3. GRON.

Nugæ sunt, nisi quod modo quom dederit, dare jam lubeat denuo.
Is amatur heic apud nos, qui, quod dedit, id oblitu'st datum.
Dum habeat, tum amet; ubi nihil habeat, alium quæstum cœpiat.
Æquo animo, ipse si nihil habeat, aliis qui habent, det locum.
Probus est amator, qui relictis rebus rem perdit suam.
At nos male agere prædicant viri solere secum,
Nosque esse avaras : quæso, num quî male nos agimus tandem?
Nam, ecastor, nunquam satis dedit suæ quisquam amicæ amator;
Neque, pol, satis adcepimus, neque ulla satis poposcit.
Nam quando sterilis est amator a datis, inprobu'st.
Si negat se habere quod det, soli pernoctandum'st.
Nec satis adcipimus, satis quom, quod det, non habet.
Semper datores novos oportet quærere,
Qui de thesauris integris demunt, danunt.
Velut hic agrestis est adulescens, qui heic habet,
Nimis, pol, mortalis lepidus, nimisque probus dator.
Sed is, clam patre, etiam hanc noctem illac
Per hortum transilivit ad nos : eum volo convenire.
Sed est huic unus servos violentissumus,

21. *Dare jam*, etc. Conf. Asin. I, 3, 16.

23. *Alium quæstum*, unde fortunas instauret.

25. *Rebus*, negotiis. — *Rem* familiarem.

29. *Neque satis adcepimus*, etc. Nec ea excusatione contentæ sumus, quod non habeat quid det. Ludit in sensu locutionis legitimo. Nam satis accipiunt in jure, qui se profitentur a debitore cautionem locupletem accepisse. Et vs. 28, *satis dedit* eodem ordine ad satis dandum pertinebat, i. e. cautiones præbendas. N.

31. *Soli pernoctandum'st*, pernoctet absente amica.

35. *Heic habet*. Aul. Prol. 5.

36. *Nimis*. Amph. I, 1, 58.

39. *Unus*. *Unus* pro quidam. Vide Pœn. V, 2.

Qui, ubi quamque nostrarum videt prope ædeis hasce, egrediens,
Item ut de frumento anseres, clamore absterret, abigit.
Is item est agrestis : sed foreis, quidquid est futurum, feriam.
Ecquis huic tutelam januæ gerit? ecquis intus exit?

SCENA SECUNDA.

STRATILAX, ASTAPHIUM.

STRAT. Quis illic est, qui tam proterve nostras ædeis arietat?
AST. Ego sum, respice ad me. STRAT. Quid, ego? nonne ego video? væ tibi!
Quid tibi ad hasce adcessio'st ædeis prope, aut pultatio'st?
AST. Salve. STRAT. Satis mihi est tuæ salutis; nihil moror. Non salveo.
Ægrotare malim quam esse tua salute sanior.
Id volo scire : quid debetur heic tibi nostræ domi.
AST. Conprime. STRAT. Spero meam quidem, hercle; te, qui solitu'st, conprimat.

40. *Nostrarum*. Most. I, 3, 123. —*Hasce*. Vulgo *ac si adgred.* difficili sensu. Vett. edd. « pr. ædeis hasce egrediens », quod satis placet.

41. *Ut de frumento anseres* abegeris. N.

1. *Proterve*. Immoderate ac superbe : a *proterendo*. Nam *protervus* est, qui dum aliis obvius est, *proterit*. PASSER.

2. *Quid ego? nonne video?* Quid dicis *ego?* nonne te video et cognosco? Vide Amphitr. IV, 2, 1. Bothius aliter distinguit et intelligit, quasi Stratilax obstupefactus exclamet : Quid ego?... nonne ego video?... bis oratione imperfecta.

4. *Non salveo*. Comicus hic minus latine, ex persona rustici et ex decoro, loquutus est, ut Terent. Eun. III, 1, *emoriri usu*. Ubi Donatus : « disciplina est comicis, ut stultas sententias, ita etiam vitiosa verba, adscribere ridiculis imperitisque personis ». PARRHAS.

6. *Conprime*. Intelligit iram. At ille aliud joculatur.

7. *Spero meam* me compressurum. Amphitr. I, 1, 192. — *Te, qui solitu'st, conprimat*. Lips. hanc restituit lectionem. Vulgata stulte, « tu quæ solita es comprimas ». N.

Inpudens per ridiculum ut rustico suadet stuprum!

AST. Iram dixi. STRAT. Ut esse cœpisti, si dem, si est una altera.

AST. Nimis hic quidem truculentus. STRAT. Pergin' male loqui, mulier, mihi?

AST. Quid tibi ego autem dico? STRAT. Quia enim me truculentum nominas.

Nunc adeo, nisi abis actutum, ac dicis, quid quæras, cito,

Jam, hercle, ego heic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram.

AST. Rus merum hoc quidem 'st. STRAT. Pudendumne? tu vero clurinum pecus,

An venisti huc te ostentatum cum exornatis ossibus?

Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, pallulam.

8. *Inpudens.* Vulgata *Inprudens* non satis liquet.—*Ut r.* scil. tamquam ignaro et stolido. Vid. vs. 14.

9. *Iram dixi.* Sup. 6. — *Ut esse cœpisti.* Locus haud dubie corruptus, quem sic puto emendandum: « ut esse cœpisti, quid dem si una est altera? » id est, quidvis dare paratus sum, si est una altera tibi similis, ut jam esse cœpisti. SALM. — *Ut esse cœpisti si dem.* Codices, alter, « cepsidem sistun alterum »; alter, « fidem si est una altera »: ut prodidit Pareus. Legu: « Ut es, pignus dem, si est, una altera ». GRON.

14. *Clurinum pecus. Clurinum* probo, quum ita sit in vett. edd. et Arnobius usurparit: atque in Glossario legatur, *Clura*, πίθηκος· et dubium non sit, quin veteres ita extulerint, ut *cordus* pro *condus*: *canmen* pro carmen: *genimen*, germen: *gnoma*, groma: *præcidanea*, præcidaria: *proletaneus*, proletarius: *architector*, architectus. Ita autem Astaphium Stratilax appellat, deformitatem ei exprobrans: nam homines deformes *simiæ* per convitium audiebant. MEURS. — Glossæ Papiæ: « Clura vel clurinum simia dicitur ». Haud dubie, ut sæpe alibi, respexit hunc Plauti locum. BOXH.

15. *An venisti huc te ostentatum.* Hæc auctore Salmasio pro vulg. « Advenisti huc sistentatum ». Felix quoque Bothii ingenium: « Adveni istuc, sis, tentatum », nisi *istuc* parum commode dicatur, quum ille suam, non mulieris domum monstrare velit. N.

16. *Insuaso.* Festus: « Suasum, color appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus: Quia tibi suaso, etc. Quidam autem legunt, insuaso: nec desunt, qui dicant, omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari: quod quasi persuadetur in alium ex albo (quid *alio*?) transire ». Etiam ego censeo *insuaso* retinen-

An eo bella es, quia adcepisti? ar me advenias. AST. Nunc places.
STRAT. Quam me illi velim! AST. Mentiris. STRAT. [Quid?] dicis quod te rogo?
Mancupium quî adcipias, gesta tecum penos annuos.
STRAT. Dignis dant. Laciniæ heic sunt, quas habes victorias?
AST. Ne adtigas me. STRAT. Tangam? ita me amabit sarculum,
Ut ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem,
Cumque eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetem,
Quam tuas centum cœnatas nocteis mihi dono dari.
Rus tu mihi obprobras? ut nancta es hominem, quem pudeat probri!
Sed quid apud nostras negoti, mulier, est ædeis tibi?
Quid tu hoc obcursas, in urbem quotiescunque advenimus?
AST. Mulieres volo convenire vostras. STRAT. Quas tu mulieres

dum: quum Glossarium: *Insuasum*, εἶδος δοκαριοκαπνισμένων interpretetur: sive, ut Scalig. emendat, εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένου. Et sane hoc vult Festus, esse colorem similem illi, qui est in illis trabibus, quas diutinus fumus infecit. GRUT.

17. *Ar* i. q. ad, vetus et rancidulum; rustice quidem.

19. *Mancupium quî*, etc. Ut me mancupio accipias, si tibi placeo, fer tecum cibaria annua, nedum mercedem a me speres.

20. *Dignis dant*. Homines dant tale pretium dignis.—*Laciniæ*. Mera conjectura. Vulgo *Laviniæ*, quas quæ sint, nemo hariolatur. E sequentibus « ne me adtigas » apparet, eum manu aliquam ornatus, quem illa habebat, partem ostendere voluisse. N.

21. *Ita me amabit sarculum*. Formula jurisjurandi rustico conveniens, ut parasitum decuit illa: « ita me amabit sancta Saturitas », Curcul. IV, 2, 97. N.

22. *Hamaxari*, est plaustrum trahere, auctore Turnebo. Malim exponi plaustro jungere. Et hoc sensus requirit. Nam qui plaustro trahitur a bobus, tantum molestiæ non percipit, quantum is, qui boves plaustro jungere cogitur, Unde et *pernoctationis* meminit, quod proprium eorum qui ruri huic ministerio præficiuntur. PISTOR. — *Patalem bovem*. Festus: « Patalem bovem Plautus appellat, cujus cornua diversa sunt, ac late patent ». Græci quoque ab eadem mente ejusmodi boves vocarunt πεταλεῖς, sive πετήλους. Tales autem boves et plaustris at aratris apti. SCAL.

Mihi narras? ubi musca nulla femina'st in ædibus.
AST. Nullane isteic mulier habitat? STRAT. Rus, inquam, abierunt: abi.
AST. Quid clamas, insane? STRAT. Abire hinc ni properas grandi gradu,
Jam ego istos fictos, conpositos, crispos, cincinnos tuos
Unguentatos usque ex cerebro expellam. AST. Quanam gratia?
STRAT. Quia adeo foreis nostras unguentis uncta es ausa adcedere,
Quiaque istas buccas tam belle purpurissatas habes.
AST. Erubui, mecastor, misera propter clamorem tuum.
STRAT. Itane? erubuisti? quasi vero corpori reliqueris
Tuo potestatem coloris ulli capiundi, mala:
Buccas rubricæ, cera omne corpus intinxit tibi.
Pessumæ estis. AST. Quid est, quod vobis pessumæ hæc***
STRAT. Scio ego plus, quam me arbitrare scire. AST. Quid id est, obsecro,
Quod scias? STRAT. Herilis noster filius apud vos Strabax
Ut pereat, ut eum inliciatis in malam fraudem et præmium.
AST. Sanus si videare, dicam: dicis contumeliam.

29. *Musca nulla femina.* Nulla femina est, vel musca. *Muscam nullam feminæ*, pro *nulla femina* dixit venuste Plautus ex vulgi sermone.

32. *Fictos*, concinnatos, arte deformatos.

35. *Purpurissatas.* Mosl. I, 3, 104.

36. *Erubui propter*, etc. Pudet me tuæ vociferationis.

38. *Ulli*, antique, pro, *ullius*. Priscianus hoc laudat VI, 7.

39. *Rubricæ*, intell. *intinxerunt.*

43. *Ut*, quomodo. — *Fraudem*, corruptelam, vitium. — *Præmium*, emolumentum, malum certe i. e. perniciem rei familiaris.

44. *Sanus si videare*, id est, si putarem te sanum esse, dicerem, te contumeliam dicere: sed quia pro stulto te habeo, non curo. Planissimum. Scaliger legit: « Sanus si sis, vide ne dixis contumeliam ». Sed profecto hæc aquila, quæ inconnivis oculis solem fere intuetur, hic connixit. Formula ista est, qua duram sententiam molliter effert: aut alioqui circumloquitur, quod lubet aperte proferre. Tantumdem hoc est ac si dixisset: *Non sanus es.* Ita alibi: *Si habeam, dem*, pro nihil habeo quod dare queam. TAUBM.

Nemo hominum heic perire solet apud nos : res perdunt suas.
Ubi perdidere res, abire hinc si volunt, nudis licet.
Ego non gnovi adulescentem vostrum. STRAT. Veron'? AST. Serio.
STRAT. Quin maceria illa ait, in horto quæ est, quæ in nocteis singulas
Latere fit minor, qua iste ad vos damni permensu'st viam?
AST. Non mirum (vetus est maceria), lateres si veteres ruunt.
STRAT. Ain' tu, mala, lateres veteres ruere? nunquam, edepol, mihi
Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit,
Ni ista ego vostra hero majori facta denarravero.
AST. Estne ille violentus? STRAT. Suam non enim ille meretriculis
Muniundis rem coegit, verum parsimoniæ
Duritiæque; quæ nunc ad vos jam exportatur, pessumæ.
Hem tu, o sexungula, male vivatis: egone hæc mussitem?

50. *Vetus est maceria*. Leg. « Non mirum est, vetusta maceria, lateres », ut sint ablativi absolute positi. Est autem *maceria*, murus intermedius ex lapidibus sine calce et cæmento congestus. Terentius : « Hanc in horto Maceriam jube dirui ». Ad quod Donatus : « Maceria dicitur paries *** nunc alicujus demacerata ». TAUBM. — Lindenbrogius testatur in MSS esse *non altus*. Lege : « paries non altus de macerato ». GRON.

52. *Duarum rerum*. Omnis enim sermo duobus monosyllabis constat, *est* et *non*. Alciatus. Turneb. *duarum rerum*, id est, divini et humani, quod verius. Vid. Amph, II, 2, 40. TAUBM.

54, 55. *Muniundis*. Lego : « sum : non enim ille ». Deinde illud *Molliendis* aio auctoribus libris falsi damnandum : nam optimus Vatic. *Moniendis*; duo alii, *Monendis*; ut certum habeam latere in hac scriptura verbum vetustius. Placeret cum Scalig. *Molendis*. LIPS.

57. *Hem tu, o sexungula*. Hoc Palmerii maxime probo, nec potuit aptius in rapax illud genus : quomodo Aulul. III, 6, *homines cum senis manibus* dixit, fures intelligens. T.—Lego *Emtu, nexu, gula*. Et sententia aperta, sive ad ea referantur quæ sequuntur, sive ad ea quæ antecedunt. Significat enim amatores bona sua perdere apud meretrices, emtionibus, obligatio-

Jam enim ecccre ibo in forum, atque hæc facta narrabo seni.
Namque istuc ipse gestit; ergo coget examen mali.
AST. Si, ecastor, hic homo sinapi victitet, non censeam
Tam esse tristem posse : at, pol, hero benevolens ut is est suo !
Verum ego illum, quamquam violentus est, spero mutari potest
Blandimentis, ornamentis cæteris meretriciis.
Vidi equidem ex jumentis domita fieri, atque alias beluas.
Nunc ad heram revidebo : sed eccum odium progreditur meum.
Tristis exit : haud convenit etiam hic dum Phronesium.

SCENA TERTIA.

DINARCHUS, ASTAPHIUM.

DIN. Pisceis ego credo, qui usque dum vivont, lavant,
Minus diu lavare, quam hæc lavat Phronesium.
Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant,
Omneis amanteis balneatores sient.
AST. Non quis parumper durare, opperirier ?
DIN. Quin, hercle, lassus jam sum durando miser.

nibus et compotationibus SCALIG.

58. *Eccere*, statim.

59. *Namque*, etc. Vulg. « Neque istuc in se gestit; ergo coget exanimem mali ». Boxhornio et Bothio adjuvantibus, hanc, qualiscumque est, protuli. N.

62. *Verum ego illum*. Aliter incipit, aliter desinit oratio. Nam vel *ille*, vel *mutari posse* oporteat. Incuria sermonis non indecora hoc loco. N.

66. *Convenit*, adiit. — *Etiam hic dum*, tmesis, etiamdum, cum negativa *nondum*. N.

2. *Lavare*. Plautus a Varrone leviter reprehenditur, qui contra analogiam loquutus sit, et *lavare* dixerit, quum debuisset *lavari*.

4. *Omneis amanteis*. Amantes fiant balneatores, quippe quorum amicæ lavando totum consumant diem. N.

5. *Quis*, i. e. potes.

AST. Mihi quoque præ lassitudine opus est ut lavem.
DIN. Sed obsecro, hercle, Astaphium, i intro, ac nuntia
Me adesse : tu i propere, et suade jam ut satis laverit.
AST. Licet. DIN. Audin' etiam? AST. Quid vis? DIN. Di me perduint,
Qui te revocavi : non tibi dicebam : i modo.
AST. Quid jam me revocabas, inprobe nihilique homo?
Quæ tibi mille passuum peperit moræ mora. (abit.)
DIN. Sed quid hæc heic autem tamdiu ante ædeis stetit?
Nescio quem præstolata 'st; credo, militem.
Illud est : vide ut jam, quasi volturii, triduo
Prius prædivinant, quo die esuri sient.
Illum inhiant omneis; illi est animus omnibus.
Me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit,
Quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus.
Ut rei servire suave 'st! væ misero mihi!
Post factum plector, quia ante partum perdidi.
Verum nunc si qua mihi obtigerit hereditas
Magna atque luculenta, nunc postquam scio

7. *Lassitudine.* Possit, si velit, Dinarchus intelligere lassitudinem, quam ipse mulieri tædio suo fecerit. N.

10. *Licet.* Rud. IV, 6, 8.

13. *Moræ mora.* Oratio concisa, et sic explenda : Quæ mora tantum moræ tibi peperit, quantum est mille passuum. Posset et legi *moram*, vel *moras*. ACID. — Puto scripsisse Plautum : « Quæ tibi mille passuum peperit, more, moram ». *More*, id est, stulte. Ita sæpe alibi ludit comicus. BOXH.

15. *Quem præstolata 'st.* Terent. Eun. V, 5 : « Quem præstolare, Parmeno? » Ad quod Donatus : « Nove, *quem* dixit, non *cui* præstolare ». Cicero in Catilin. « Qui tibi ad forum præstolarentur ». Notavit item Eugraphius, vetus Terentii commentator : *Præstolor*, est præto sum, appareo, id est, obsequor. TAUBM.

18. *Illi est*, in illum intentus est. N.

21. *Ut rei servire.* Illum pœnitet quod negotio minus quam otio operam dederit. Cf. Trin. II, 1, 5.

22. *Post factum plector.* Frustra Gruter. *flector*, interpretatur « sententiam muto ». Plautus non potuit aliter dicere quam *plector*. Est enim hæc formula meritam pœnam post factum agnoscentis. Phædrus fab. 39 : « Tum de reliquis una : Merito plectimur ». — *Ante partum*, id est, patrimonium. Supra I, 1.

Dulce atque amarum quid sit ex pecunia:
Ita ego illam, edepol, servem, itaque parce victitem,
Ut nulla faxim cis dies paucos siet.
Ego istos, qui nunc me culpant, confutaverim.
Sed est vocis sat; sentio aperiri foreis,
Quæ obsorbent quidquid venit intra pessulos.

SCENA QUARTA.

PHRONESIUM, DINARCHUS.

PHR. Num tibi nam, amabo, janua'st mordax mea,
Quo introire metuas, mea voluptas? DIN. Ver vide:
Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet!
PHR. Quî tam inficetus Lemno adveniens, qui tuæ
Non des amicæ, [mi] Dinarche, savium?
DIN. Vah! vapulo, hercle, ego nunc, atque adeo male.
PHR. Quo te avortisti? DIN. Salva sis, Phronesium.
PHR. Salve; heicne hodie cœnas, salvos quom advenis?
DIN. Promisi. PHR. Ubi cœnabis tu? DIN. Ubi tu jusseris:
Heic. PHR. Me lubente facies. DIN. Edepol, me magis.
Nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium.
PHR. Velim, si fieri possit. DIN. Cedo soleas mihi:

25. *Ex pecunia.* Quid ex pecunia homini oriri possit, dulce, si ipse frugi fuerit, amarum, si prodigus. N.

27. *Ut nulla foxim.* Jocus παρὰ προσδοκίαν. Exspectabat enim auditor, ut plane contrarium subjiceret. *Cis dies paucos* autem, est intra breve tempus, propediem. TURN. — Hujusmodi jocos plures videbis Bacch. III, 4.

30. *Obsorbent. Obsorbere* est totum sorbere. Tale est apud Terent. Eun. « Patria obligurieras bona ».

1. *Janua 'st mordax.* Cf. Mostell. III, 2, 162.

4. *Lemno adveniens.* Vide Cistell. II, 1, 16.

6. *Vapulo*, victus sum, dictis sagittatis cor feritur.

11. *Tu eris hodie mecum.* Varro: « Violavit virginem, pro, vitiavit, dicebant: æque eadem modestia potius, Cum muliere fuisse, quam Concubuisse ». GRON.

12. *Cedo soleas.* Date soleas; quasi jam mensæ adcubuerit, et hæc ministris convivalibus dicat.

Properate; auferte mensam. PHR. Amabo, sanun' es?
DIN. Non, edepol, bibere possum jam, ita animo male 'st.
PHR. Mane; aliquid fiet, ne abi. DIN. Ah! adspersisti aquam,
Jam rediit animus: deme soleas; cedo, bibam.
PHR. Idem es, ecastor, qui soles: sed dic mihi,
Benene ambulavisti? DIN. Huc quidem, hercle, ad te bene,
Quoniam tui videndi'st copia. PHR. Conplectere.
DIN. Lubens: ah, hoc est mel melle dulci dulcius!
Hoc tuis fortunis, Jupiter, præstant meæ.
PHR. Dan' savium? DIN. Imo vel decem. PHR. Haud istoc pauper es:
Plus pollicere, quam ego a te postulo.
DIN. Utinam a principio rei item parsissem meæ,
Ut nunc reparcis saviis! PHR. Si quid tibi
Conpendi facere possim, factum, edepol, velim.
DIN. Jam lavisti? PHR. Jam, pol, mihi quidem atque oculis meis.
Num tibi sordere videor? DIN. Non, pol, mihi quidem.
Verum tempestas memini quom quondam fuit,
Quom inter nos sorderemus unus alteri.

Soleæ fuere calceamenti genus, quo præcipue utebantur cœnaturi. Eas deponebant, quum lecto inscenderent; si quis abire vellet, poscebat a servo: soleas. Horat. Sat. II, 8, 77. N.

14. *Animo male.* Conf. Amph. V, 1, 6.

15. *Adspersisti aquam.* Bacchid. II, 3, 13.

16. *Deme*, etc. Eadem, quæ supra 12, Getio.

18. *Benene ambulavisti?* Formula quærens de incolumitate peregre venientis, pendet ab altera: *Bene ambula*; qua abeuntes dimittebant. In sequentibus, avara mulier sinistram ejus liberalitatem perstringit, et egestatem objicit tacite, quum a suaviis non esse pauperem ait. Ibi contra ille parsimoniam suaviorum in ipsa incusat: et ad ejus exemplum optat, olim rei item suæ se parsisse. ACIDAL.

19, 20. *Conplectere.* Asin. III, 3, 24, 25.

26. *Conpendi facere*, si quid tibi prodesse possim. LAMB.

27. *Jam, pol, mihi.* Jam, mea sententia et quantum videre me possum, lauta sum; nisi tibi sordere videar. N.

30. *Sorderemus*, contemtui essemus. LAMB.

Sed quid ego facinus audivi adveniens tuum,
Quod tu heic, me absente, novi negoti gesseris?
Quomque bene provenisti salva, gaudeo.
PHR. Tibi mea consilia summa semper credidi.
Equidem nec peperi puerum, nec prægnas fui,
Verum adsimulavi me esse prægnatem, haud eram.
DIN. Quapropter, o mea vita? PHR. Propter militem
Babyloniensem, qui quasi uxorem sibi
Me habebat anno, dum heic fuit. DIN. Ego senseram.
Sed quid istuc? quoi rei id te adsimulare retulit?
PHR. Ut esset aliquis laqueus et redimiculum,
Revorsionem ut ad me faceret denuo.
Nunc huc remisit nuper ad me epistolam,
Sese experturum, quanti sese penderem;
Si, quod peperissem, id educarem ac tollerem,
Bona sua me habiturum omnia. DIN. Ausculto lubens.
Quid denique agitis? PHR. Mater ancillas jubet,
Quoniam jam decimus mensis adventat prope,
Aliam aliorsum ire, præmandare et quærere
Puerum aut puellam, qui subponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Gnovisti nostram, quæ modo erga ædeis habet.

31. *Quid*, quod. Amph. I, 1, 208.

39. *Habebat anno.* Elegans dicendi genus, sed in libris fere corruptum: valet autem, anno præterito: cui opponitur *horno*. Ita Amph. Prol. LIPS.

41. *Redimiculum.* Eleganti et amœna inflexione sermonis dictum est: quum enim redimiculo innexi implexique teneantur crines mulierum, *redimiculum* pro quodam vinculo et nodo, quo velut alligatus teneretur miles Babyloniensis, id est, Græcus, qui Babylone stipendis meruerat, jucunda suavique translatione dixit. Glossæ: καθετὴρ ἀνάδεσμος. TURN.

45. *Tollerem.* Amph. I, 3, 3.

47. *Mater* mea.

52. *Quæ modo.* Quis negabit legendum: « quæ modo erga ædeis habet », id est, e regione habitat. Nam *habere* pro *habitare*, notum iis qui nondum ære lavantur. LIPS. MSS, « quem erga ædem sese habet ». Lego: « quæ me erga ædeis ecce habet ». *Erga me*, est, « regione ædium mearum. GRON.

DIN. Gnovi. PHR. Hæc una opera circumit per familias,
Puerum vestigat clanculum, ad me detulit.
Datum sibi esse dixit. DIN. O merceis malæ!
Eum nunc non illa peperit, quæ peperit prior,
Sed tu posterior. PHR. Ordine omnem rem tenes.
Nunc, ut præmisit nuntium miles mihi,
Non multo post heic aderit. DIN. Nunc tu te interim
Quasi pro puerpera heic procuras? PHR. Quippini?
Ubi sine labore res geri polchre potest,
Ad suom quemque æquom'st quæstum esse callidum.
DIN. Quid me futurum'st, quando miles venerit?
Relictusne abs te vivam? PHR. Ubi illud, quod volo,
Habebo ab illo, facile inveniam, quomodo
Divortium et discordiam inter nos parem.
Postidea ego tota tecum, mea voluptas, usque ero
Adsiduo. DIN. Imo, hercle, vero adcubuo mavelim.
PHR. Quin dis sacruficare hodie pro puero volo,
Quinto die, quod fieri oportet. DIN. Censeo.
PHR. Non audes aliquod mi dare munusculum?
DIN. Lucrum, hercle, videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quidpiam me poscis. PHR. At ego, ubi abstuli.

53. *Una opera*. Capt. III, 4, 31.

55. *Merceis malæ!* Conf. Casin. III, 6, 23.

57. *Ordine*. Captiv. II, 3, 17.

62. *Ad suom quemque*. Similis sententia est Asin. I, 3, et infra act. V. GRON.

68. *Adsiduo*. Varro de Ling. Lat. lib. V: « Frequentem operam dedistis, apud Plautum valet assiduam: itaque qui adest, assiduus ». In eadem sententia Q. Cic. in lib. De petitione consulatus: « Jam assiduitatis nullum est præceptum: verbumque ipsum docet, quæ res sit. Prodest quidem vehementer nunquam deesse, etc. » At Plautus etiam jocando extulit verum etymon hoc loco. SCALIG.

70. *Quinto die*. Qui dies quintus ἀμφιδρόμιος dicebatur, a ritu, quo cursim circa focum gestabatur puer. Apud Græcos infans die quinto lustrabatur; sed apud Latinos octavo quidem puellæ, nono pueri: qui *dies lustricus* dicebatur, Symmacho *lustratus solemnitas*: item *Nominalis*, quia nomen tum illi indebatur. Tertullianus *Nominalia*. Gregor. Nazian. ὀνομαστήρια dixit. SCALIG.

71. *Non audes*. Asin. II, 4, 70.

DIN. Jam faxo heic aderit; servolum huc mittam meum.
PHR. Sic facito. DIN. Quidquid autem erit, boni consulas.
PHR. Ecastor, munus te curaturum scio,
Ut quojus me non pœniteat mittas mihi.
DIN. Num quidpiam me vis aliud? PHR. Ut, quando otium
Tibi sit, ad me revisas. DIN. Valeas. PHR. Vale. (abit.)
DIN. Pro di inmortaleis, non amantis mulieris,
Sed sociæ unanimantis, fidentis fuit
Opficium facere, quod modo hæc fecit mihi;
Subpositionem pueri quæ mihi credidit,
Germanæ quod sorori non credit soror.
Ostendit sese jam mihi medullitus,
Se mihi infidelem nunquam, se viva, fore.
Egone illam ut non amem? egone illi ut non bene velim?
Me potius non amabo, quam huic desit amor.
Ego isti non munus mittam? jam modo ex hoc loco
Jubebo ad istam quinque perferri minas;
Præterea opsonari duntaxat ad minam.
Multo illi potius bene erit, bene quæ volt mihi,
Quam mihimet, omnia qui mihi facio mala. (abit.)

SCENA QUINTA.

PHRONESIUM.

Puero isti date mammam. Ut miseræ matres sollicitæque

77. *Pœniteat.* Aul. III, 2, 20.

78. *Num quidpiam.* Conf. Bacch. IV, 2, 22.

81. *Fidentis*, mihi fidem habentis. LAMB.

85. *Medullitus*, ex animo penitus.

87. *Egone ut.* Curcul. V, 2, 18.

89. *Ex loco.* Ex loco, vel *e loco* est, quod Græci dicunt αὐτόθεν· e loco *mittam*, αὐτόθεν πέμψω· unde αὐτόθεν καταβάλλειν e loco *solvere*, hoc est, præsenti pecunia: significatio enim loci, brevitatem temporis notat. SALM.

1. *Puero isti*, etc. Nunc Phronesii cubiculum videtur intus. Sed rudes machinamenti theatralis, ut Romæ tunc erant, proscenii faciem haud magnopere immutabant. Pars videlicet velo fuit prætenso seclusa; pars altera pro publica via fuit. Vide infra sc. 6. N.

Ex animo sunt, crucianturque! edepol, commentum male.
Quomque eam rem in corde agito nimio minus perhibemur
Malæ quam sumus ingenio : ego prima domi modo docta dictito.
Quanta est cura in animo, quantum corde capio dolorem,
Dolus ne obcidat morte pueri! mater dicta quod sum, eo magis
Studeo vitæ, quæ ausa sum tantum clam dolum adgrediri.
Lucri caussa avara probrum sum exsecuta; alienos dolores
Mihi subposivi. Nullam rem oportet dolose adgrediri, nisi
Astute adcurateque exsequare. Vosmet jam videtis,
Ut ornata incedo; puerperio ego nunc me esse ægram adsimulo.
Male quod mulier facere incepit, nisi id eficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miseræ miseria'st.
Si bene facere incepit, ejus eam cito odium percipit.
Nimis quam paucæ sunt defessæ, male quæ facere obceperunt,
Nimis quam paucæ eficiunt, si quid obceperint benefacere.
Mulieri nimio malefacere melius est onus, quam bene.
Ego, quod mala sum, matris opera mala sum, et meapte malitia;
Quæ me gravidam esse adsimulavi militi Babylonio;
Eam nunc malitiam adcuratam miles inveniat volo.

2. *Commentum male.* Quam versute et perjure id sum commenta! 4. *Malæ*, id est, vafræ et astutæ: quomodo *malæ* et *malitiæ* quum hic statim, tum alibi passim. Acid. —*Domi docta.* Cistell. II, 1, 2.

7. *Vitæ*, scilicet pueri, cujus opera *matris* nomen, meo bono maximo, inveni. Taubm.

13. *Morbo*, malo. Asin. I, 1, 40. —*Senio*, ægritudini. Stich. I, 1, 19.

14. *Ejus*, quod bene facit.

15. *Nimis quam paucæ.* Paucissimæ. Bacch. I, 2, 13.

16. *Eficiunt*, perficiunt.

17. *Mulieri nimio.* Id est, mulieri multo facilius est malefacere, quam benefacere : libri omnes, ut et MSS Camer. ita constanter legunt. Melius hic est *levius* : nec *onus* mutandum est in *opus* : nam et Mil. III, 1 : «Procreare liberos, lepidum est onus». Grut.

18. *Matris* Scen. 4, vs. 47.

Iste heic haud multo post credo aderit; nunc prius præcaveo sciens;
Eumque gero ornatum, ut gravida, quasi puerperio cubem.
Date mihi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam;
Heic adponite, atque abite ab oculis. Eho Pithecium,
Face ut adcumbam; adcede: adjutare sic decet puerperam.
Soleas mihi duce, pallium injice in me huc, Archilis. Ubi es,
Astaphium? Fer huc verbenam mihi, tus et bellaria.
Date aquam manibus: nunc, ecastor, ut veniret miles velim.

· SCENA SEXTA.

STRATOPHANES, PHRONESIUM, ASTAPHIUM.

STR. Ne exspectetis, spectatores, meas pugnas dum prædicem:
Manibus duelli prædicare soleo, haud iu sermonibus.

26. *Soleas mihi duce.* Vulgo, *date.* At quis credat, puerperam nudis pedibus processisse? Certo certius est legendum: « soleas mihi deme ». Volebat adcumbere: ideo soleas sibi demere jubet. Ita supra Dinarchus, quum in lectum se inscendere velle simulat: « Jam rediit animus, deme soleas ». Contra, quum surgere volebant, poscebant soleas: quod Phronesium facit, act. II, 8. PISTOR.—*Duce*, i. q. trahe, deme. — *Verbenam.* Conf. Ter. Andr. IV, 3, 11. N.

27. *Tus et bellaria.* Domi sacra fiebant vulgo, infinitis de causis, etiam ob puerperium. Varro lib. II De vita pop. rom. « Mensa anteponebatur cum culignis ac vino, in qua, quæ veniebant fetum amicæ gratulatum, diis mactabant ». Tertullian. De anima: « Dum in partu Lucinæ ac Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadem Junoni mensa proponitur, dum ultima die fata scribunda advocantur, quis non filii caput obsignat pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione? » GUTHER.

1. *Prædicem.* Id enim militum ingenium, comicorum quidem. Vid. Mil. I, 1; Cleomachus Bacchidibus. N.

2. *Manibus duelli.* Manu, in bello.

Scio ego multos memoravisse milites mendacium.
Et Homeronidæ, et post illa mille memorari potest,
Qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.
Non laudandu'st quoi plus credit qui audit, quam qui
 videt.
Non placet, quom illi plus laudant qui audiunt, quam
 qui vident.
Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem,
Qui audiunt, audita dicunt : qui vident, plane sciunt.
Non placet quem scurræ laudant, manipulareis mussitant,
Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem præstringit
 domi.
Strenui nimio plus prosunt populo, quam arguti et cati.
Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit.

4. *Et Homeronidæ. Homeronida* nomen militis gloriosi, ex aliqua comœdia tunc notum. *Past illum* habent libri. Unde est in editionibus *post illa.* Puto legendum una litera mutata : « Et Homeronidam, et post illum mille memorari potest ». Ὁμηρίδας est ῥαψῳδός. Unde et pro glorioso sumitur Græcis qui longas texit ῥαψῳδίας de suis facinoribus. Hinc Ὁμηρίδειν Hesychio ψεύδεσθαι· *Homeronida* pro Homerida Plauto nomen militis gloriosi. Salm. — Ut nihil recedamus a veteri scriptura : « Et Homeronidæ et post illa » : erit, Mille militum Homeri et post illa auctorum in scriptis laudatorum memorari potest, quibus magno mendacio tanta fortitudo adscribitur. Gronov. — *Milla memorari potest.* Rarius loquendi genus : pro mille memorari possunt : tale illud Pœnoli fine : « Trecentos nummos Philippos, credo, conradi potest ». Acid.

6. *Quoi plus credit.* Ut historici et poetæ : quibus plus credimus nos, qui audivimus, quam qui viderunt. Lamb.

7. *Non placet, quom.* Non placet hoc mihi quum, qui audiunt narratas, plus laudant, quam qui rebus gerendis interfuerunt. L.

10. *Scurræ*, homines urbani. Cf. Epid. I, 1, 13. — *Manipulareis*, id est, militares homines. — *Mussitant*, tacent, non laudant. Lamb.

11. *Quorum lingua.* Rhetores et δημαγωγούς, id est, blandos populi rectores seu concionatores tangit. Douza. — *Præstringit.* Cf. Mil. I, 1, 4.

13. *Virtus argutam.* Disertam eloquentiam dicit virtute inveniri. Nam hic *argutus* est disertus et eloquens, et illud significatur, quod a Platone scriptum et a Cicerone relatum : Unumquemque in eo satis esse disertum, quod sciret, et quod recte facere posset. Probus, ad Virgil. Bucol. IV, *argutum* ab

Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica,
Quæ alios conlaudat, eapse se vero non potest.
Nunc ad amicam, decumo mense post, Athenas Atticas
Viso, quam gravidam reliqui meo conpressu, quid ea agat.
PHR. Vide quis loquitur. AST. Jam propinque miles, mea Phronesium,
Tibi adest Stratophanes: nunc tibi opu'st, ægram ut tu te adsimules. PHR. Tace.
Quid adhuc egeo tui, malum, admonitricis? an me maleficio vincere est?
STR. Peperit mulier, ut ego opinor. AST. Vin' adeam hominem? PHR. Volo.
STR. Euge, Astaphium, eccam, it mihi advorsum. AST. Salve, ecastor, Stratophanes.
Venire salvom... STR. Scio: sed peperitne, obsecro, Phronesium?
AST. Peperit puerum nimium lepidum. STR. Ecquid mihi simili'st? AST. Rogas?

ἀργὸς dictum ait, id est, *celer:* quod arguti multum ac celeriter loquantur: unde et *arguta hirundo*. TURN.

14. *Pro præfica.* Festus: « Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ ». « Nævius: « Hæc quidem, mehercle, opinor, præfica est, quæ sic mortuum conlaudat ». Glossæ: *Præficæ*, ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη, θρηνῳδὸς ἐπ' ἐκφορᾷ. SCALIG.

20. *Quid adhuc.* Hunc versum e vestigiis monstrosæ scripturæ Vat. hoc loco inserui. Quum enim propinquaret jam miles, sedula ancilla dominam officii monuit, ut callide et apposite simularet ægram puerperam. At illa quasi indignata admoneri, ut quæ sua sponte nimium esset mala et astuta, Tace, inquit, etc. LIPS.—*Malum.* Amph. I, 1, 247.

21. *Vin' adeam hominem.* MSS, « vinadea aut hominem ». Scribe igitur: « vin' adeam ad hominem »: quod etiam probat Gruterus. Sic Curcul. II, 2: « Neque eum ad me adire, neque me magni pendere visum est ». Et sæpe alibi. Terent. Andr. III, 3, 2: « Aliquot ad me adiere, ex te auditum qui aiebant hodie filiam, etc. » Ita certe in nostris membranis. GRON.

23. *Venire salvom.* Addituram *te gaudeo* interpellat miles *scio*, i. e. quid dicas. Cf. Triu. IV, 3, 66.

24. *Ecquid*, an. Cf. Bacch. IV, 10, 10.

Quin ubi gnatu'st, machæram et clypeum poscebat sibi.
STR. Meus est, scio jam de argumentis : nimium quidem simili'st : papæ !
Jam magnu'st? jamne electat legionem, quam spoliare velit ?
AST. Here nudiusquintus gnatus quidem ille'st. STR. Quid postea ?
Inter tot dies quidem, hercle, jam actum aliquid oportuit.
Quid illi ex utero exitio'st, priusquam poterat ire in prælium?
AST. Consequere atque illam saluta, et gratulare illi. STR. Sequor.
PHR. Ubi illa, obsecro, est, quæ me heic reliquit atque abstitit?
AST. Adsum; adduco tibi exoptatum Stratophanem. PHR. Ubi is est, obsecro?
STR. Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam.
Quom tu recte provenisti, quomque es aucta liberis,
Gratulor, quom mihi tibique magnum dedisti decus.
PHR. Salve, qui me interfecisti pene et vita et lumine,
Quique vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.
STR. Eia, haud ab re, mea voluptas, tibi obvenit istic labos ;

27. *Electat*, elicit, cogit ad pugnam. Mercat. I, 2, 111. Bothius : « jamne lectat legionem ? quem spoliare volt ? » N.

28. *Here nudiusquintus*. Heri transactus erat quintus dies ex quo natus ille est. N.

30. *Exitio*, genitivus *exitionis*. Amph. I, 3, 21.

32. *Abstitit*. Asin. II, 4.

34. *Nerienem*, Martis uxorem. Gellius, XIII, 21, de hoc loco disputat.

35. *Quom tu recte*. Sup. II, 4, 23.

37. *Qui me interfecisti*. Homerus Iliad. XI, Agamemnonis vulnerati dolorem cum parturientis ὠδῖσι confert. Quos versus græcæ mulieres non ab Homero, sed ab Homera scriptos esse dicebant, teste Plutarcho. Ita Medea Euripidis apud Ennium : « Ter sub armis malim vitam cernere, Quam semel modo parere ». T. — *Interfuisti*, quasi privasti. Sic Gell. XII, 7.

40. *Ab re*. Asin. I, 3, 71.

Filium peperisti, qui ædeis spoliis obplebit tuas.
PHR. Multo, ecastor, magis obpletis opu'st tritici granariis;
Ne, ille priusquam spolia capiat, heic nos exstinxit fames.
STR. Habe bonum animum. PHR. Savium, sis, pete hinc a me: nequeo caput
Tollere, ita dolui, itaque ego nunc doleo; neque etiam queo
Pedibus mea sponte ambulare. STR. Si plane ex medio mari
Savium petere tuum jubeas, petere haud pigeat me, mel meum.
Id ita esse experta es, nuncque experiere, mea Phronesium,
Me te amare: adduxi ancillas tibi, eccas, ex Suria duas,
Iis te dono. Adduce hoc tu istas. Sed istæ reginæ domi
Suæ fuere ambæ; verum patriam ego excidi manu.
Iis te dono. PHR. Pœnitetne te, quot ancillæ sunt jam?
Quine etiam super adducas, quæ mihi comedint cibum? STR. Hoc quidem,
Hercle, si ingratum'st donum, cedo tu mihi istam, puere, perulam.
Hem, mea voluptas, adtuli, eccam, pallulam ex parva Græcia tibi,
Tene tibi. PHR. Hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari?
STR. Perii, hercle, miser: jam mihi auro contra constat filius.
Etiamnum me vilipendit! Ad id, purpuram ex Sara tibi
Adtuli, et induvias Ponto amœnas: tene tibi, voluptas mea.
Adcipe hoc. Abduce hasce hinc e conspectu Suras.

46. *Mea sponte*, per me, meis viribus. LAMB.

50. *Hoc*, huc. Curc. II, 2, 20. — *Reginæ*, i. e. divites, matronæ. Donatus ad Terent. Eunuch. I, 2, 88, *domi suæ*, in patria. N.

53. *Quine etiam*. Quasi dicat: Paneæ tibi videntur tot ancillæ, quot mihi nunc sunt, nisi tu plures adducas ultro estrices in ædes meas. LAMB. — Vide Mil. III, 1, 145.

57. *Auro contra*. Curc. I, 3, 46.

58. *Ad id, purpuram ex Sara tibi*

Ecquid amas me? PHR. Nihil, ecastor; neque meres. STR. Nihilne huic sat est?
Ne mihi verbum quidem unum dixit: viginti minis
Venire illæc posse credo dona, quæ ei dono dedi.
Vehementer nunc mihi est irata; sentio atque intellego:
Verum adibo. Quid ais nunc tu? numne vis me, voluptas mea,
Quo vocatus sum, ire ad cœnam? mox ad te huc cubitum ivero.
Quid taces? planissume, edepol, perii. Sed quid illuc boni est?
Quis homo est, qui inducit pompam tantam? certum'st quo ferant
Observare: huic, credo, fertur: verum jam scibo magis.

SCENA SEPTIMA.

GETA, PHRONESIUM, STRATOPHANES.

GET. Ite, ite hac simul, muli æris, damnigeruli, foras gerones,
Bonorum hamaxagogæ. Satine qui amat, nequit quin nihili
Sit, atque inprobis sese artibus exspoliat: nam hoc quî sciam, ne quis

Adtuli, et induvias Ponto. Ex Sara, id est, ex Tyro. Tyrus enim Sarra dicta est, a pisce *sar*. Itaque Serv. ad illud Virgil. Georg. II: « Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro ». Notat per *ostrum Tyrium* significari a Virgil. purpuram Tyriam. Et *Sarranæ tibiæ* dictæ sunt, vel Tyriæ vel Africanæ. Denique Probus ait Ennium dixisse, « Pœnos Sarra oriundos », i. e. Tyro. SCALIG. — *Ad id*, præterea.

60. *Abduce*. Hæc ad puerum.

65. *Quid ais nunc tu?* Cf. Aulul. IV, 9, 7.

68. *Pompam*. Bacch. I, 2, 6.

1. *Muli æris*, qui nostram pecuniam effertis. Scioppius legit: « simul, heri damnigeruli », i. e. qui bajulamini damna herilia. Bothius ingeniose, « mulieri damnigeruli », i. e. geruli damnorum ob mulierem impensorum. —*Foras gerones*. Conf. inf. vs. 5.

Id quærat ex me. Domi est qui facit inproba facta amator,
Qui bona sua pro stercore habet, foras jubet ferri; metuit
Publicos: mundissumu'st, puras sibi esse volt ædeis;
Domi quidquid habet, verritur ἔξω. Quandoquidem ipsus perditum se it,
Secreto, hercle, equidem illum adjutabo, neque mea quidem
Opera unquam nihilominus propere, quam potest, peribit.
Nam jam de hoc opsonio, de mina una deminui
Modo quinque numos; mihi detraxi partem Herculaneam.
Nam hoc adsimile'st, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi,
Nisi derivetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.
Nam hoc in mare abit, misereque perit sine omni bona gratia: hæc
Quom video fieri, subfuror, subpilo, de præda prædam
Capio. Meretricem ego item esse reor, mare ut est; quod des devorat, nec unquam
Abundat: at hoc saltem servat mare; quod illi subest, adparet: huic des

6. *Publicos.* Hos Ovidius Fast. V, *ædiles plebis* vocat. Ant. August. —Multabantur qui ædium suarum propatula sordibus consita negligebant. N.

11. *Herculaneam.* Nummus hic valet duas drachmas: quum enim ita scribatur: « De mina una deminui Modo quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam »: et grammatici græci tradant *minam* centum esse drachmarum; partem autem Herculaneam constet decimam fuisse, nummus erit quinquagesima pars minæ, ut drachma centesima: sic in nummo inerunt duæ drachmæ. Denarius tamen drachmam valet, cujus æstimatione et pretio inferior multo est nummus. Igitur hic nummus est didrachmum, aliter quam vulgo loquentibus soleat usurpari: nam vulgo sestertius est. Turn.

16. *Mare ut est.* Asin. I, 2, 8.

17. *Servat mare; quod illi.* Comparat hic mari meretricem, ita tamen ut vel pejorem et voraciorem mari ipso meretricem velit. Quod mari des, inquit, devorat: at hoc saltem servat quod devoravit, et quum illi subest, apparet. Apparet quidem ipsi mari quod devoravit, quum illi subest, non autem apparet ei qui in mare aliquid jactavit. At meretrici quod dederis neque datori, neque acceptrici apparet. Salm. — *Hoc saltem servat mare; quod.* Nihil hic mutem, nisi τὸ *quod* in τὸ *quum*, ut volunt scripti. *Hoc*, intellige, quod est ab eo devoratum, quod recepit, « saltem servat mare; quum illi », nempe

Quantumvis, nusquam adparet, neque datori, neque adceptrici.
Velut meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.
Attat eccam, adest propinque : credo audisse hæc me loqui.
Pallida 'st, ut peperit puerum : adloquar, quasi nesciam.
Jubeo vos salvere. PHR. Noster Geta, quid agis? ut vales?
GET. Valeo, et venio ad minus valentem; et melius quî valeat, fero.
Herus meus, ocellus tuus, ad te ferre me hæc jussit tibi
Dona, quæ illos ferre vides, et has quinque argenti minas.
PHR. Pol, haud perit, quod illum tantum amo. GET. Jussit orare, ut hæc grata haberes tibi.
PHR. Grata æquaque, ecastor, habeo : jubeo auferri intro : i, Cyame :
Ecquid auditis hæc, quæ inperata sunt? GET. Vasa nolo auferant :
Desiccari lubet. PHR. Inpudens, mecastor; quanti est negoti? GET. Tun' bona fide,
Tune ais inpudentem me esse, ipsa quæ sis stabulum flagiti?

mari *subest*, quod scilicet ab eo receptum ac devoratum est, *apparet*, id est, exstat. Ut in Menæchm. I, 2, 10. GRON.

20. *Luce.* Nam vivit nunc in latebrosis locis. Bacch. I, 1, 22. — *Amicis.* Trin. II, 1, 27, 28. N.

23. *Quid agis?* Aulul. I, 2, 39.

24. *Quî valeat, fero. Quî* pro *ut*, Lambino non intellectum. Adfero, inquit, tibi ab hero meo dona, aurum et obsonia, ut melius valeas. Sic Curcul. IV, 2 : « Ecquid das, quî bene sit? » Et Bacchid. sc. 1 : « Dato, quî bene sit ». SCIOPP.

28. *Grata æquaque.* Quorum causa gratiam illi habeo et æqua illi sum. Eo sensu quo poeta dixit : « Jupiter æquus amavit », et « oculis non aspicit æquis ». H. l. *æquus* vim agendi habet ut *gratus*. N.

29. *Vasa*, nempe in quibus opsonia allata sunt.

30. *Desiccari.* Servus malus et joculator munera quæ ad meretricem ferebat, statim intro rapi non vult : quasique madeant, soli oppansa et exposita, quo siccentur, ante fores sub dio aliquamdiu habenda cavillatur. TURN. — *Quanti 'st negoti.* Quam curiosus est? Bothius aliter diverbium confinxit : « PH. Inpudens, mecastor. GET. Quinam est? egone? PH. Tu ». N.

PHR. Dic, amabo te, ubi est Dinarchus? GET. Domi. PHR. Dic ob hæc dona, quæ
Ad me miserit, me illum amare plurimum omnium hominum,
Ergo meque honorem illi habere omnium maxumum,
Atque, ut huc veniat, obsecrare. GET. Ilicet: sed quisnam illic homo'st,
Qui ipsus se comest, tristis, oculis malis? animo, hercle, homo suo est miser,
Quisquis est. PHR. Dignus est, mecastor. GET. Quid est? PHR. Non gnovisti, obsecro,
Qui illeic apud me erat? hujus pater pueri illeic est: usque abjectaculum
Jussit ali: mansi, auscultavi, observavi. GET. Quem pernimis
Gnovi hominem nihili: illic, quæso, est? PHR. Illic est. GET. Me intuetur gemens.

32. *Amabo te.* Casin. I, 1, 49.

34. *Meque honorem illi.* Vulgata, « meumque honorem illum », inextricabili sensu. Asin. I, 1, 66.

36. *Animo suo*, ex sententia sua.

38. *Usque abjectaculum.* Vulgata, « usque ad jentaculum », quam sic explicat Lambinus: Primus erat cibus apud Romanos, ut apud Græcos ἀκράτισμα: quem sequebatur prandium: deinde vesperna: postremo cœna: apud Græcos ἄριστον, deinde ἑσπέρισμα, postremo δεῖπνον. Queritur igitur hic Phronesium, militem aluisse puerum usque ad jentaculum dumtaxat. — Depositus et hic conclamatus locus. Scriptus alter, « usque adectaculum »; alter, « usque ad jectaculum ». Quid si hoc sub monstro vocabuli lateat nomen loci, unde absens miles jusserat, quod natum esset tolli. Act. II, sc. 4: « Nam huc remisit nuper ad me epistolam, etc. » Proximum scripturæ antiquæ foret: « usque a Pentapoli jussit ali ». Convenientem sensum patiuntur sequentia: « mansi et exspectavi » hominem, auscultavi et audiens ei dicto fui, observavi quod in literis mandatum erat. In verbis Getæ nihil muto, sed prorsus assentior Taubmanno tmesin duplicem esse: « quem pernam gnovi hominem nihili? » id est, quemnam pernovi. Τὸ *nam* quidem sæpissime Plautus sic separat ab eo cui cohæret. Et solent idem facere τῷ *per* in aliis. Sic *per mihi gratum*. GRON. — Nos *abjectaculum* e MSS deformatam a Bothio lect. accepimus. — *Illeic.* Ut *heic* valet nunc, *illeic* erit olim.

39. *Pernimis.* Vulgata *pernam* sensu caret, neque dupliei quam vult Taubmannus expeditur quasi ait « quemnam pergnovi ». In desperato loco placuit Lambini divinatio. N.

Traxit ex intimo ventre subspirium : hoc vide, dentibus
Frendit; icit femur : num obsecro nam hariolus, qui ipsus se verberat?
STR. Nunc ego meos animos violentos, meamque iram ex pectore
Jam promam. Loquere; unde es? quojus es? cur ausus inclementer
Mihi dicere? GET. Lubido'st. STR. Istuccine mihi respondes?
GET. Hoc : non ego te floccifacio. STR. Quid tu? cur ausa es alium te
Dicere amare hominem? PHR. Lubitum'st. STR. Ain' tandem? istuc primum experiar.
Tun' tantilli doni causa, olerum, atque escarum, et poscarum,
Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam
Amas, hominem non nauci? GET. Quæ hæc res? meone hero tu, inprobe,

41. *Ex intimo ventre.* Scurrilitas pro *pectore.*

42. *Hariolus.* Turn. *hariolum* hic absolute pro furioso accipit, quod ii soleant se interdum male mulcare. Gruterus, pro divinante; talis enim, inquit, eorum habitus; ut patet ex iis, quæ de ministris matris deum, an Isidis, narrat Apul. Met. VIII : et vero etiam de bellonariis et fanaticis accipit Passerat.

48. *Poscarum.* Mil. III, 2, 23.

49. *Malacum.* Bacchid. I, 1, 38. — *Umbraticolam.* Umbraticula hic dicitur mollis, qui in umbrosis locis degat, nec solem pulveremque, ut homines militares, ferre soleat. TURN. — Curcul. IV, 3 : « Si hic me hodie umbraticus deriserit ». Juvenal. Sat. « Sed genus ignavum, quod tecto gaudet et umbra ». Ita *umbraticus doctor* apud Petronium est scholasticus. Tacitus Annal. XIV, « studia in umbra educata », id est, in schola declamatoria, ut Pichena explicat. Ita *umbratilis miles*, Ammiano, XVIII. *Umbraticum negotium*, Gell. III, 1. TAUBM. — *Tympanotribam.* Tympanotriba hic enervatus et effeminatus est, quales erant Cybelæ sacerdotes, et exsecti matris deum, manibus tympana pulsantes. Etiam apud Græcos in tympano homines torquebantur : hinc ille, qui sæpe in eo per tormenta cruciatus sit, vocatur *tympanotriba.* TURN. — Sed hoc locum hic non habet, ubi malacus aliquis describitur, cui tympanum convenit. GRUT.

50. *Quæ hæc res?* Cf. Pers. III, 1, 32.

Maledicere audes, fons viti et perjuri? STR. Verbum unum
Adde istoc; jam, hercle, ego te heic hac offatim conficiam. GET. Tange
Modo, jam ego te hic agnum faciam, et medium distruncabo: si tu
Ad legionem bellator clues, at egò in culina Ares.
PHR. Si æquom facias, adventores meos non incuses; quorum mihi
Dona adcepta et grata habeo; tuaque ingrata, quæ abs te adcepi.
STR. Tunc, pol, ego et donis privatus sum, et perii! GET. Plane istuc est.
Quid nunc ergo heic odiose es, confessus omnibus reus?
STR. Perii, hercle, hodie, nisi hunc a te abigo! GET. Adcede huc modo,
Adi huc modo. STR. Etiam, scelus viri, minitare? quem ego
Offatim jam, jam, jam concipilabo: quid tibi huc ventio'st?
Quid tibi hanc aditio'st? quid tibi hanc gnotio'st, inquam,
Amicam meam? emoriere ocius, si manu niceris.

51. *Perjuri.* Mil. I, 1, 21.

52. *Istoc*, i. q. istuc, pro « ad ista ». N.

54. *In culina Ares.* Gela e culina veru allaturum minatur. Varro: « Si non plus testiculorum offenderis quam in castralo pecore in Apulia, vincor non esse masculum Arem ». Probaveris ipsum Martem non esse masculum, proverbialiter dixit. Quid enim magis masculum, quam deus belli præses, et idem Veneris maritus? PALMER.

55. *Adventores.* Cf. I, 2, 2.

59. *Perii*, i. e. perierim potius quam non abegerim hunc a te, Phronesium. N.

61. *Concipilabo.* Festus: « Concipilasti, dictum a Nævio, pro, corripuisti et involasti ». Ad quod Scalig. *Concipilasti*, idem ac compilasti: ut *reciprocus*, *reprocus*: *reciperare*, *reparare*, *incitegere*, *integere*. GRON.

62. *Hanc aditio.* Amph. I, 3, 21.

63. *Manu niceris.* *Nicere*, a quo deductum est *nictare*, quod nusquam alibi, quod sciam, reperitur, significat signum facere: ut manum movere, aut ea minari. TURN. — Quum alibi τὸ *nicere* non sit invenire, putabam legendum *manu iceris*, id est, si manu tetigeris. *Icere*, percutere, inquit Festus. BOXH.

GET. Quid, manu nicerim? STR. Fac quod jussi : mane; jam ego te heic
Offatim conficiam. GET. Obcidi! optumum'st... captio'st: istam
Machæram longiorem habes, quam hæc est : sed verum
Sine dum petere, siquidem belligerandum'st tecum.
Ibo domum ego tecum, bellator, arbitrum æquom ceperim.
Sed ego cesso me hinc amoliri, ventre dum salvo licet?

SCENA OCTAVA.

PHRONESIUM, STRATOPHANES.

PHR. Datin' soleas? atque me intro actutum ducite;
Nam mihi de vento miseræ condoluit caput.
STR. Quid mihi futurum'st, quoi duæ ancillæ dolent,
Quibus te donavi? jamne abiisti? PHR. Hem, sic datur! (abit.)
STR. Quo pacto excludis? quæso potin' planius,
Quam exclusus nunc sum? polchre ludificor: sine.
Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest,
Ut ego subfringam hisce talos totis ædibus.
Num quidpiam avarum est ad mores mulierum?
Postquam filiolum peperit, animos sustulit;
Nunc, quasi mihi dicat, nec te jubeo, nec veto
Introire in ædis : at ego nolo, non eo.
Ego faxo dicat me, in diebus pauculis,
Crudum virum esse : sequere me hac : verbum sat est.

64. *Mane*. Provocantis est.

65. *Optumum 'st*. Oratio complementum requirit *fugere*, vel quid simile. Hæc dicit secum. — *Captio 'st*. Insidiæ sunt, fraus est.

66. *Quam hæc est*. Forsan gerebat cultellum culinarium. — *Verum*. Bacch. IV, 8, 46.

4. *Hem, sic datur!* Vid. Menæch. IV, 2, 40.

5. *Potin'*. Potestne fieri ut aliquis sit magis quam ego exclusus? Cf. Menæchm. IV, 3, 24. N.

8. *Subfringam hisce*. Jactantia militari suffringat talos ædibus, quasi supplicium sumat. N.

9. *Est ad mores*. Quid comparari potest avaritiæ mulierum?

14. *Crudum*, impotentem, iracundum et inhumanum significat. Glossographi explicant ὠμόν· et sic Latini interdum *crudum* accipiunt pro duro et inexorabili, ut hoc loco. J. Gul.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

STRABAX, ASTAPHIUM.

STR. Rus mane dudum hinc ire me jussit pater,
Ut bubus glandem prandio depromerem.
Post illoc veni quam, advenit (si dis placet)
Ad villam argentum meo qui debebat patri,
Qui oveis Tarentinas erat mercatus de patre.
Quærit patrem; dico esse in urbe : interrogo,
Quid cum velit; homo cruminam sibi de collo detrahit;
Minas viginti mihi dat : adcipio lubens;
Condo in cruminam : ille abiit; ego propere minas

2. *Bubus.* Bubus glandem in pabulum dederunt veteres, ut docent Cato cap. 54 et 60 : « Bubus cibaria annua in juga singula lupini modios CXX, aut glandis modios CCLX »; et Columella lib. VI, c. 3, et lib. XI, cap. 2.

3. *Illoc*, illuc.—*Si dis placet.* Locutio qua magnam admirationem testeris. N.

7. *Cruminam sibi de collo detrahit.* Crumenam enim a collo pendentem gerebant. Inde est *decollare*; quod proprie de marsupio dicitur, quod collo abest et perit. Inde sumitur pro ἀλγεῖσθαι· ut quum, *spem decollare*, ait Varro. CASAUB. — Sed vide Capt. III, 1, 37. — *Cruminam sibi de collo.* Forte, *ibi.* SCRIVER.

9. *Propere.* Vulgo, *perperas.* Scaliger in Conj. ad illud Varronis de Re Rust. lib. II : « ovem minam, id est, ventre glabro ». Ergo *mina ovis* eadem quæ *apica. Apica* græcum est ἄπειχος, hoc est, glabra : nam πεῖχος et πέκος in neutro idem quod πόκος masculino. *Perperæ* sunt ἄχρηστοι. SCAL.—Legendum : « ego propere minas Oveis in crumenam hac in urbem detuli ». De pecunia enim, id est, de illis viginti minis, quas pro ovibus acceperat, ita ut de ovibus loquitur : eadem urbanitate, qua viginti item minas pro asinis acceptas vocat *asinos*, Asin. III, 2. Simul autem eo alludit, quod oves, quæ ventrem pilosum non habent, vocabant *oves minas*, aut *apicas*. Erant illæ

Oveis in crumina hac in urbem detuli.
Fuit, edepol, Mars meo periratus patri;
Nam oveis illius haud longe absunt a lupis.
Nunc ego istos mundulos urbanos amasios
Hoc ictu exponam, atque omneis ejiciam foras.
Eradicare'st certum cumprimis patrem,
Post id locorum matrem : nunc hodie ecferam
Ad hanc argentum, quam mage amo quam matrem meam.
Tat! ecquis est? nulla est? ecquis aperit hoc ostium?
AST. Quid istuc alienum'st, amabo, mi Strabax:
Quî non extemplo intres? anne oportuit
Ita te quidem, qui es familiaris? STR. Ibitur.
Ne me morari censeas. AST. Lepide facis.

SCENA SECUNDA.

STRATILAX, ASTAPHIUM.

STR. Mirum videtur, ruri herilem filium
Strabacem non rediisse, nisi si clanculum
Conlabsus est heic conruptelam suam.

igitur plane *oves minæ:* neque enim pilosi sunt nummi. Quod autem sequitur : « Fuit, edepol, Mars meo, etc. » inde dictum est, quod lupas Marti sacras putabant. Unde et hujus urbis (Romæ) conditores, quod a Marte geniti essent, aluisse dicitur lupa. *Lupas* etiam vocabant meretrices, a quibus non longe abesse dicit eas oves, quas ipse tunc in crumena ferebat. MUERT.

13. *Amasios.* Hic versus Diomedi in mentem fuit, quum scripsit: « Item ab *amo* veteres inchoativo modo dixerunt *amasco*, unde et *amasios* amatores dicebant : ut Plaut. Trucul. jucundulos amasios » : ubi *mundulos* hinc emendandum. DOUZA.

14. *Hoc ictu exponam.* Hac pecunia exturbabo rivales meos. Nota, *Exponere ictu*, pro, loco movere, de gradu dejicere. Casin. IV, 4 : « Pæne exposivit cubito » : forsan a luctatoribus translatum. ACID.

19. *Istuc alienum.* Quid ita exspectas, donec tibi venia introeundi detur, quasi sis alienus.

22. *Ne me morari.* Vide Mil. IV, 7, 10.

1. *Ruri*, i. q. rure. — *Herilem filium.* Cist. IV, 2, 83.

AST. Jam pol, illic, me inclamabit, si adspexerit.
STR. Nimio minus sævos jam sum, Astaphium, quam fui:
Jam non sum Truculentus, noli metuere.
Quid vis? AST. Quid? tuam exspecto Truculentiam.
STR. Dic; inpera mihi, quid vis, et quo vis modo.
Novos omneis mores habeo, veteres perdidi.
Vel amare possum, vel jam scortum ducere.
AST. Lepide, mecastor, nuntias: sed dic mihi,
Haben'...? STR. Parasitum te fortasse dicere.
AST. Intellexisti lepide quid ego dicerem.
STR. Heus tu, jam, postquam in urbem crebro commoveo,
Dicax sum factus, jam sum villator probus.
AST. Quid id est, amabo? istæcce ridicularia

12. *Haben'?* Vulgata « habent? » Omnino legendum: « AST. Lepide mecastur, sed dic mihi, Habeu'? STR. Parasitum te fortasse dicere ». Ita, inquam, scribi debet pro *habent*. Dixerat Stratilax, « uovus omnes mures habeo, veteres perdidi ». Vix credula Astaphium rem ita se habere ut memurabat, iuterrugat an vere haberet nuvus mures. « Sed dic mihi, haben'? » Verumne est quud dicis, habesne veteres mures? Stolide argutus rusticus Strabax, quasi videretur intelligere quid illa vellet, respundet: « Parasitum te fortasse dicere ». Fortasse, inquit, petis an parasitum habeam. Profusi enim et dissoluti adolesceutes, parasitos babebaut. SALM.

15. *Villator.* Si retineas vulgatam *cavillator*, hos versus in vitiu esse, mauifesta res est ex sequentibus. Rusticum enim illum verbum aliquod absurde et imperite prouuntiasse, patet ex eo, quod urbana aucilla quasi divinandu meutem ejus persequitur. Adde, quod secundus versus in legem iambici trimetri committit syllaba abundanti. Muretus legeudum ceusebat (ita euim sermoue ab ipso accepi), « Dicax sum factus, jam sum villatur probus ». Rusticum enim illum truncasse capita dictiuuum patet. Prubo εὐστοχίαν. Putarim tamen leg. « jam sum cauliator probus ». Nam hominem a villa et rure sumsisse quiddam de copia domestica, et ad caulas uvium suarum alludentem, *cauliatorem*, pro *cavillatorem* dixisse, quidni probabile fit? Et ad hue exemplum versnm illum e sequentibus emendarim: qui cæteroqui mire friget: « Ita ut pauxillum differat a caululis »: quo rusticus quasi ἐτυμολογεῖ suum illud, *cauliator*. LIPS.

16. *Istæcce ridicularia.* Hæc Stratilaci tribuenda: ut explicet, et quidem cuncise et satis rustice, quid velit: nempe istæc ridicularia unde mentem ipsius demum percipiens ancilla, subjicit: « Cavillationes fortasse dicit ». PISTOR.

Cavillationes vis fortasse dicere?
STR. Ita, ut pauxillum differat a cavillulis.
AST. Sequere intro me, amabo, mea voluptas. STR. Tene hoc tibi:
Rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies.
AST. Perii! rabonem? quam esse dicam hanc beluam?
Quin tu arrabonem dicis? STR. Ar facio lucri:
Ut Prænestinis conia est ciconia.
AST. Sequere, obsecro. STR. Strabacem heic obperiar modo,
Si ruri veniat. AST. Is quidem apud nos est heic Strabax:
Modo rure venit. STR. Priusne, quam ad matrem suam?
Heu, edepol, hominem nihili! AST. Anne autem, ut soles?
STR. Imo nihil dico. AST. I intro, amabo, cedo manum.
STR. Tene: in tabernam ducor devorsoriam,
Ubi male adcipiar mea mihi pecunia.

23. *Conia.* Taxat Prænestinos, ut male Latinos. Talia sunt *Syria* pro *Assyria*, *Spania* pro *Hispania*, ut discimus ex Capella et Glossario. *Striculus* Arnobio, *Histriculus* Tertulliano. Neque enim literæ solum detractæ veteribus, verum etiam syllabæ integræ. MEURS.

30. *Mea mihi.* Captiv. Prol. 5. Ubi male me habebunt, facient ut peream, et dabo pecuniam, mihi malum dent.



ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DINARCHUS.

NEQUE gnatu'st, neque progignetur, neque potest reperirier,
Quoi ego nunc dictum aut factum melius quam Veneri velim.
Dii magni! ut ego lætus sum, et lætitia disferor! ita
Ad me magna nuntiavit Cyamus hodie gaudia;
Mea dona deamata adceptaque habita esse apud Phronesium!
Quom hoc jam volupe 'st, tum hoc nimio magnæ melliniæ mihi,
Militis odiosa ingrataque habita; totus gaudeo.
Mea pila est; si repudiatur miles, mulier mecum erit.
Salvos sum, quia pereo; si non peream, plane intereain.
Nunc speculabor quid ibi agatur; quis eat intro, qui foras
Veniat; procul hinc observabo, meis quid fortunis fuat;
Quia nihil habeo, unum animus monuit me, omnia agam precario.

6. *Quom hoc*, mea dona grata fuisse. — *Tum hoc*, militis ingrata. — *Melliniæ*, dulcedini seu voluptati. LAMB.

8. *Mea pila est.* Illud, *mea pila est*, proverbialiter dictum et venuste, locutione a lusoribus mutuata, qui quum pila commode illis obveniret, dicebant *mea pila est.* — *Erit.* Vulgata *perit*, contra rem et morem.

9. *Salvos sum, quia*, etc. Sup. I, 1, 27-29. Asin. I, 3, 80, 90.

11. *Veniat* p. exeat. Asin. II, 3, 15. — *Quid fortunis fuat.* Cf. Trin. IV, 1, 3.

SCENA SECUNDA.

ASTAPHIUM, DINARCHUS.

AST. Lepide eficiam meum, hera, opficium; vide intus modo ut tu tuum
Item eficias: ama, id quod decet rem tuam; istum exinani.
Nunc dum isti lubet, dum habet, tempus ei rei secundes:
Prome venustatem amanti tuam, ut gaudia conpares.
Ego interim heic restitrix his præsidebo; iste dum sic faciat
Domum ad te exagogam; nec quemquam interim istoc ad vos,
Qui sit odio, intromittam: tu perge, ut lubet, ludere istos.
DIN. Qui est iste? eia, Astaphium, indica: qui perit? AST. Amabo, heiccine tu
Eras? DIN. Molestusne sum? AST. Nunc magis quam fuisti: nam nisi qui
Nobis usu est, nobis molestus: sed, obsecro, da mi operam, ut

2. *Ama*, etc. Vulgo aliter dispungunt mutata sententia: « ama, id quod decet, rem tuam », i. e. ama cura rem tuam; hoc te decet. Magis sermoni meretricio nostra convenit. Amori vaces; hoc vult res tua familiaris. De verbo *amare* vide Argum. acrost. Asin. 1. N.

3. *Dum habet* pecuniam. — *Ei rei secundes*, id est, tempus ei rei accommodes.

4. *Gaudia conpares*. Hunc versum multis modis sollicitarunt, ut perverterent viri docti, qui vim vocis illius *conpares* parum attendebant: nam rectum est, *amanti gaudia comparare*, ut malum et dolorem inimico comparare, ita et *comparare* hoc loco ut παρασκευάζειν. Glossæ: *comparat*, κατασκευάζει. SALM.

5. *Restitrix*, non de statione decedens. — *His*, foribus.

6. *Domum exagogam*, id est, dum rem paternam domo ad te exportet. LAMB. — *Istoc*, istuc.

7. *Ludere istos*, alios amatores. Vulgata, « tu perege, ut lubet. Ludin' istos? »

8. *Qui perit*. Dic mihi quis ille est, quem apud Phronesium esse dicis? Quis est, qui perit? nam, ut tu quidem nunc verba facis, perditus est. PISTOR.

10. *Da mihi operam*. Cf. Curcul. II, 3, 9.

Narrem quæ volo. DIN. Nam quid est? num mea refert? AST. Non mu: sed
Intus, bolos quos dat! DIN. Quid? amator novos quispiam?
AST. Integrum et plenum adorta'st thesaurum. DIN. Quis est? AST. Eloquar;
Sed tu taceto. Gnovisti tun' hunc Strabacem? DIN. Quid ni?
AST. Solus summam habet hic apud nos: nunc is est fundus nobis.
Animo bono male rem gerit. DIN. Perii, hercle, ego item.
AST. Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules.
Thetis quoque etiam in lamentando lessum fecit filio.
DIN. Non ego nunc intro ad vos mittar? AST. Quîdum quam miles magis?
DIN. Quia enim plus dedi. AST. Plus enim es intromissus, quom dabas.
Sine vicissim, qui dant operam, ob id, quod dant, operis utier.
Literas didicisti; quando scis, sine alios discere.

11. *Nam quid est?* AST. *Non mu: sed*, etc. Sensum non inelegantem elicio mutatione non magna: « DIN. Nam quid est? num mea refert? AST. Non mu: sed Intus bolos ». Quum ancilla operam Dinarchi posceret ad audiendum, ille sperans de se illi aliquid mandatum, et forte ab amica exspectari adventum suum: Quid, inquit, rei est? aut aliquid ad me pertinet? Rejiciens tam stultam urbanitatem puella: Nihil ad te ait: sed hera mea quos lucri bolos nacta est! *Non mu*, nihilum. Lucilius lib. II Satirar. « Non laudare hominem quemquam: neque mu facere umquam ». GUL.

14. *Hunc*. Cistell. I, 2, 14.

15. *Solus*. Menæchm. II, 3, 21. — *Summam habet*, principatum obtinet. N. — *Fundus* hic pro fructuosissimis prædiis capitur. Et optime convenit cum Varronis interpretatione, qui *fundum* inde dictum asserit, quod fundat quotannis plurima. NANNIUS. — Fundus hic pro sententia jurisconsultorum est quo auctore res transacta quævis rata fit, quo sine, irrita. N.

17. *Stultus es*, etc. Insanis, si verbis facere coneris, ut id, quod est, non sit, nempe, ut Strabax præcellens donis amando non præoptetur. Etiam Thetis mortem filii deflevit, neque prohibere voluit, quam tantopere abominabatur. N.

18. *Lessum fecit filio*, id est, funebri ejulatione prosequuta est. Tertull. de Anima hoc sic effert: « Sed et Thetis filium planxit ». GRON.*

DIN. Discant, dum mihi argumentari liceat, ni oblitus siem,
Quod didici. AST. Interea magister dum tu commentabere,
Volt interim illa itidem commentari. DIN. Quid? AST. Rem adcipere identidem.
DIN. Dedi equidem hodie ei quinque argenti deferri minas,
Præterea unam in opsonatum. AST. Idem istoc delatum scio.
De eo nunc bene sumus tua virtute. DIN. Illine ut inimici mei
Bona istcic edant? mortuum, hercle, me, quam ut id patiar, mavelim.
AST. Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis.
Nam invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria'st.
Qui invident, egent; illi, quibus invidetur, rem habent.
Stultus es. DIN. Quid est? AST. Opperire. DIN. Quid jam? AST. Quia, pol, mavelim.
DIN. Non licet de obsoni mna me participem fieri?
AST. Si volebas participari, auferres dimidium domum.
Nam itidem heic ut Acherunti ratio adcepti scribitur;
Intro adcipimus; quando adceptum'st, non potest ferri foras.
Bene vale. DIN. Resiste. AST. Amitte, sine. DIN. Mitte intro. AST. Ad te quidem.
DIN. Imo istoc ad vos. AST. Iri non potest. DIN. Nimium potest.

23. *Argumentari... ni.* Liceat argumentis experiri, an non oblitus sim.

28. *Bene sumus.* Cf. Menæchm. III, 2, 20.—*Virtute.* Aul. II, 1, 44.

31. *Invidere*, etc. Miserum est invidere quod alii bene, tibi male sit. N.

35. *Auferres*, optativum. Oportuit auferres.

36. *Ut Acherunti.* Ut Orcus nunquam quidquam reddit; sic neque meretrix. LAMB.

38. *Resiste*, ne abi.—*Amitte* me, dimitte.—*Ad te*, in domum tuam.

39. *Iri non potest.* Scita et versuta Astaphium negat introire ad heram suam posse Dinarchum. At ego experiar potius, ait, et posse me arbitror: imo tu opperire potius, respondet illa: nam si expe-

Experiri sine. AST. Imo obperire : vis est experirier.
Dicam adesse, ni obcupata'st. DIN. Resiste, hem! AST. Frustra es. DIN. Rediu',
An non? AST. Redeam : sed vocat me, quæ in me plus potest, quam potes.
DIN. Uno verbo eloquar : Mittin' me intro? AST. Mendax es, abi.
Unum aibas, sed tria dixti verba, atque mendacia.
DIN. Abiit, intro hinc ivit : ego ut hæc mihi patiar fieri?
Jam, hercle, ego tibi, inlecebra, ludos faciam clamore in via :
Quæ advorsum legem adcepisti a plurimis pecuniam.
Jam, hercle, apud omneis magistratus faxo erit nomen tuum;
Post id ego te manum injiciam quadrupli, venefica,
Subpostrix puerum : ego, edepol, jam tua probra aperibo omnia.
Nihili me! perdidi omne quod fuit : fio inpudens,
Nec mihi adest tantillum pensi jam, quos capiam calceos.

riare, vim facies : ego potius intus visam, et si illi otium est, ad te renuntiabo. Eum tem resistere adolescens jubet, illa frustra eum esse, ait, et simul, ne inhumanior videatur, herili imperio se vocari domum ait.

41. *Dicam adesse*, te adesse illi dicam. — *Obcupata 'st.* Conf. Asin. IV, 1, 15.

45. *Ego ut hæc*, etc. Curcul. V, 2, 18.

46. *Jam, hercle, ego*, etc. Asin. I, 2, 5 seqq. — *Ludos fac. clamore.* Id est, pipulo te differam ante ædes. Cf. Aulul. III, 2, 32; Pers. IV, 4.

47. *Quæ advorsum legem.* Conf. Asin. IV, 1, 1.

49. *Te manum injic. quadrupli.* Pers. I, 2, 18.

50. *Puerum.* Syncope *puerorum.*

51. *Nihili me!* O me nihil hominem! LAMB. — *Fio inpudens.* Qui reposcam quod dedi.

52. *Quos capiam*, etc. Non rusticitatis tantum, sed etiam inpudentiæ nota erat, calceis inconcinnius uti. Vide Gell. XIII, 20. Jam, quibus male laxus calceus hærebat in pede, dici soliti sunt νεῖν ἐν ταῖς ἐμβάσι, id est, *natare in soccis.* Ovid. Amoribus : « Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet ». Sidonius : « Laxo pes natet altus in cothurno ». CASAUB. — Olet proverbium, significans aliquem jam non vereri quid quoque modo agat.

Sed quid ego heic clamo? quid si me jubeat intromittier?
Conceptis, me non facturum, verbis jurem, si velit.
Nugæ sunt: si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.
De nihilo illi est irasci, quæ te non flocci facit.
Sed quid hoc est? pro di inmortaleis! Calliclem video
senem,
Meus qui adfinis fuit, ancillas duas constrictas ducere,
Alteram toustricem hujus, alteram ancillam suam:
Pertimui, postquam una cura cor meum movit modo.
Timeo, ne malefacta antiqua mea sint inventa omnia.

SCENA TERTIA.

CALLICLES, ANCILLA, TONSTRIX, DINARCHUS.

CALL. Egone tibi male dicam, aut tibi adeo male velim? ut animus meu'st,
Propemodum expertæ estis, quam ego sim mitis tranquillusque homo.
Rogitavi ego vos verberans ambas pendenteis simul;
Conmemini, quo quidque pacto sitis confessæ; scio.
Heic nunc volo scire eodem pacto, sine malo fateamini.
Quamquam vos colubrino ingenio ambæ estis; edico prius,
Ne dupliceis habeatis linguas; ne ego bilingueis vos necem:
Nisi si ad tintinnaculos vos voltis educi viros.

55. *Si stimulos*, etc. Proverbialiter dictum. Si manu ferias stimuli acumen, te læseris. Ter. Phorm. I, 2, 28: « nam quæ inscitia 'st, Advorsum stimulum calces? » N.

59. *Hujus*, Phronesii.

1. *Egone*, etc. Videtur uni ancillarum minas et tormenta deprecanti ironice respondere. N.

3. *Pendenteis*. Trin. II, 1, 19.

5. *Sine malo*. *Malum* in Plauto Cic. frequenter plagas et dolorem significat. LANGL.

6. *Colubrino*. Serpentino, astuto et vafro. ERN.

8. *Tintinnaculos*. Tintinnaculi viri sunt qui ferreas compedes indebant vinciendis, quia tintinnum edebant, dum eas accuderent pedibus. Sine fabro ut accommodari non poterant compeditorum pedibus, ita nec resolvi sine fabri fer-

ANC. Vis subegit verum fateri, ita lora lædunt brachia.
CALL. At, si verum mihi eritis fassæ, vinclis exsolvemini.
DIN. Etiam nunc, quid sit negoti, falsus incertusque sum;
Nisi quia timeo tamen. TONST. Ego nec quid peccavi scio.
CALL. Omnium primum diversæ state; hem sic: istuc volo.
Neve inter vos significetis, ego ero paries: loquere tu.
ANC. Quid loquar? CALL. Quid puero factum'st, mea quem peperit filia,
Meo nepoti? capita rerum mihi expedite. ANC. Istæ dedi.
CALL. Jam tace. Adcepistin' puerum tu ab hac. TONST. Adcepi. CALL. Tace;
Nihil moror præterea: satis es fassa. ANC. Infitias non eo.
CALL. Jam livorem tute scapulis istoc concinnas tuis.
Conveniunt adhuc utriusque verba. DIN. Væ misero mihi!
Mea nunc facinora aperiuntur, clam quæ speravi fore.
CALL. Loquere tu: qui dare te huic puerum jussit? ANC. Hera major mea.

rarii opera. A verbo *tintino*, nomen *tintinax*, qui talem sonum dedit, ut a *bibo bibax*. A tintinnax autem tintinnaculus, ut a *bibox*, bibaculus. Hinc *tintinnaculi* viri. SALM.

12. *Nisi quia*, nisi quod. At certe timeo.

13. *Istuc volo* te ire. Videlicet unam alloquitur. Bothius dedit *istac*. N.

14. *Significetis*. Nutu, aut nictu. TAUBM. — *Ero paries*. Medius inter vos stabo. LAMB.

15. *Quid puero factum*. Aulul. IV, 10, 46. Inf. vs. 25. Hæc ad ancillam suam. Vide sc. præc. vs. 59.

16. *Nepoti*. Casu auferendi pro nepote. Ut *furfuri* pro furfure. Captiv. IV, 2, 27. — *Istæ dedi*, pro *isti*, scil. tonstrici. TAUBM.

19. *Jam livorem*. Malim tamen rescribere *levorem*; qua voce utitur et Lucret. lib. IV: «...levor levore creatur». Et Plinius in charta etiam *levorem* spectari ait. Ut dicat: ingenua ista confessione efficis, ut scapulæ tuæ, quæ jam plagis asperæ, et, ut alibi legitur, *ostreatæ* sunt, leves fiant: dum scilicet plagis novis non excitantur. PIST. — *Livorem concinnas*, i. e. scapulas tibi facis liventes istoc (facto), siquidem a te dignas exigam pœnas; quod comprobat infra vs. 40. De verbo *concinnare* vide Amph. I, 3, 31; II, 2, 96.

21. *Facinora*, facta.

22. *Hera major*, mater virginis parturientis. Heri majores pater materque familias, minores erant liberi. Asin. II, 2, 63.

CALL. Quid tu? cur eum adcepisti? TONST. Hera mea rogavit me minor,
Puer ut adferretur, eaque ut celarentur omnia.
CALL. Loquere tu : quid eo fecisti puero? TONST. Ad meam heram detuli.
CALL. Quid eo puero tua hera fecit? TONST. Heræ meæ extemplo dedit.
CALL. Quoi, malum, heræ? ANC. Duæ sunt istæ. CALL. Cave tu, nisi quod te rogo, nisi
Ea quæ exquiro. TONST. Mater filiæ dono dedit, inquam.
CALL. Plus quam dudum, inquam, loquere. ANC. Plus tu rogitas. CAL. Responde ocius:
Quid illa, quoi donatus est? TONST. Subposivit. CALL. Quoi! TONST. Sibi
Pro filiolo. CALL. Pro filiolo? Di, obsecro, vostram fidem,
Ut facilius alia, quam illa unde est, puerum alienum parit?
Hæc labore alieno puerum peperit sine doloribus.
Puer quidem beatus : matres duas habet, et avias duas:
Jam metuo, patres quot fuerint : vide, sis, facinus muliebre!
ANC. Magis, pol, hæc malitia pertinet ad viros, quam ad mulieres.
Vir illam, non mulier prægnatem fecit. CALL. Et idem ego istuc scio.
Tu bona ei custos fuisti! ANC. Plus potest qui plus valet.
Vir erat, plus valebat, vicit; quod petebat, abstulit.
CALL. Et tibi quidem, hercle, idem adtulit magnum malum.

23. *Minor*, Phronesium, quia nempe mater ei adhuc erat. Vide infra 34. N.

27. *Quoi heræ?* Etenim seni hæret res; quum tonstrix respondeat: «heræ meæ extemplo dedit (hera mea)». Nodus solvitur vs. 28. — *Malum*. Amph. I, 1, 247. — *Duæ sunt istæ*. Hoc dicere occupat ancilla senia non interrogata.—*Nisi*. Intellige *solum respondeas*. N.

29. *Loquere*, loqueris.

32. *Unde est*, a qua genitus. Cf. Mostell. IV, 3, 5.

ANC. De istoc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta intellego.
CALL. Nunquam te facere hodie quivi, ut is quis esset diceres.
ANC. Tacui; at nunc non taceo, quando adest, necesse est indicem.
DIN. Lapideus sum, commovere me miser non audeo.
Res palam omnis est : meo illeic nunc fiunt capiti comitia,
Meum illuc facinus, mea stultitia'st : timeo quam mox nominer.
CALL. Loquere, filiam meam quis integram stupraverit?
ANC. Video ego te, propter mala facta qui es patronus parieti.
DIN. Neque vivos neque mortuus sum : neque quid nunc faciam, scio.
Neque ut hinc abeam, neque ut hunc adeam, scio : timore torpeo.
CALL. Dicin' an non? ANC. Dinarchus; quoi illam prius despoponderas.
CALL. Ubi is homo est, quem dicis? DIN. Adsum, Callicles : per tua obsecro
Genua, ut tu istuc insipienter factum sapienter feras,
Mihique ingnoscas, quod animi inpos vini vitio fecerim.
CALL. Non places : in mutum culpam confers, quod nequit loqui.

41. *De istoc.* Aliud senex dixit, aliud intelligit aut se intelligere simulat ancilla; ille quidem futuras, hæc persolutas jam pœnas. N.

42. *Te facere.* Hellenismus. Cf. Amph. I, 1, 242; Asin. I, 1, 13.

43. *Quando adest.* Nempe adolescentulum procul auscultantem adspexit.

44. *Non audeo. Audere* pro *velle*, item *posse*, nove dictum : nam in communi significatu capi hic non posse, argumento est illud, *Lapideus sum;* et quia Dinarchi præsentia jam est præsentia, antea non videbatur. ACID.—Menæch. I, 2.

45. *Comitia.* Vid. Pseudol. IV, 7, 131.

48. *Video ego te.* Hæc ad Dinarchum, quem nondum senex videt. — *Patronus parieti.* Adolescens parieti se applicabat, quasi latitare vellet; itaque joculatrici videtur ille parietem tueri. N.

52. *Per tua obsecro.* In genibus sedes misericordiæ est : atque ea, qui suppliciter precabantur, amplecti solebant. TURN.

Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent,
Qui quidem probi sunt : verum, qui inprobus est, sive subbibit,
Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio est inprobus.
DIN. Scio equidem; quæ nolo, multa mihi audienda obnoxia.
Ego tibi me obnoxium esse fateor, culpæ conpotem.
ANC. Callicles, vide, quæso, homini ne facias injuriam.
Reus solutus causam dicit; testeis vinctos adtines.
CALL. Solvite istas : agite, abite, tu domum, et tu autem domum :
Eloquere hæc heræ tuæ; puerum reddat, si quis eum petat.
Eamus, tu, in jus. DIN. Quid vis in jus me ire? tu es prætor mihi.
Verum te obsecro, ut tuam gnatam des mihi uxorem, Callicles.
CALL. Eumdem, pol, te judicasse quidem istam rem intellego;
Nam haud mansisti, dum ego darem illam, tute sumsisti tibi;

60. *Obnoxia.* Sic libri : docti mularunt *ob noxiam*, ingeniose quidem, sed non vere, ut opinor. Obnoxius est qui se ob delictum de jure suo dejecit et alienæ fuit obstrictum voluntati. Vid. Bacch. V, 2, 80, et Pœnul. V, 4, 18. Hoc loco *obnoxia* per hypallagen agendi vim habet, ut fieri amat apud Plautum et alios. E. g. *inmemorabilis* Cistell. II, 2, 3; *inpetrabilis* Mercat. III, 4, 20; *gratus*, qui gratiam comparat, Amph. Prol. 48. Ergo *audienda obnoxia*, i. q. audire debeo obnoxie, tanquam tibi ob delictum obnoxius. N.

61. *Culpæ conpotem*, i. e. affinem. LAMB.

62. *Homini*, non Dinarchum significat, sed profert generatim sententiam, i. e. ne cuiquam.

63. *Reus solutus causam.* Curtius lib. VI : « Vincti hominis non supervacua solum, sed etiam invisa defensio est, quæ judicem non docere videtur, sed arguere ».

64. *Abite, tu*, ancilla mea, et *tu*, tonstrix. Addit « tu... et... tu domum », non temere. Nam servi abire jubebantur, qui manumittebantur. Amph. II, 2, 227. N.

69. *Mansisti*, exspectavisti.

Nunc habeas ut nanctus, verum hoc ego te multabo bolo:
Sex talenta magna a dote demam pro ista inscitia.
DIN. Bene agis mecum. CALL. Filium istinc tuum te melius't repetere.
Cæterum, uxorem, quam primum potest, abduce ex ædibus.
Ego adeo jam illi remittam nuntium adfini meo:
Dicam ut aliam conditionem filio inveniat suo.
DIN. At ego ab hac puerum reposcam, ne mox infitias eat.
Nihil est: nam ipsa hæc ultro, ut factum'st, fecit omnem rem palam.
Sed nimium, pol, obportune ecce ab sese egreditur foras.
Næ ista stimulum longum habet, quæ usque illinc cor pungit meum!

SCENA QUARTA.

PHRONESIUM, DINARCHUS, ASTAPHIUM.

PHR. Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.
Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium.
Nam mihi dividia'st, toustricem meam sic mulcatam male;
Ea dixit, cum Dinarchi puerum inventum filium.
DIN. Ubi id audivit, quam penes est mea omnis res et liberi?
PHR. Video eccum, qui manstutorem me adoptavit bonis.

70. *Ut nanctus* es eam, ut est.

71. *Inscitia*, improbitate.

71. *Conditionem*. Aul. II, 2, 60.

1. *Blitea*. Dicebantur βλιτάδες in contemtum. Βλιτάδες, inquiunt grammatici, αἱ εὐτελεῖς γυναῖκες, id est, *nugatoriæ mulieres*, ut vocat Festus. Plinius: « Blitum iners videtur, ac sine sapore aut acrimonia ulla: unde convicium feminis apud Menandrum faciunt mariti ». SCAL.

3. *Nam*. Disjunctiva. Cistell. IV, 2, 10. — *Dividia*. Bacch. IV, 6, 1.

6. *Manstutorem me adoptavit*. Ut *manceps* est, qui manu capit; ita *manstutor* qui manu tuetur et tenet, quique possidet. TURN.

DIN. Mulier, ad te sum profectus. PHR. Quid agitur, voluptas mea?
DIN. Non voluptas: aufer nugas: nihil ego nunc de istac re ago.
PHR. Scio, mecastor, quid velis, et quid postules, et quid petas.
Me videre vis, me amare postulas: puerum petis.
DIN. Di inmortaleis, ut planiloqua'st! paucis ut rem ipsam adtigit!
PHR. Scio equidem sponsam tibi esse, et filium ex sponsa tua,
Et tibi uxorem ducendam jam esse; alibi jam animum tuum,
Ut me quasi pro derelicta sis habiturus: sed tamen
Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam.
Quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium petit.
DIN. Otium ubi erit, de istis rebus tum amplius tecum loquar.
Nunc puerum redde. PHR. Imo, amabo, ut hos dies aliquos sinas
Eum esse apud me. DIN. Minume. PHR. Jam, amabo. DIN. Quid opu'st? PH. E re mea'st.
Triduum hoc saltem, dum aliquo miles circumducitur.
In eam rem, si quid habebo, tibi quoque etiam proderit.
Si auferes puerum, a milite omnis tum mihi spes animam ecflaverit.

7. *Ad te sum profectus.* Hæc Bothiana. Vulgata, « adsum; profectu'st », quam quid velit nescio.

10. *Me amare.* Vulgo, « et me te amare », versu laborante. Ludit, opinor, verbo *amare*, quod est et *orare*. Menæchm. II, 3, 71; III, 3, 1.

15. *Mus pusillus*, etc. Lactantius lib. de Ira Dei, cap. 7: « Sunt animalia, quæ latibulis suis diversos et plures exitus pandant, ut, si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis: quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia et cogitatio ».

17. *Petit.* Vulgo *gerit.*

20. *E re*, utile, ut *ab re* noxium.

21. *Aliquo*, aliqua re. — *Circumducitur.* Bacch. II, 3, 77.

DIN. Factum cupio: nam re facere, si velim, non est locus.
Nunc puero utere, et procura; quia unde procures, habes.
PHR. Multum amabo te ob istam rem, mecastor: ubi domi metues malum,
Fugito huc ad me; saltem amicus mihi esto manubiarius.
DIN. Bene vale, Phronesium. PHR. Jam me tuum oculum non vocas?
DIN. Id quoque interim futatim nomen commemorabitur.
PHR. Numquid vis? DIN. Fac valeas: operæ ubi mihi erit, ad te venero.
PHR. Ille quidem hinc abiit, abscessit; dicere heic quid vis licet.
Verum est verbum, quod memoratur: ubi amici, ibidem opes.
Propter hunc spes etiam est hodie [tactum iri] militem;
Quem ego, ecastor, mage amo quam me, dum id, quod cupio, inde aufero.
Quæ quom multum abstulimus, haud multum adparet, quod datum est.
Ita sunt gloriæ meretricum. AST. Aha, tace! PHR. Quid est, obsecro?
AST. Adest pueri.... PHR. Sine eum ipsum adire huc; sine, si is est modo.
Sine eum ipsum adire, ut cupit, ad me hac recta: si venerit,
Næ istum, ecastor, hodie astutis confexim fallaciis.

24. *Re facere*. Volunt scriptum pro *rei*, i. e. ad rem. Malim *ne facere*, non facere quod postulas. N.

27. *Manubiarius*, quia eam, ut de milite manubias ferret, adjuverit, vel quia ipse de se huic manubias reliquerit.

28. *Tuum oculum*. Conf. Curcul. I, 3, 47.

30. *Numquid vis?* Aulul. II, 1, 53. — *Operæ ubi mihi erit*. Casin. V, 2, 5.

32. *Opes*. Vulgata, *opus*, quam interpretantur, « ubi amicum habeas, habeas laborem ». Sed alteram lectionem, quam recepimus, sequentia comprobant. N.

33. *Propter hunc*, etc. Locus fœde depravatus, quem Bothius ingeniose refinxit. Vulgo, « spes etiam se hodie * ri militem ». N.

34. *Quem ego, ecastor*. Mage amo, i. e. magis me amare simulo.

37. *Pueri*, pater qui tibi dicitur.

ACTUS QUINTUS.

STRATOPHANES, ASTAPHIUM, PHRONESIUM, STRABAX.

STRAT. Meo mihi more fero subplicium damnis ad amicam meam.
Utut illud adceptum sit, prius quod perdidi, hoc addam insuper.
Sed quid? video heram atque ancillam ante ædeis; adeunda'st hæc mihi.
Quid heic vos agitis? PHR. Ne me adpella. STRAT. Nimium sævis. PHR. Sic sine.
Potin' es ut mihi molestus ne sies? STRAT. Quid, Astaphilitium, est?
AST. Merito, ecastor, tibi subcenset. PHR. Egon'? atque isti etiam parum
Male volo. STRAT. Ego, mea voluptas, si quid peccavi prius,
Subplicium ad te hanc minam fero auri : si mihi rides, specc.
PHR. Manus vetat, priusquam penes sese habeat, quidquam credere.
Puero opu'st cibum, opus est matri autem quæ puerum lavit,

1. *Meo mihi more.* Hæc est lectio Lambiniana, ingeniosissima quidem pro vulgata, « Eo mihi amare! » insulsa. — *Subplicium.* Conf. Rud. Prol. 25.

6. *Atque isti etiam parum*, scilic. præquam quod meretur. DOUZA.

8. *Specc*, vetus, unde composita quæ apud recentiores sola mansere. Casin. III, 1, 2. N.

10. *Matri autem. Nutrix* etiam mater in Mercatore dicitur, et *obstetrix* etiam mater. SCALIG. — Legendum : « Puero opus est cibum,

Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter,
Ut dies nocteisque potet; opu'st ligno, opus est carbonibus:
Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis:
Oleum opus est, farina puero opus est, opu'st totum diem.
Nunquam hoc uno die ecficiatur opus, quin opus semper siet.
Non enim possunt militareis pueri setanio educier.
STRAT. Respice ergo, adcipe hoc, quî istuc ecficias opus. PHR. Cedo,
Quamquam parum 'st. STRAT. Addam minam adhuc isteic postea. PHR. Parum 'st.
STRAT. Tuo arbitratu, quod jubebis, id dabitur, da nunc savium.
PHR. Mitte me, inquam, odiosus. STRAT. Nihil fit; non amor : teritur dies.
Plus decem pondo amoris pauxilisper perdidi,
PHR. Adcipe hoc, atque auferto intro. STRAB. Ubi mea amica'st gentium?

opus est matri, ei item quæ puerum lavit » : quod et vidit Casaubonus. Pueros recens natos lavabant : non poterat autem mater recenti partui id præstare. De quo nemo potest dubitare. Boxh.

12. *Potet*, uti sc. lacte abundet.

13. *Fasciis... incunabulis*. Plautus hoc loco in infantili supellectile enumeranda, fascias ab incunabulis distinguit : et fortasse fasciæ sunt quibus involvebantur infantes et illigabantur; *incunabula* autem proprie lora aut vincula, quibus ad cunas ligabantur ne exciderent. Salm. — Vide Amph. V, 1, 52.

14. *Totum diem*. Aliquid opus est quaque hora diei.

16. *Setanio*. Rectum judico *setania* (vel *setanio*) *educier*. *Setanium* enim, aut *setania*, aut, ut apud Dioscoridem et Theophrastum legitur *sitanium* vel *sitania*, genus mespili est in Italia frequens; cujus multis locis et apud Plinium mentio est. Hoc igitur dicit meretrix : non posse militares pueros vilibus et parvi pretii cibis educari : cujusmodi est setania. Ac nescio quo modo durat hodieque apud Italos idem loquendi genus in sermone vulgi : ut, si multa ac magna requiri ad aliquid efficiendum significent, dicant : « Aliud requiri quam mespila ». Est et cæpæ genus setania. Muret.

17. *Cedo*, da.

22. *Adcipe*. Ad Astaphium.

Neque ruri, neque heic operis quidquam facto; conrumpor situ;
Ita miser cubando in lecto hcic exspectando obdurui.
Sed eccam video : heus, amica, quid agis? STRAT. Quis illic homo?
PHR. Quem ego, mecastor, magis amo, quam te. STRAT. Quam me? quomodo?
PHR. Hoc modo, ut molestus ne sies. STRAT. Jam abis, postquam aurum habes?
PHR. Condidi intro, quod dedisti. STR. Ades, amica, te adloquor.
PHR. At ego ad te ibam. STR. Ad me, delicia? PHR. Hercle, vero serio.
STR. Quamquam ego tibi videor stultus, gaudere aliquî me volo.
Nam quamquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliquî gaudeo.
PHR. Vin' te amplectar, et savium dem? STR. Quidvis face, gaudeam.
STRAT. Meosne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?
Mortuum, hercle, me duco satius : abstine hoc, mulier, manum :
Nisi si te mea manubia machæra et hunc vis emori.
PHR. Nihil φλυαρεῖν satius est, miles. Si te amari postulas,
Auro, haud ferro deterrere potes, ne amet, Stratophanes.
STRAT. Quî, malum, bella aut faceta es, quæ ames hominem istimodi?

23. *Facto*, a *factare*. — *Situ*, præ desidia et otio.

31. *Malo tuo es.* Lepos tuo malo tibi est, nisi voluptatem istinc ceperim. N.

35. *Mea manubia machæra et hunc vis emori. Manubia machæra* vel ex manubiis comparata, vel potius fulminatrix, a manubiis Jovis. SCALIG.

37. *Amet.* Potius *amem.*

38. *Malum.* Amph. I, 1, 247. — *Bella*, etc. Tune lepida et comis stolidum et bardum amas?

PHR. Venitne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit histrio :

«Omneis homines ad suum quæstum callent nec fastidiunt?»

STRAT. Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque squalidum?

PHR. Quamquam hic horridu'st, quamquam hic squalidu'st, scitus bellum init.

STRAT. Dedin' ego aurum? PHR. Mihi? dedisti filio cibaria.

STR. Nunc, si hanc tecum esse speras, alia opu'st auri mina.

STRAT. Malam rem his et magnam! STR. Magno opere serva tibi viaticum.

Quid ista debet? STRAT. Mihi tria. STR. Quænam? STRAT. Unguenta, noctem, savium.

Par pari respondet. PHR. Verum nunc saltem si amas, mihi

Da tu de tuis deliciis summis quid pauxillulum.

STRAT. Quid ita, amabo? quid id est quod dem? dicdum; si superet, feres.

PHR. Campas dicis : abi, abi consultatum istuc, nihili homo.

39. *In cavea*, synecdoche pro theatro. Nam e proscenio, non in cavea, histrio pronuntiabat.

41. *Omneis hom.* Forsan Plautus ipsum se laudat. Aliquid simile Asinar. I, 3, 34. — *Nec fastidiunt.* Vulgo, *et fastidiunt*, nullo sensu.

42. *Quamquam hic horridu'st.* Jocos protervior est, sed non indignus virosa meretricula, cui non elegantes soli belli videntur, sed illi cumprimis, qui in illo duello non ignavi sunt. Vide Mercat. V, sc. ult. quæ a Grutero adnotavimus. GRON.

44. *Speras*, cupis. Conf. Asinar. III, 3, 109.

45. *Viaticum*, sc. in malam rem ituro. LAMB.

46. *Quid ista*, etc. Vulgata, «Quid ista debet, nisi tria? ST. Quæ tria nam. STR. Unguenta, noctem, savium». Sed hæc cum præcedenti oratione militis, «dedin' ego aurum?» non conveniunt. Illius est debitum ultro reposcere, alterius rogare quodnam sit debitum quod reposcatur. N.

47. *Par pari respondet*, refertur, i. e. fit compensatio, pro data pecunia dantur voluptaria. — *Si amas*, si amori, voluptati vis indulgere. N.

50. *Campas dicis.* Id est, nugaris, fabularis, monstra et prodigia loqueris, quæ ut plurimum fabulosa et mendacia sunt. *Campas* veteres Latini omnia κητώδη, id est, monstra marina, grandia, cete vocabant. GRON.

STRAT. (ad Strab.) Cave faxis volnus, tibi jam quoi sunt denteis ferrei.
Vulgo ad se omneis intromittit. Abstine istac tu manum.
STR. Jam, hercle, jam magno tu vapula vir strenuus.
STRAT. Dedi ego huic aurum. STR. At ego argentum. STRAT. At ego pallam et purpuram.
STR. At ego oveis, et lanam, et alia multa, quæ poscet, dabo.
Melius te minis certare mecum quam minaciis.
PHR. Lepidus, ecastor, mortalis! Strabax mi, perge, obsecro.
(secum.) Stultus atque insanus damnis certant; nos salvæ sumus.
STRAT. Age prior, tiro, da aliquid. STR. Imo tu prior perde, et peri.
STRAT. Hem tibi talentum argenti; Philippicum 'st; tene tibi.
PHR. Tanto melior; noster esto, sed de vostro vivito.
STRAT. Ubi est, quod tu das? solve zonas. PHR. (ad Strab.) Provocatur. STRAT. Quid times?
STR. Tu peregrinus; heic habito; timeo meos: non ego ambulo.
Pecua ad hanc collo in crumina ego obligata defero.
STRAT. Quid dedit? ut distrinxi hominem! STR. Imo ego te. STRAT. Qui dedi?

51. *Denteis ferrei.* Hoc dicit vel propter dentes rustici eminulos, vel propter rastros dentatos, quos manu tractabat. P.us.

53. *Magna*, multum.

58. *Stultus atque insanus*, Strabax et miles. LAMB.

61. *Tanto melior.* Vide Rud. I, 1, 6. — *Noster esto.* Vide Mil. III, 3, et Pœn. III, 6. — *Sed de vostro vivito.* Tuis impensis te ale et cura, licet noster fueris. Jocus ab eo more deductus, ut familiares omnes a patrefamilias alerentur. N.

62. *Provocatur*; audi, fit provocatio. N.

63. *Non ego ambulo.* Quasi dicat: Non ita vagus et erro sum, ut tu es; sed stabilem certamque sedem hic habeo. LAMB.

64. *Pecua ad hanc collo.* Hunc locum torquent miris modis, qui per se facilis et expeditus est, modo memineris quæ ipse Strabax, III, 1, 7-12, edissertavit. — *Defero.* Vid. III, 1, 10. N.

65. *Ut distrinxi hominem!* I. e. rusticum deduxi ad id, ut moliri

PHR. I nunc intro, amabo, et tu ergo hac mecum. STRAT. Tu eris quidem.

STR. Quid tu, quid ais? cum hoccine? STRAT. Ego posterior dedi.

PHR. Tu de'listi, heic jam daturu'st; istuc habeo, hoc expeto. Verum utrique mos geratur amborum ex sententia.

STRAT. Fiat. (secum.) Ut rem gnatam video, hoc adcipiundum'st quod datur.

STR. Meum quidem te lectum certe obcupare non sinam.

PHR. Lepide, mecastor, aucupavi, atque ex mea sententia: Meamque ut rem bene gestam [video], vostram rursus bene geram.

Verum, amabo, si quid animatu's facere, fac jam ut sciam. Veneris causa adplaudite; ejus hæc in tutela est fabula.. Spectatores, bene valete: plaudite, atque exsurgite.

ulterius nil possit. Cui ille: Imo ego, inquit, te potius distrinxi, qui tibi expressi quod dare nolebas.—*Qui dedi?* Hæc est Bothiana emendatio. Vulg. « STR. Imo ego vero qui dedi », non cohæret cum sequentibus, vs. 67: « ST. Posterior dedi », et vs 68, « hic jam daturu'st ». I. e. mene distrinxisti, qui dedi, et in hoc certamine potior te videri debeo, cui nihil suppetit? N.

66. *I nunc intro, amabo, et tu*, etc. ambos admittit ad se.

67. *Quid tu quid ais?* Aulul. IV, 9, 7. Hæc ad Phronesium.

69. *Mos geratur.* Capt. II, 1, 4. Sæpe voluptario sensu Most. III, 1, 50. — *Ex sententia*, ut vultis.

70. *Ut rem gnatam video.* Ut video rem se habere.

72. *Aucupavi*, i. e. aucupata sum, prædata sum, Nonius hunc locum citans. Elegantem etiam paronomasiam in *occupare* et *aucupere* notat. LAMB.

M. ACCII PLAUTI

FABULARUM

FRAGMENTA

SIVE

LOCI EX AMISSIS PLAUTI COMOEDIIS MAXIMAM PARTEM A GRAMMATICIS CITATI.

Hæc fragmenta, et comici, ut sic dicam, colossi σπαράγματα, Jac. Helias, græcarum literarum doctor regius, a Georgio Fabricio Germano olim collecta, et postea, ut ait, a Petro Daniele Gallo alicubi correcta et aucta, commentariis Lambinianis, quos ille ab auctoris morte Parisiis edidit, adjecit. At enim vero, cuicuimodi ea fint, necdum satis probe aut congesta, aut digesta, aut castigata animadvertet, qui de singulis paullo accuratius cogitaverit. Minati sunt quidem viri docti, et publice etiam ab annis aliquammultis professi, omnia se exactiora daturos. Sed, ut res docuit, Lucinam clamarunt, quod ille ait, fetu nondum concepto. Eos autem dum ego exspecto, nec mihi interim aliam copiam paro, fit, ut hæc etiam editio, ab operis expedita, iterum aut sine his fragmentis, aut facie ista priore ac deformi prodiret. Quod tamen utrumque et a comico nostro et a me editore procul habendum censui. Aliis itaque cunctantibus, aut prorsus forte nolentibus, ego hanc operam sumere coactus fui : quod in priori editione a me fieri debuisse, per epistolam Scaliger expostulaverat. Quumque ad finem spectaret typographus

(nam Trinumus jam procedebat), relictis omnibus rebus, dieculas aliquot huic curæ impendi, et opera tumultuaria, quod exhibeo, concinnavi. Nec ita me amo, aut ita in his mihi placeo, ut meliora non fieri potuisse aut posse, existimem; sed majus et otium et temporis spatium requiri aio. Hoc Catone igitur, quod Augustus dicebat, pro tempore contenti simus. TAUBM.

Hæc Taubmanni, ut ait ipse, tumultuaria modo emendavimus, prout recentiores philologicæ artis cultores auxilia præbebant. N.

ACHARI * STUDIUM.

Quam ego tanta pauperavi per dolum pecunia.

* *Achari*. Vulg. *acari* nullo sensu. Achari græcum latino admixtum Plautini moris est. Hoc erit *ingratum studium* Amph. Prol. 48.

1. *Quam ego*, etc. ap. Nonium voce *pauperavi*.

AGROICUS*.

Quasi lupus ab armis valeo; cluneis infractos gero.

* *Agroicus*. Vulg. *abroicus*. Legi debet ἄγροικος; nam ἄγροικος erat inter comœdias Plauto adscriptas, sed quas ei abjudicaret Varro, ut testis Gellius, III, 3. VOSSIUS.

1. *Quasi lupus*, etc. Hunc versum citant Festus et Nonius (v. *clunes*); sed hic pro *infractos* habet *desertos* vel *defertos*, depravata lectione pro *defectos*. BOTH.—*Armis*, humeris.

ADDICTUS*.

Opus facere nimio quam dormire mavolo:
Veternum metuo.

**Addictus*. Impar resolvendo æri alieno ipse creditori a prætore addicebatur. Vid. Gell. N. A. XX, 1.

1. *Opus*, etc. Hunc vers. laudat interpres Virgil. ad Georg. I, vs. 124.

ARTAMON*.

Nunc mihi licet quidvis loqui : nemo adest superstes.
Unguentum, quod naribus mulionum nauteam fecisset.

* *Artamon*. Fallor, an virum occupatum induxit, ut ita putaret *Artemona*, quod personæ ibi nomen est? POLLET. — De nomine Artemonæ vide Asin. nomina personarum.

1. *Nunc mihi licet*, etc. ap. Festum v. *superstites testes*. — *Superstes*. Conf. Casin. IV, 4, 2, et Trin. I, 2, 19.

2. *Unguentum*, etc. ap. Festum v. *nauteam*.

ASTRABA* LATINE CLITELLARIA.

Sequere, sequere, Polybadisce : meam spem te cupio consequi.

POLYB. Sequor, hercle, quidem : nam lubenter, mea sperata, consequor.

* *Astraba* vehiculum est παρὰ τὸ μὴ στρέφεσθαι, quo titulo et Plautus fabulam inscripsit, in qua mulieres in ejusmodi vehiculis inductæ. Probus in vita Virg. Infinitis prope locis Plautum in Cistellaria citant grammatici; quum tamen, quæ ipsi adducunt testimonia, desiderentur in ea, quæ hodie exstat ejus nominis fabula. Unde quidam Clitellaria, Sisennaria, aut nescio quid nugarum, substituendum putarunt. Sed non ita faciendum erat. Parvum mendum est, quod hujus fabulæ titulum occupavit : nam Clitellaria pro Cistellaria legendum. Facilis vero fuit lapsus, ut in Cistellariam notissimam fabulam degeneraret. Est autem eadem atque ea, quam græco titulo inscripserat *Astrabam*. Ἀστράβη enim *clitella*. Sic invenies eumdem Plautum citatum in Lipargo et Parasito pigro : Terentium in Heautontimorumeno, et Seipsum excruciante, ut apud Ciceronem : Cæcilium Nauclero, vel Portitore : Obolostate, vel Fœneratore : Harpazomene, vel Rapta, Hypobolimæo, vel Subditito. Laberium Cropio, vel Sarcularia : Belonistria, vel Frugione, Scylace, vel Catularia. Pomponium Hetærisca vel Prostibulo. Varronem Κριομαχία, vel Caprino prælio. SCALIG.

1. *Sequere*, etc. Versum hunc et sequentem reperies apud Varron. L. L. V, 7. — *Polybadisce*. Nomina *adio* terminantia, ad libitum mutabantur in *adiscus*. E. gr. Cistell., Lampadio IV, 1, 6, Lampadiscus II, 3, 2. — *Meam spem*, etc. Cupio te, qui es mea spes, te mihi adesse. Amph. III, 1, 20. N.

2. *Sperata*. Amph. II, 2, 44.

Axitiosæ annonam caram e vili concinnant viris.
Quasi tolleno aut pilum græcum reciproces plana via.
Terebra tu quidem pertundis.
Dare pedibus protinam sese ab his regionibus
Terebratus multum sit, et subscudes addite.

Hæc hactenus titulo Astrabæ laudata sunt ab auctoribus, nunc deinceps quæ sequuntur, Clitellariæ nomine citantur.

Non quasi, ut hæc sunt heic limaceis lividæ,
Diobolareis, scænicolæ, miraculæ,
Cum extritis talis, cum crotilis crusculis,
Capillo scisso, atque excissatis auribus.
Quin is, si iturus? nimium is vegrandi gradu.

3. *Axitiosæ*. Apud Varr. L. L. VI, 3. Alii legunt *actiosæ* i. q. *factiosæ*. Vid. Bacchid. act. III, 6, 3. — Glossarium : Axites, ἀποτελεσματικαί. Festus : « Axitiosi, factiosi dicebantur, quum plures una quid agerent facerentque. Axit autem pro egerit : unde axites mulieres, sive dii, dicebantur una agentes ». Hoc autem convicio irati dimittebant ab se mulieres : *axitiosa es*. Scal. — *Concinnant*. Conf. Amph. I, 3, 31. N.

4. *Reciproces*. Sane *reciprocare* in hoc versu nihil aliud, quam sus deque gestum ita componere, ut tolleno aut pilum græcum videatur. Taubm.

5. *Terebra*, etc. apud Non. v. *exterebrare*. Confer Bacchid. V, 2, 82.

6. *Dare*, etc. apud Nonium v. *protinus*. Bacch. III, 1, 7.

7. *Terebratus* apud Fest. v. *subscudes*, cuneatæ tabellæ quibus aliæ inter se configuntur. Hic aliquid obscœni subest.

8. *Non quasi*, etc. apud Varron. L. L. VI, 4. Festum voc. *schœniculas*. — *Hæc* vetus pro *hæ*. — *Limaces*. Limax, cochleæ genus, quæ adhærescit herbis et eas corrodit. Cur ita meretrices appellentur haud obscurum.

9. *Diobolareis*, Pœn. I, 2, 58. *Miraculæ*, φόβητρα exprimi puto, et μόρμονας. Possent, inquit, et *miraculæ* esse a miraculis. Festus : « Miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus ponebant ». Scal. — Nescio an potest esse meraculæ a *merum*, nempe merobibæ.

10. *Cum extritis*, etc. ap. Festum vocibus *crocotilum*, *succrotila*, *todi*. Festus modo *extritis*, modo *extortis*. — *Crotilis*, admodum tenuibus. — *Crusculis*, diminutive pro cruris.

11. *Capillo*, etc. apud Nonium v. *excissatum*, id est, laniatum, vulneratum. Fortasse *excisatis* i. q. excisis.

12. *Quin is*, etc. apud Festum v. *vegrande*. Vulgo, « Quæ nisi sic biteris », nullo sensu. Festi

Pol, ad cubituram, mater, mage sum exercita,
Quam ad cursuram; sum tardiuscula.
Quid tuam amicam times, ne te manulea caiet.
Prohibet divitiis maxumis, dote altili atque opima.
Expurgabo, hercle, omnia ad raucam ravim.
Quæ quasi carnuficis angiporta purgitans.
Intro ad bonam meretricem : adstat ea in via
Sola : prostibula sane est.....
Meminere officium suum.
Potin' es tu homo facinus facere strenuum?
N. Aliorum est adfatim qui faciant : sane ego
Me volo fortem perhiberier virum.....
Tun', tune igitur, mea matercula?
Germana mea sororcula.
Si quidem inperes pro copia, pro recula.
Datores bellissumi negotioli senecis soletis esse.

edd. « Qui nisi itures ». Bothiansm dedimus. *Vegrandi*, minuto.

13. *Pol*, etc. Versum hunc et sequent. apud Nonium voce *cursus* quærito.

14. *Quam ad*, etc. Edd. Nonii dant « Quam a cursura », unde Meursius versum reficit : « A te, quam ad cursuram : eo sum tardiuscula ».

15. *Quid tuam*, etc. apud Fulgentium, de continentia Virgilii. — *Caiet*. Caiatio, puerilis dicebatur verberatio. Taubm.

16. *Prohibet*, etc. apud Nonium v. *altile*.

17. *Expurgabo*, etc. apud Non. v. *ravis*.

18. *Quæ quasi*, etc. apud Non. v. *angiportus*. Hic in neutro positum.

19. *Intro*, etc. Hunc et sequentem versum require apud Nonium v. *prostibula*. Sic dant edd. Nonii. Mercerus corrigit : « Intro ibo : nam meretricem adstare in via Solam, prostibulæ est ».

21. *Meminere*, etc. apud Non.

22. *Potin'*, etc. Hanc versuum triadem reddidit Gell. VII, 7. Bothius e tribus duos fingit, quorum prior tetram. troch. catal. clausulam habet *adfatim 'st*.

25. *Tun'*, etc. apud Priscian. lib. III, p. 611 ed. Putsch.

26. *Germana*, etc. apud Priscianum p. 612.

27. *Si quidem*, etc. apud eumdem p. 613. — *Pro capia*. Aul. III, 6, 5. — *Recula*, deminutive ut *spes*, *specula*. Casin. II, 4, 27.

28. *Datores*, etc. apud eumdem pp. 616, 724. *Datores*. *Dare* et inde *dator*, vulgo amatoria significatione usurpabant. — *Negotiali*. Hoc diminutivo anbest aliquid obscœnum. — *Senecis*, senis.

Adhinnire equolam possim ego hanc, si detur sola soli.

29. *Adhinnire*, etc. apud Priscianum, p. 617.

Apluda.
Scrantiæ, scrupedæ, strictivillæ, edentulæ.
Malum aufer; bonum mihi opus est.
Nam ita mustulentus ventus uareis obtigit.
Me respondere postulas. Injurium 'st:
Stipulari semper me ultro oportet a viris;
Eum quæstum facio. Nihili vir es.

1. *Apluda*. Nonius voc. *Apludas*. Gellius, Noct. Att. XI, 7, ait veteres rustici frumenti furfurem hoc nomine dixisse.

1. *Scrantiæ*, etc. Hunc versum laudant Varro L. L. VI, 4; Gell. Noct. Att. III, 3, ad Nervolariam refert. *Scrantiæ* vel *scratiæ*, Varro deducit a *screare*, i. e. semper screantes. Nonius et Festus legunt *scraptas* et esse mulieres nugatorias et despiciendas volunt. — *Scrupedæ*, quasi scrupos sub pedibus habeant ingredientes. — *Strictivillæ*, intelligam calvas, quasi poeta villos pro capillis ridicule dixerit, composite cum verbo *stringere*, scilicet quibus ætas destrinxerit capillos.

2. *Malum* apud Nonium v. *opus est illam rem*.

3. *Nam ita* apud Nonium vv. *mustulentus* et *ventus*.—*Mustulentus*, ut sit odor musti. *Ventus* i. q. odor.

4. *Me respondere*, etc. Hæc est trias e Prisciano, VIII, pag. 792. I. e. vis in transactione, te priorem proponere quid velis, me respondere; non jus est. Nam soleo ego prior a viris poscere.

BACCHARIA*.

Quis est mortalis tanta fortuna adfectus unquam,
Quam ego nunc sum, quojus hæc ventri portatur pompa?
Vel nunc qui mihi in mari acipenser latuit antehac,
Quojus ego latus in latebras reddam meis dentibus et manibus.

* *Baccharia*. Vide Asin. Pr. 12.

1. *Quis est*. Hunc versum cum sequentibus Macrobius suppeditat Sat. II, 12. Videlicet hæc parasitus cantat. — *Pompa*. Conf. Bacchid. I, 2, 6.

BIS CONPRESSA SEU BOEOTIA*.

Ut illum dii perdant, primus qui horas reperit,
Quique adeo primus heic statuit solarium,
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat solarium,
Multo omnium istorum optumum et verissumum,
Ubi iste monebat, esse; nisi quom nihil erat.
Nunc etiam quod est, non est, nisi soli lubet.
Itaque adeo jam obpletum 'st oppidum solariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

* *Bœotia.* Βοιωτίαν scripserat Antiphanes, quam Plautus vertit, vel quisquis auctor illius fabulæ : nam Aquilii esse quidam dicebant. Varro eam Plauto vindicavit. Verissimum ego putem Plautum ῥῆσιν hanc parasiti, contra horas et horologia qneritantis, palliatæ fabulæ adtexuisse ex temporum suorum usu, et novitio illo invento. Sane, convenit tempus. Plantus in scena floruit scripsitque initio secundi belli Punici, circiter annnm Urb. cond. 535. Primum horologium Romæ in foro positum esse consentiunt auctores anno post U. C. 499. Sed quod hoc loco ait ille parasitus, oppidum jam tum oppletum fuisse solariis, haud satis video quomodo sit accipiendnm : certe si de urbe Roma loquitur, falsnm dicit. Nam per eam ætatem unicum fuit Romæ horologium, quod ex Sicilia advectum est, cui et paruisse Romanos scribit Plinius. Sed parasiticam personam cogitanti, qui deridiculi causa omnia exaggerat, mira non videbitur hæc de pluribus horologiis conquestio, qunm nnicum tantum esset in urhe. Salm.

1. *Ut illum*, eto. Hos versus dat Gellius Noct. Att. III, 3. — *Ut*, utinam.

5. *Istorum.* Longe meliorem qnam ista, præ istis optumum.

6. *Esse*, vesci. I. e. uterus meus mihi erat solarium, quo fiebat ut cibus sumeretur, quum monebat; nisi quum cibus deerat.

7. *Nunc etiam*, etc. Nunc etiamsi habeas, quod edis, tamen non edis, nisi sol horam signaverit, atque illi libuerit, ut non esurias.

CÆCUS sive PRÆDONES.

Nihil quidquam factum nisi fabre, nec quidquam positum sine luxu,
Auro, ebore, argento, purpura, picturis, spoliis, tum statuis.
Neque eam a me invito unquam abduces.
Spectari ludos magnifice atque opulenter.
Peregre est.
Plure altero tanto, quanto ejus fundus est, velim.
Ita sunt prædones, prorsum parcunt nemini.
Velim te arbitrari factum. R. Sedulum'st : submoventur hosteis, removentur lapides.
Si non strenue fatetur, ubi sit aurum, membra ejus exsecemus serra.
Nihil feci secus quam me decet.
Quis tu es, qui ducis me? mu! perii, hercle, Afer est.

1. *Nihil*, etc. apud Charisium p. 179 ed. Putsch. — *Luxu.* Vulgo *luco.*

2. *Spoliis*, i. e. vestibus, tapetibus, nisi spolia sint a prædonibus rapta.

3. *Neque eam*, etc. apud Charisium ib. p. 182.

4. *Spectari*, etc. apud eumdem ib. p. 187.

5. *Pereg. est.* Ap. eumd. ib. 189.

6. *Plure*, etc. apud eumdem ib. —*Plure*, plus, i. e. duplicem fundi valorem velim.

7. *Ita sunt prædones*, etc. ap. eumd. ib.

8. *Velim*, etc. apud eumd. ibid. pag. 194. — *Sedulum 'st*, diligenter fit.

9. *Si non*, etc. apud eumdem ib. pag. 195. — *Strenue*, celeriter. Horat. Od. III, 28, 3.

11. *Quis tu es*, etc. apud eumd. ib. 213. — *Mu!* Videlicet qui interrogabatur, mussitabat labris subfrendens conclusis. Tum alter exclamabat : Afer ille est, qui mu tantum respondet.

CALCEOLUS.

Molluscam nucem super ejus dixit inpendere tegulas.

1. *Molluscam*, etc. apud Macrobium Sat. II, 14.—*Molluscam nucem* interpretatur *Persicum:* quod omnibus nucibus mollior sit.

CARBONARIA.

Secundum ipsam aram aurum abscondidi.
Ego pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia.
Patibulum ferar per urbem, deinde adfigar cruci.

1. *Secundum*, etc. apud Priscian. ed. Putsch. p. 890.

2. *Ego*, etc. apud Festum voc. *spectile*. — *Sueris*, antique pro genitivo *suis*. *Spectile*, umbilicum suillum. — *Callum*, *glandia*. Vid. Captiv. IV, 3.

3. *Patibulus*, etc. apud Nonium v. *patibulum*. Cap. III, 384. — *Adfigar cruci*. In servili illo supplicio transfigi manus et pedes solere, docent sacræ historiæ, et Apuleius clare lib. IV: « Paullatim Chryseros adrepit, grandique clavo manum ducis nostri, repente nixu fortissimo, ad ostii tabulam adfigit, et exitiabili nexu patibulum relinquit ». Patibulum, i. e. ita adfixum, quemadmodum in patibulo sontes solent. Quod eadem significatione Plautus hoc loco dixit. Agnoscit enim Nonius *patibulum*, hic genere masculino. Tamen in vulgatis ejus libris scribitur « patibulum ferat per urbem »: ut sentio, mendose: nisi tamen scribas, *subfigat cruci*. Ita recidet res eodem. LIPS.

COLAX*.

Batiolam auream octo pondo habebat, adcipere noluit.

* *Colax*, adulator, hic erat parasitus. Terentius Prol. Eunuch. « Colacem esse Nævi et Plauti, veterem fabulam » testatur.

1. *Batiolam*, etc. apud Nonium h. v.

CONMORIENTEIS.

Saliam in puteum præcipes.

* *Conmorienteis.* Terent. Adelph. Prol. 7 : « eam conmorienteis Plautus fecit fabulam ». Συναποθνήσκοντες, qui omnibus in vita commodis simul fruantur, mortem pariter obeant.

1. *Saliam*, etc. apud Priscianum ed. Putsch. p. 725.

CONDALIUM.

Tam crepusculo fere, ut amens, lampadas adcendit.

1. *Tam crepusculo*, etc. apud Varron. L. L. I, 6.

CORNICULARIA *.

Facite olant ædeis Arabice.
Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio
Mercede.
Polchrum et luculentum hodie evenit prælium.
Te obsecro, Lyde, pileum meum, mi sodalis, mea salubritas.
Quid cessamus ludos facere? Circus noster ecce adest. 6
Qui amant ancillam meam Hedylium oculitus.
Mihi, Laverna, in furtis celebrassis manus.

* *Cornicularia.* Corniculum, officium apparitoris apud magistratum vel in legione.

1. *Facite*, etc. apud Diomedem ed. Pustch. p. 378.

2. *Qui*, etc. ap. Varr. L. L. VI, 3. — *Latrocinatus.* Conf. Mil. gl. I, 1, 74.

4. *Polchrum*, etc. apud Nonium v. *luculentum.*

5. *Te obsecro*, etc. apud eumd. v. *pileus.* — *Pileum meum.* Imperfecta oratio verbo deficiente. — *Mea salubritas.* Asin. III, 3, 66.

6. *Quid cessamus*, etc. apud Varron. L. L. VI, 4. — *Circus noster.* Mil. IV, 2, 1.

7. *Qui amant*, etc. apud Nonium v. *oculitus.*

8. *Mihi*, etc. apud eumdem v. *Laverna.* — *Celebrassis*, frequentaveris, i. e. fac ut furta faciam crebra. Alii legunt *celerassis*, perperam.

DYSCOLUS *.

Virgo sum : nondum didici verba nubta dicere.

* *Dyscolus.* Gall. *le Grondeur.*
1. *Virgo*, etc. apud Festum v. *verba nupta*, i. e. quæ pudicas aures vulnerent.

FOENERATRIX.

Heus tu, in Barbaria quod dixisse dicitur
Liberta suæ patronæ, id ego dico tibi :
Liberta, salve : vapula Papyria.
Quæ ego populabo probe.

1. *Heus tu*, etc. apud Festum v. *vapula Papyria*. — *Barbaria*. Cf. Asin. Prol. 11, et Pœn. III, 2, 22.
3. *Liberta, salve*. Hoc emittens manu ancillam dicebat : emancipata respondebat : *Vapula Papyria*, quibus verbis se significabat servilis metus immunem.
4. *Quæ ego*, etc. apud Diomed. ed. Putsch. p. 395.

FRETUM.

Hoc illud est
Quod arietinum responsum magnis ludis dicitur :
Peribo, si non fecero : si faxo, vapulavero.

1. *Hoc illud*, etc. ap. Gellium N. A. III, 3.
2. *Arietinum*. Explicant quasi sit intortum, ut cornua. Codices alii dant *arretini*, quod erit urbis Italicæ nomen.

FRIVOLARIA.

Conmodo dictitemus.
Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera.

1. *Conmodo* apud Charisium ed. Putsch. p. 174, 177. Vide Casin. III, 4. 3.
2. *Is mihi*, etc. apud Priscian. ed. Putsch. p. 719; Festum vec. *Querquer. feb.* — *Febris querquera*, dura ac gravis : quam quidam a quercu dictam putant, quod id genus arboris quum grave sit ac durum, tum in ingentem evadat

Sequimini hac,
Soltis, legiones omneis Lavernæ.
Ubi, rorarii, estis? en sunt : ubi sunt adcensi? ecce*
Agite, subsidite omneis, quasi solent triarii.
Nave agere oportet, quod agas, non ductarie.
Superaboque omneis argutando præficas.
Tunc papillæ primitus
Fraterculabant; illud volui dicere,
Sororiabant : quod opus est verbis?
O amice, ex multis mihi une, Cephalio.
Strebula agnina tene.

amplitudinem. Aurelius Opilius *frigidam* ait dici et cum horrore trementem. Santra eam ex græco deducit : quia *tremorem* ejusmodi κάρκαρον vocant : unde dici etiam *carcerem*. Fest.

3. *Sequimini*, etc. apud Festum v. *stultis*.

4. *Legiones Lav.* Casin. III, 6, 1.

5. *Rorarii.* Festus : « Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi prælium committebant : quod ut ante imbrem fere rorare solet, sic illi ante gravem armaturam quod prodibant, rorarii dicti ». — *Adcensi.* Varro : « Adcensi dicti quod decurionibus et centurionibus adcensebantur, id est, adtribuebantur ». Alii *adscriptivos* etiam vocarunt, item *optiones*; diversaque ipsis tributa sunt munera. Taubm. — *Adcensi agite*, etc. apud Varron. L. L. VI, 16. Fest. v. *subsidium*.

6. *Subsidite omneis, quasi triarii.* Festus : « Subsidium dicebatur, quando milites subsidebant in extrema acie, labentique aciei succurrebant. Quod genus militum constabat ex iis qui emeruerant stipendia, et tamen retinebant locum in exercitu, quæ erat tertia acies, quæ dicebatur triariorum ».

7. *Nave.* Festus : « Navus, celer ac strenuus : a navium velocitate dictus ». Ergo, *Nave agi*, est quum navis remigio aut ventis agitur. *Ductarie*, quum adverso amne funibus trahitur. *Ductarie* ergo *agere*, est ῥυμουλκεῖν. Nec omittendum quod est in glossis : *Navities*, ἀρετή. Scalig. — Malim *gnave* oppositum τῷ *ductarie*, i. e. lente.

8. *Superaboque*, etc. apud Non. v. *præficæ*. — *Argutando*, voce tinniendo.

9. *Tunc papillæ*, etc. ap. Festum v. *sororiare*.

12. *O amice*, etc. ap. Priscian. ed. Putsch. p. 673.

13. *Strebula*, etc. apud Festum v. *strebula*. Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum.

GASTRION vel GASTRON.

Caro strebula, vitellina est : cœnabis.

1. *Caro strebula.* Carnis strebulæ meminit Festus : item et Arnobius lib. VII advers. Gentes : « Nonne placet carnem strebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur ? » Videtur κωλῆ dicta a Græcis : ἤγουν ἀγκύλη ὀςώδης· a qua curvatura et versura dicta *strebula* : ςρεβλὸς enim curvus et pravus : unde *striblīgo*, depravata oratio, ὁ σολοικισμός. Videtur esse et quod scribit Hesychius : Κούτταρος, inquit, τῶν ὀπισθιδίων τοῦ βοὸς ἡ σὰρξ ὑπὲρ τὰ ἄρθρα. Taubm. —*Caro*, etc. apud Varronem L. L. VI, 3. Vide Frivol. vs. 13.

HORTULUS.

Præco ibi adsit cum corona; quique liceat, veneat.

1. *Præco*, etc. apud Fest. v. *sub cor. vænire.*

KAKISTUS.

Malo hunc adligari ad oriam;
Ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxuma.

1. *Malo*, etc. apud Fulgentium v. *Oria.*

LENONES GEMINI.

Dolet hic puellus, sese venum ducier.

1. *Dolet*, etc. ap. Fest. v. *puelli.* Priscian. ed. Putsch. p. 697.

MEDICUS.

In conspicillo adservabam; pallium observabam.
Parasito cum virgis caseum radi potest.
Domi reliqui exoletam virginem.

1. *In conspicillo*, etc. apud Non. v. *conspicillum.*
2. *Parasito*, etc. apud eumdem v. *caseus.* Hic in neutro positum.
3. *Domi*, etc. apud Priscian. ed. Putsch. p. 872.

NERVOLARIA.

Scobinam ego lima actutum adrasi.
Prohibent, quom mœnia aliunde ego fungor mea.
Ocissume nos liberi possimus fieri.
Pollucte prodigum esse amatorem addecet.
Vinum sublestissumum.
Insanum valde uterque deamat.

1. Vide sup. *Apluda* vs. 1.

1. *Scobinam*, etc. apud Varron. L. L. VI, 3.

2. *Prohibent*, etc. apud Festum v. *mœnia*, i. e. munera. Bothius scribit : *quin ... fungar.*

3. *Ocissume*, etc. apud eumdem v. *ocius.*

4. *Pollucte*, etc. ap. eumdem v. *prodegeris. Pollucte*, Most. I, 1, 23.

5. *Vinum*, etc. apud eumdem v. *sublesta.* — *Sublestissumum*, quia infirmos faciat vel corpore vel animo, inquit Festus.

6. *Insanum*, etc. apud Nonium v. *insanum.* Vide Bacch. IV, 5, 1.

PARASITUS PIGER SIVE LIPARGUS.

Inde bene adpotus primulo crepusculo
Domum ire cœpi tramite dextra via.
Ambo magna laude lauti; postremo ambo sumus non nauci.
Addite lepades, echinos, ostreas.
Nihil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.

1. *Inde bene*, etc. apud Varron. L. L. VI, 3.

2. *Tramite.* Trames a transverso dictus, inquit Varro. — *Dextra.* Vulgo *recta.* Lectionem librorum reddimus.

3. *Ambo*, etc apud Festum v. *naucum.* Confer Bacchid. V, 1, 14.

4. *Addite*, etc. apud Nonium v. *lopades.*

5. *Nihil moror*, etc. ap. Priscian. ed. Putsch. p. 893. — *Mihi*, abundat ut sæpe. — *Fucum*, insectum. — *Peredit*, antique pro peredat.

PHAGON.

Honos syncerasto perit.

1. *Honos*, etc. apud Varronem L. L. VI, 3. — *Syncerasto*. Syncerastum, inquit Varro, est omne edulium.

PLOCION *.

Nam coloratam frontem habet, petilis, habris.

* *Plocion*. Hic titulus est fabulæ Cæcilii. Gell. N. A. II, 23. Vox græca πλόκιον, monile intortum.

1. *Nam colorotam*, etc. ap. Non. vv. *petilum*, *frontem*. Nonius explicat *petilus*, tenuis, *habrus*, mollis, ἁβρός. Sic oratio manca. Vulgo *labris*.—*Petilis*. Petilum nihil aliud est, quam folium detortum ex græco πέταλον : ut a τρυτάνη, trutina : βυκάνη, buccina : μηχανή, machina et talia. Quia autem folia tenuia sunt et exilia, inde translate omnia ejusmodi *petila* vocabant. Inde etiam Petilii dicti, quod corpore essent gracili : quod genus homines etiam *cingulos* nominatos, invenimus. Meuas.

SATURIO *.

Catulinam carnem esitare
Retrahi nequitur, quoquo progressa est semel.
Male tibi evenisse video : qui glaber erat tanquam rien.
Subcenturia; centum require, qui te delectent domi.

**Saturio*. Hanc fabulam in pistrino ab auctore scriptam Gellius (N. A. III, 3) refert.

1. *Catulinam* apud Festum h. v. Hanc Saturionem fabulam respicit Plinius, cum ait lib. XXIX : « Catulinam adjicialibus quidem celebrem epulis fuisse, Plauti fabulæ sunt indicio ». Dac. ad Fest. De adjicialibus vide Plin. XXIX, 14.

2. *Retrahi*, etc. apud eumdem v. *nequitur*.

3. *Male tibi*, etc. apud eumdem v. *rienas*. — *Glaber*. Aul. II, 8, 6.

4. *Subcenturia*, etc. apud eumdem v. *subcenturiare*.

SCYTHA LITURGUS *.

Mulier es, uxorcula: vir ego gnovi, scio: actiosa es.
Sic ea mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brocchum filium.

* *Scytha liturgus*. Hæc fabula translata est ex Antiphane, quem citat Athenæus ἐν Σκύθῃ· λειτουργοὶ vero καὶ δημόσιοι ὑπηρέται vocabantur Scythæ. Et apparet apud Græcos Scythas eumdem ordinem tenuisse, quem apud nos Germani in stipandis regum et principum corporibus: λειτουργὸς quoque Σκύθης introducitur ab Aristophane ἐν Ἐκκλησιαζούσαις. Sane *Scythæ liturgi* nihil aliud erant quam stipatores, et qui vocabantur olim latrones. Scalio. — Vel erat apparitor magistratuum: nam Scytharum fuisse Athenis præsidium mercede conductum nemo nescit.

1. *Mulier es*, etc. apud Varron. L. L. VI, 3. Vulgata, « Mulieres, uxor, quoja, vir? etc. » Sed in libro Varronis: « Mulieres exorculavit ego non actiosas ».

2. *Sic ea*, etc. apud Festum v. *valgos*.

3. *Varum*, incurva crura habentem. — *Valgum*, diversa. — *Compernem*, longis pedibus, Nonio auctore, genibus incurvis, Festo. — *Pætum*, qui est oculis leviter declinatis. — *Brocchum*. Nonius scribit *broncum*, producto ore et dentibus prominentibus.

SYRUS *.

* *Syrus* nominatur apud Festum v. *todi*.

TRIGEMINI.

Ni fugissem, medium, credo, præmorsisset.

1. *Ni fugissem*, etc. apud Gell. N. A. VII, 9.

VIDULARIA.

Ubi quamque pedem videbat, subfurabatur omneis.
Nescio qui servos e myrteta prosiluit.

1. *Ubi quamque*, etc. apud Non. v. *pedis*. I. q. pediculum. — *Quamque*. Sic Nonius. Legendum videtur vel *quemque*, vel *ubicumque*.

2. *Nescio qui*, etc. apud Prisc. ed. Putsch. p. 625.

Paupera hæc res est.
Obposita'st claxendix : at ego dicam signi quid sit.
Animum advortite ambo, soltis, vidulum heic adponite.
Ego servabo, quasi sequestro detis : neutri reddibo,
Donicum res dijudicata sit.
Haud fugio sequestrum.
Inopiam, luctum, mœrorem, paupertatem, algum, famem.
Ejusdem Bacchæ fecerunt nostram navim Pentheum.
Nunc, ut apud sequestrum, vidulum posivimus.
Nunc servos argentum a patre expalpabitur.
Imo id quod hæc nostra est patria, et quod hic meus est pater;
Illic autem Soterinis est pater.
Malim moriri meos, quam mendicarier.
Boni miserantur : illum nunc inrident mali.
Signum recte conparebat; hujus contendit anulum.
Quid multa verba? plurimum luctavimus.
Jube hunc insui culleo,
Atque in altum deportari, si vis annonam bonam.

3. *Paupera*, etc. apud Prisc. ed. Putsch. p. 647.

4. *Obposita 'st*, etc. ap. eumd. p. 655. — *Claxendix* significat concham, qua signum tegitur. Prisc.

5. *Animum*, etc. apud eumdem p. 692.

6. *Ego servabo*, etc. ap. Nonium v. *reddibo*.

7. *Donicum*, etc. apud Priscian. p. 959.

8. *Haud fugio*, etc. apud eumd. p. 692.

9. *Inopiam*, etc. apud eumdem p. 699.

10. *Ejusdem Bacchæ*, etc. apud eumdem p. 738.

11. *Nunc, ut*, etc. apud eumdem p. 898.

12. *Nunc servos*, etc. apud Non. vv. *expalpare*, *expalpabitur*.

13. *Imo id quod*, etc. apud Prisc. p. 749.

15. *Malim moriri*, etc. ap. Non. v. *mendicarier*.

16. *Miserantur*. Hæc Lipsiana emendatio. Libri *ministrantur*. Lego : « Boni m. illum, hunc i. m. »

17. *Signum*, etc. apud eumdem v. *contendere*.

18. *Quid multa*, etc. apud eumdem v. *deluctavi*.

19. *Jube hunc*, etc. ap. Fulgent. v. *culleus*.

Ibi ut piscabar, fuscina ici vidulum.
Nam audivi feminam ego leonem semel parire.
Dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem.

21. *Ibi ut*, etc. apud Nonium v. *icit*.
22. *Nam audivi*, etc. apud Philargyrum ad Virg. Ecl. II, 63.
23. *Dic mihi*, etc. ap. Priscian. p. 960.

LOCI EX AMISSIS CITATI AMISSO ETIAM COMOEDIÆ NOMINE.

Ærumnulæ.
Bellule.
Coquitare.
Apud Piscarium, ubi variæ res.....
Epeum fumificum, qui legioni nostræ habet coctum cibum.
Obgannuit odiosus omni totæ familiæ. 6
Licet vos abire curriculo.
Jam tibi tuis meritis crassus corius redditu'st.
Di bene vortant! tene cruminam: in ea erunt triginta minæ.

1. *Ærumnulæ*. Ærumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant; quarum usum quia C. Marius retulit, muli Mariani postea appellabantur. Itaque ærumnæ onerosos labores significant. Festus.

2. *Bellule* apud Plautum diminutivum adverbium est a bene, quod facit belle et bellule. Festus.

3. *Coquitare*, p. coctitare, i. e. frequenter coquere Plautus posuit. Festus.

4. *Apud Piscarium*, etc. ap. Varron. IV, 32.

5. *Epeum fumificum*. Vid. Bacch. IV, 9, 13. — *Epeum*, etc. apud Varron. VI, 3.

6. *Obgannuit*. Ganniunt canes gestientes ob herorum adventum: ut apud Lucretium: « ... gannitu vocis adulant ». Et Hom. γάνυσθαι semper est gestu quodam oris exprimere gaudium, ob amici aut alterius cari adventum. Hoc etiam voluit Pindarus in Pythiis: οὐδὲ μολόντων πὰρ ματέρος ἀμφὶ γέλως γλυκὺς ὦρσεν χάριν. Id est, οὐδέ οἱ μολόντι ἐγανύσατο μήτηρ. Scal. *Obgannuit*, etc. ap. Varron. VI, 5.

7. *Licet vos*, etc. apud Festum v. *curriculo*.

8. *Jam tibi*, etc. apud eumdem v. *corius*.

9. *Di bene*, etc. apud eumdem v. *crumena*.

Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quam famam reor.
Stultus est advorsum ætatem et capitis canitudinem.
Numnam mihi oculi cæcultant? estne hic noster Hermio?
Ejuravit militiam.
Sic me subes cotidie, quasi fiber salicem.
Herbam do.
Iniit te unquam febris?
Neque muneralem legem, neque lenoniam;
Rogata fuerit nec ne, floccid' æstumo.
Perfidiose captus, edepol, nervo cervices probat.
Muriatica autem video in vasis stagneis:

11. *Stultus est*, etc. apud Varron. v. *canitudinem*.

12. *Numnam mihi oculi*. « Cæcis proximi sunt oculorum acie obtusa ». Fest. — *Numnam*, apud Fest. v. *cæcultant*.

13. *Ejuravit militiam*. Festus: « Ejuratio significat id, quod desideretur, non posse præstari ». — *Ejuravit*, etc. apud Varronem v. *ejuratio*.

14. *Sic me subes*. Castor et fiber idem est animal, dictus quoque canis Ponticus. Dictus fiber, quasi fimber, quod in extremis fluminum oris et tamquam fimbriis degat. Veteres extremum dixerunt *fibrum*: inde fibræ in animalibus et arborum radicibus. Hinc lux huic loco Plautino. Nam qui in fimbriis fluminum degit salice delectatur. Bitterhus. — *Sic me subes*, etc. apud Varron. v. *fiber*.

15. *Herbam do*. Festus: « Herbam do, quum ait Plautus, significat, victum me fateor, quod est antiquæ et pastoralis vitæ indicium: nam qui in prato, cursu aut viribus contendebant, quum superati erant, decerptam herbam adversario tradebant ». Nam nemo poterat dici victor, nisi prius is, quem vicisset, se victum fateretur, et victorem agnosceret. Ennius: « Qui vicit, non est victor, nisi victu' fatetur ». Scal.

16. *Iniit*, etc. apud Fest. h. v.

17. *Neque muneralem*. Lex Cincia de donis et muneribus, non omnibus prohibuit munus accipere: sed ob causam orandam, patrociniumque præstandum. Ego lex ea tantum ob defensam causam donum accipere vetabat. Taubm. — *Neque muneralem*, etc. apud Fest. v. *muneralis*.

19. *Perfidiose*, etc. apud eumd. v. *nervum*. — *Nervo*. Aulul. IV, 10, 13.

20. *Muriatica*, etc. apud Fest. v. *narita*.—*Muriatica autem video*. Muriatica quid sint, diximus Pœnul. I, 2, 52. *Stagneis*, antiqua scriptura pro *stanneis*; quamquam Scaliger *stagneum vas* suspicatur esse incrustatum. Quum *stagnare* fuerit περιπεταλοῦν τὰ ἄγγη· quod vulgo in idiotismo nostro *invitriare* dici-

Bonam naritam, et camarum, et tagenia :
Echinos fartos, conchas piscinarias.
Non ego te gnovi, navalis scriba, columbar inpudens?
Nihil deconciliares illi : nisi quid persicus sapis.
Sacrum an profanum habeas, parvipenditur.
Ulcerosam, conpeditam, subverbustam, sordidam.
Glirium examina.
.... sed leno egreditur foras.
Hinc ex obculto sermonem ejus sublegam.
Nec machæra audes denteis frendere.
Floccipendo quid rerum geras.
Argentum hinc facite.
Properant prandium.

mus. Sunt et qui *stagnea vasa* interpretantur κασσιτέρινα. *Narita* dicitur ostrei genus, quæ νηριταῖα Græcis. *Camarum*, κάμαρον est etiam apud Hesychium. *Tagenia*, itidem pisces sunt, qui et ταγηνίαι (?). *Echinos fartos* vocat, qui farciebantur, hoc est, saginabantur in vivariis : sicut conchas piscinarias, quæ in piscinis. TAUBM.

23. *Non ego*, ap. Fest. v. *navalis scriba*. — *Non ega te gnovi*. Navalis scriba dictum, tam propter *scribam*, quam propter navalis : quia et nautæ et id genus hominum male audit. Etiam apud Homerum navalis scriba est convicium. Odyss. VIII : Φόρτου τε μνήμων, καὶ ἐπίσκοπος ἦσιν ὁδαίων. Hoc est, γραμματεὺς φόρτου, καὶ ἐφοδίων ταμίας. Jam *columbar impudens* dictum eadem forma qua Catullus mulierem prostituti pudoris vocat *lupanar* : Lucillius *carcer* vocat eum qui meruit in vincula conjici. *Columbaria* in navi sunt ea quibus eminent : dicta a similitudine foraminum, in quibus par columborum nidificat. SCALIG.

24. *Nihil deconciliares*, etc. apud eumdem voc. *Persicus*. Hoc valet *acute*. Sic Nævius : « Et qui fuerit, persicus carpenti est ratio ».

25. *Sacrum*, etc. apud eumdem v. *profanum*.

26. *Subverbustam*, i. e. verubus ustam τοὺς στιγματίας (?) : quia notis inurebantur. TAUBM. — *Ulcerosam*, etc. apud Fest. v. *subverbustam*.

27. *Glirium*, etc. apud Nonium v. *glis*.

28. *Sed leno*, etc. apud eumdem v. *legere*.

30. *Nec*, *machæra*, etc. apud eumdem v. *frendere*. Idem laudat Pacuv. Antiop. : « fruges frendo solos », et Acc. Troiad. « saxo fruges frendas ».

31. *Floccipendo*, etc. apud Fulgentium v. *flocci*.

32. *Argentum*, etc. ap. Donat. ad Terent. Phorm. IV, 3, 30.

33. *Properant*, etc. ap. Philargyr. ad Virg. Æn. IV, 71.

Quam folleis taurini habent, quom liquescunt petræ, ferrum ubi fit.
Non hic ut possit, edit; sed posse cupit, ut edat.
Fortasse te amare subspicavere,
Instare factum.
Egone illi venear?
Inimicus esto, donicum ego revenero.
Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.
Nunquam ad civitatem venio, nisi quom infertur peplum.
Scelerare manus.
Ipsa sibi avis mortem creat.
Pro larvato te circumferam.
Paupera hæc est mulier.
.... Si quæ forte concio est,
Ubi eum hietare nondum in mentem venit.
Cilix, Lycisce, Sosia, Stiche, Parmeno,
Exite, et ferte fusteis privos in manu.
Anus hæc inbellis periculum portenditur.
Mecum habet patagus, morbus, æs.

34. *Quam folleis*, etc. ap. Philargyr. ad Virg. Æn. IV, 71.

35. *Non hic ut*, etc. apud Isaac. Pontan. ad Macrob. Sat. II, 8, VII, 16.

36. *Fortasse te*, etc. ap. Donat. ad Ter. Hecyr. III, 1, 33.

38. *Egone*, etc. apud Diomed. ed. Putsch. p. 365.

39. *Inimicas esto*, ete. ap. Charisium ed. Putsch. pag. 178. Bothius corrigit *Inibi intus esto*.

40. *Corpus tuum*, etc. ap. Serv. ad Æn. I, 478.

41. *Nunquam ad civitatem*. De h ocMinervæ peplo sive palla, videantur quæ notavimus Mercat. I, 1, 67. — *Nunquam*, etc. apud Serv. Æn. I, 480.

42. *Scelerare manus*, pro, polluere, Plautinus sermo, hodie non in usu. SERV.

43. *Ipsa sibi*, etc. Apud Serv. Æn. VI, 205.

44. *Pro larvato te circumferam*. Amph. II, 2, 144. — *Pro larvato*, etc. apud Serv. Æn. VI, 228.

45. *Paupera*, etc. ib. XII, 519.

46. *Si quæ forte*, etc. apud Diomed. p. 336.

48. *Cilix*, etc. apud interpret. Horat. ad Sat. II. 5, 11.

50. *Anus hæc*, etc. ap. Porphyr. ad Horat. Od. I, 25, 7. Damus Bothianam pro vulgata: « Anus hæc in pellis periculum protenditur ».

51. *Mecum habet patagus*. Apud

Quid est hoc? rugat pallium, amictus non sum commode.
.... exi tu, Dave,
Age, sparge : mundum esse hoc vestibulum volo.
Venus ventura est nostra : non hoc pulveret.
Regiescit.
Pullaria.
Vesperna.

veteres ad rem divinam pleraque æuea adhiberi solita, et in iis maxime sacris, quibus delinire aliquos, aut devovere, aut denique exigere morbos volebant. Macrob. — *Mecum habet*, etc. apud Festum v. *patagus*, Macrob. Sat. V, 19.

52. *Quid est hoc?* apud Gellium N. A. XVIII, 12.

53. *Exi tu*, etc. ap. eumd. ibid.

56. *Regiescit.* Festus : « Regiescit apud Plautum significat crescit ».

57. *Pullaria.* Festus dicit *pullariam* a Plauto appellatam fuisse manum dexteram, a palpandis tentandisque pullis sive pueris. Turn.

58. *Vesperna*, apud Festum h. v. cœna intelligitur.

BOTHIUS ADDIDIT.

Nam pater tuos nunquam cum illa etiam limavit caput.
Dirigere.
Quid murmurillas tecum, et te discrucias?
Thocus.
Certe me supremum habuisti semper in rebus tuis.
Domuis posticæ penitissumæ.
Butu batta.
Cette meo patri.

1. *Nam pater*, etc. apud Nonium v. *limari*.

2. *Dirigere.* Festus ait inveniri hoc ap. Plaut. pro *discedere*; neque tamen l. argumenti causa laudavit.

3. *Quid murmurillas*, etc. apud Nonium v. *murmurillam*.

4. *Thocus* apud Festum h. v. *genus sellæ*.

5. *Certe me*, etc. apud eumdem v. *supremum*.

6. *Domuis posticæ*, etc. apud Nonium v. *postica*.

7. *Butu batta.* Apud Charis. ed. Putsch. p. 216, hæc Plautus, inquit, pro nihilo et pro nugis posuit.

8. *Cette meo patri*, apud Phocam ed. Putsch. p. 1718. I. e. date.

Una est; decollavit.
Surum non est tibi.
Qui tali'st de natis suis.
Calchan.
Amiciter, veraciter, avariter, munditer, severiter, mœstiter, æquiter, asperiter.
Sic lacte lacti simile'st.
Hæc præsepes mea'st.
Magadur.
Reboo.
Meminens.
Cistellam ecfer cum crepundiis.
Cicatriceis denudat et memorat viceis.

9. *Una est*, etc. apud Diomedem ed. Putsch. pag. 361.—*Decollavit*, decepit.

10. *Surum*, etc. apud Festum h. v. *Surum*, unde per diminutivum surculus.

11. *Qui tali'st*, apud Priscian. ed. Putsch. p. 733. — *Natis* pro natabus.

12. *Calchan*, apud Charisium p. 50. Inveniuntur, inquit, quædam peregrina, quæ cum incremento syllabæ declinantur, ut Calchas, Pallas: faciunt enim Calchantis; quamvis antiqui, ut Pacuvius et Plautus, Calchan dicunt, non Calchantem.

13. *Amiciter*, etc. Hæc Plauti laudat Priscian. p. 1010.

14. *Sic lacte*, etc. apud Valer. Probum edit. Putsch. pag. 1445. *Lacte*, i. q. lac antique.

15. *Hæc præsepes*, etc. apud eumd. p. 1446.

16. *Magadur*, apud eumdem p. 1454.

17. *Reboo*. Ibid, p. 1486.

18. *Meminens*. Apud Sergium in Donati edit. alteram p. 1853 edit. Putsch.

19. *Cistellam*, etc. apud Fulgentium h. v.

20. *Cicatriceis*, etc. ap. Is. Pontan. ad Macrob. Somn. Scip. I, 21.

LOCI EX COMOEDIIS

QUÆ EXSTANT CITATI, QUI TAMEN IN NOSTRIS HODIE CODICIBUS NUSQUAM COMPARENT.

AMPHITRUONE.

Optumo jure infringatur aula cineris in caput.
Ne tu postules matellam unam tibi aquæ infundi in caput.
Herus Amphitruo obcupatus.
Quæse adveniente morbo nunc medicum tibi.
Enim tu certe aut larvatus aut cerritus es.
Edepol, hominem te miserum! medicum quærita.
Quoique, me absente, corpus volgavit suum.
Exjuravisti te mihi dixe per jocum.
Qui nequeas nostrorum uter sit Amphitruo decernere.
Nisi hoc ita factum'st, proinde ut factum esse autumo,
Non causam dico, verum quin insimules probri.
Manifestum hunc obtorto collo teneo furem.
Ibi scrobeis ecfodito duplos sexagenos in dies.

1. *Optumo jure*, apud Nonium v. *aula*. Hunc et quinque seq. versus refer ad IV, 2.

2. *Ne tu postules*, etc. ap. eumd. v. *obcupatus*.

3. *Herus ..... obcupatus*, id est, impeditus: ut græce dicitur ἀσχολεῖ, i. e. vacuus non est. TAUBM.— *Herus Amphitruo*, apud Nonium v. *obcupatus*.

4. *Quæse adveniente*, ap. eumd. vv. *advenire*, *cerriti*. *Quæse* i. q. quære. Ennius: « liberum quæsendum causa ».

7. *Quoique, me abs.* ap. eumdem v. *vulgavit*.

8. *Exjuravisti.* Vide Amph. III, 3, 17.—*Exjuravisti.* Apud Non. h. v.

9. *Qui nequeas.* Vide Amph. IV, 3, 3.— *Qui nequeas*, ap. eumdem v. *decernere*.—*Nostrorum*, numinativus *nos*.

10. *Nisi hoc ita*, apud eumdem v. *autumare*.

11. *Non causam dico... quin*, non recuso. — *Verum*, vere. Vulgata, « Non causam dico. Verum qui insimulet pr.? » Nostra est: « quin vere insimulare me videaris ».

12. *Manifestum hunc*, ap. eumd. v. *furtum*.

13. *Ibi scrobeis*, apud eumdem v. *scrobeis*.

At ego certe cruce et cruciatu mactabo : exi o foras, mastigia.
Abiendi etiam nunc tibi 'st obcasio.
Animam conprime.
Nec nobis præsente aliquis quisquam nisi servos.

14. *At ego certe*, etc. ap. Non. v. *mactare*.
15. *Abiendi*, etc. apud Priscian. ed. Putsch. p. 924. Pro *abeundi*.
16. *Animam*, apud Nonium v. *anima*.
17. *Nec nobis*, ap. eumd. v. *absente*.

ASINARIA.

Quin etiam me miserum famosum flagitiis facit suis.
Heic aderit, credo, congerro meus.

1. *Quin etiam*, etc. Vide sententiam J. Gulielmii Asin. V, 2, 25. — *Quin*, etc. apud Non. v. *fama*.
2. *Heic aderit*, etc. ap. eumdem v. *gerræ*.

AULULARIA.

Nec noctu, nec diu quietus unquam eam, nunc dormiam.
.... sed leno egreditur foras.
Hinc ex obculto sermone satus sublegam.
Homo ebriolatus somno sanari solet.
Qui mihi olera cruda ponunt, halec danunt.
Ego ecfodiebam in die denos scrobeis.
Hic quidem pervicus custodem addidit,

1. *Nec noctu*, etc. apud Nonium voc. *diu*. Quem in locum J. Gulielm. immittere satagat hoc fragmentum, vide apud ipsum et Aul. I, 1, 27. — *Eam*. Both. *eram*.
2. *Sed leno*, etc. apud eumdem v. *legere*. Leno nullus apparet Aulularia. Fortasse scribendum *homo*. Vide Aulul. act. IV, 5, 6. Legendum : « sermonem catus ».
4. *Homo ebriolatus*, etc. apud eumdem v. *ebriolare*.
5. *Qui mihi olera*, apud eumdem v. *halec*.
6. *Ego ecfodiebam*, etc. apud eumdem v. *scrobes*.
7. *Hic quidem*, etc. ap. eumd. v. *pervico*.

Pro illis crocotis, strophiis, sumtu uxoris.
Non quidem ego qua voluptate sumsi nec tetigi.
Ut admemordi hominem.
myrtam, myrtum.

8. *Pro illis crocotis.* Gulielmius Aulul. III, 5, 56, hunc impactum voluit: quem tu ibi vide: de *crocota* Epid. II, 2, 45. — *Pro illis crocotis*, etc. ap. Non. v. *strophium*.

9. *Non quidem ego*, apud Non. v. *sumere*.

10. *Ut admemordi*, etc. ap. Gell. N. A. VII, 9.

11. *Myrtam*, apud Porphyr. ad Horat. Od. I, 38, 5.

CAPTEIVEI.

Fac fidele: cave fluxam fidem feras.
Pileum, quem habuit, deripuit, eumque ad cælum tollit.
Auctionem facio parasiticam.

1. *Fac fidele.* Poni et istud debet inter fragmenta, quoniam nimis discrepat ab eis quæ exstant Captiv. III, 3, 79. Taub. — *Fac fidele*, apud Non. v. *fidele*.

2. *Pileum, quem*, apud eumdem v. *pileus*.

CASINA.

Perii! illic habebit flocco jam homo lumbos meos.
Intro ad uxorem, subferamque meum tergum ob injuriam.
Tædeo.

1. *Perii! illic hab.* apud Nonium v. *defloccare*.

2. *Intro ad uxor.* apud eum v. *subferre*. Conf. Pœnul. IV, 2, 33.

3. *Tædeo*, apud Cledonium ed. Putsch. p. 1915.

BACCHIDES.

Illa mei congnominis fuit.
...... nam et ex mari timida ecce ego
Pavitare.....

1. *Illa mei congnominis*, etc. apud Servium ad Æn. VI, 383.

Quibus ingenium'st animi utibile, et modicum et sine
Vernilitate.....
Ecquis evocat
Cum nasiterna et cum aqua illum inpurissumum?
Quæ sodalem atque me exercitos habet.
Nam tu quidem quoivis excantare cor facile potes.
Vincla, virgæ, molæ, sævitudo. Mala fit pejor.
Cor meum, spes mea, mel meum, suavitudo, cibus, gaudium.
Limaceis viri.
Ne a quoquam alio adciperes mercedem annuam
Nisi ab sese, nec cum quiquam limares caput.
Cupido te conficit, anne amor?
Prænestinum opino esse, ita erat gloriosus.
Sin lenocinium forte conlubitum est tibi,

4. *Quibus ingenium*, etc. Horum hæc est sententia: Eos utiliter suo ingenio uti, qui modesti sint, et lascivia juvenili non exsultent. J. Gul. — *Quibus animi*, etc. apud Non. v. *modicum*.

6. *Ecquis vocat*, apud Festum v. *Nasiterna*. — *Nasiterna*. Vid. Stich. II, 2, 28.

8. *Quæ sodalem*, apud Nonium v. *exercitus*. — *Exercitos*, id est, fatigatos. Sallust. « exercito corpore ». Terent. « Atque ex me hic natus non est, sed ex fratre »: ubi Acron: Argute, inquit: nam per hanc conjunctionem transitum fecit ad narrationem. Cato: « Atque quamquam multa, etc. » Sosipater.

9. *Nam tu quidem*, etc. apud eomd. v. *excantare*.

10. *Vincla*, *virgæ*. Apud eumd. v. *sævitudo*. — *Molæ*. Vulgo *mole*, vel *molle*, plane sensu carens. *Molæ* per synecdochen significant pistrinum.

11. *Cor meum*, apud eumdem v. *suavitudo*. — *Limaceis viri*. Collectores addiderant: « quod atterant et consumant »: quod Nonii interpretamentum esse jam diu est quum monuit J. Gulielmius. Gruterus noster adolescens hoc fragmentum Asinariæ impingebat, act. III, 2. Taubm. — *L. viri*, ap. Non. h. v.

13. *Ne a quoq.* etc. apud eumdem voc. *limare*. — *Ne a quoquam*. Vide notas Merc. III, 1, 40; Pœn. I, 2, 80.

15. *Cupido te*, etc. Vide notas Curcul. I, 1, 13. — *Cupido*, etc. apud Non. v. *cupido*, ubi hoc ponit discrimen: « Cupido inconsiderata est necessitatis, amor vero judicii »: et laudat Afran. Homin.: « amabit sapiens, cupient cæteri ».

16. *Prænestinum*, apud eumdem v. *opino*. Jam perstrinxit Prænestinos Trucul. III, 2, 23.

17. *Sin lenocinium*, ap. Charis. ed. Putsch. p. 181.

Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam.
Videas mercedis quid tibi est æquom dari,
Ne istac ætate me sectere gratiis.
Ulyssem audivi fuisse ærumnosissumum,
Qui annis viginti errans a patria abfuit :
Verum hic adulescens multo Ulyssem anteit,
Qui inlico errat intra muros civicos.

18. *Ibidem ego.* Apud Charis. ed. Putsch. p. 181.

MILES.

Ita nos nostramque familiam habes exercitam.
Modice sapis.

1. *Ita nostram*, apud Fnlgent. v. *exercitus.*

2. *Modice sapis.* Gnlielmius frustum istud aptabat act. V, sc. 4, vs. 53. At Josias Mercerus rejiciebat in nltimam scenam vers. 29, *magis sapis*. Sed verius est, inquit, habuisse Noninm in animo locum IV, 5, vs. 15, « at modice decet ». TAUBM.

MOSTELLARIA.

Sine juxta aram sedeam, et dabo meliora consilia.

1. *Sine juxta.* Secundum Plautum *sedere* est consilium capere : nam et ipsa *consilia* a sedendo, quasi *considia* dicta sunt. Sedentium enim animi tranquilliores fiunt. SERV.

POENULUS.

Inportuna avis venit vesperi.

1. *Inportuna avis*, ap. Charisium p. 197.

PSEUDOLUS.

Nisi carcerem aliquando ecfregeritis vostram domum.

1. *Nisi carcerem*, etc. apud Serv. ad Æn. I, 139.

RUDENS.

Aulas abstulas.
Homullulus et ex argilla et ex luto fictus.
Gurguliunculos minutos fabulare.

1. *Aulas abstulas*, ap. Diomed. ed. Putsch. p. 376. Veteres dixere *tulo*, teste Diomede, qui laudat et Næv. «dolem ad nos nulla adtulat».

2. *Homullulus*, apud Priscianum p. 614.

3. *Gurguliunculos*, ibid.

STICHUS.

Nonne hoc publicitus.

1. *Nonne hoc publicitus*, apud Charis. p. 190.

TRUCULENTUS.

Bona perdidi, mala reperi : factus sum extumus a vobis.

1. *Bona perdidi*, apud Priscian. p. 609.

QUEROLUS

SIVE

AULULARIA*.

* Hanc fabulam, quæ, licet non Plautina, tamen in Plauti editionibus vulgo ob affictum nomen et argumenti adfinitatem requiritur, gratum fore lectori existimavi, si hoc loco subjungerem, at choragio exegetico destitutam, ne πάρεργον mole iniqua extremum librum oneraret. Quod si doctas de hoc opusculo commentationes lector desideraverit, voti compotem fecerit ornatissimus adolescens Klinkhamer (vid. ind. biblig. in fine), Ill. Lennepii discipulus, magistro quidem haud infıciandus, cujus recensione usus sum laudesque persolvo l. m.

DRAMATIS PERSONAE.

LAR FAMILIARIS.
QUEROLUS, Euclionis filius.
MANDROGERUS, parasitus et magus.
SARDANAPALUS.
SYCOPHANTA.
PANTOMALUS, servus.
ARBITER.

PRÆFATIO AD RUTILIUM.

Rutili, venerande semper magnis laudibus, qui das honoratam quietem, quam dicamus ludicris, inter proximos et propinquos honore dignum putas, duplici fateor, et ingenti me donas bono, hoc testimonio, hoc collegio: hæc vera est dignitas. Quænam ergo his pro meritis digna referam præmia? Pecunia, illa rerum ac sollicitudinum causa et caput, neque mecum abundans neque apud te pretiosa est. Parvas mihi litterulas non parvus indulsit labor. Hinc honos atque merces: hoc manebat præmium. Atque ut operi nostro aliquid adderetur gratiæ, sermone illo philosophico ex tuo materiam sumsimus. Meministine ridere tete solitum illos, qui fata deplorant sua, atque Academico more, quod libitum foret, destruere et adserere te solitum? Sed quantum hoc est? Hinc ergo quid in vero sit, qui solus novit, noverit: nos fabellis atque mensis hunc librum scripsimus. Materia hæc est: Pater Queroli nostri fuit avarus Euclio: hic Euclio aurum in ornam congessit olim, quasi busta patris, odoribus insuper infusis, tituloque extra addito. Navem ascendens ornam domi fodit: rem nulli aperuit. Hic peregre moriens parasitum ibidem cognitum filio cohæredem instituit tacita scripturæ fide, si eidem thesaurum occultum sine fraude ostenderet: locum tantummodo thesauri senex ostendit. Oblitus doli parasitus navem ascendit, ad Querolum ve-

nit et rupit fidem : magum mathematicumque sese fingens, et quidquid mentiri fur potest. Ea quæ a patrono didicerat Queroli secreta et familiaria, quasi divinus loquitur. Querolus fidem accommodat, auxiliumque poscit. Parasitus magus domum purificat et puram facit. Sed ubi primum libere ornam inspexit, vetere dolo decipitur. Bustum quod simulabatur credidit, atque irrisum se putat. Inde ut aliquatenus se ulcisceretur, ornam Queroli in domum callide et occulte obrepens per fenestram protulit : qua explosa et comminuta, bustum in pretium vertitur. Itaque thesaurum contra rationem et fidem quum lateret, perdidit; quum perisset, reddidit. Postea re comperta parasitus revolat, et partem petit. Sed quia quidquid abstulerit, confitetur, quidquid retulerit, non docet, primum furti, post etiam sepulcri violati est reus. Exitus hic est : Ille Dominus, ille parasitus, denuo fato atque merito collocantur sic ambo ad sua. Tuo igitur inlustris libellus iste dedicatur nomini. Vivas incolumis atque felix votis nostris et tuis.

QUEROLUS

SIVE

AULULARIA.

PROLOGUS.

PACEM quietemque vobis, spectatores, nostros sermo poeticum regat, qui Græcorum disciplinas ore narrat barbaro, et Latinorum vetusta vestro recolit tempore. Præterea precatur et sperat non inhumana vice, ut qui vobis laborem indulsit, vestram referat gratiam. Aulullariam hodie sumus acturi, non veterem ac rudem investigatam Plauti per vestigia. Fabella hæc est. Felicem hic inducimus fato servatum suo, atque contrario fraudulentum fraude deceptum sua. Querolus, qui jam nunc veniet, totam tenebit fabulam. Ipse est ingratus ille, noster : hic felix erit. E contrario Mandrogerus aderit fraudulentus et miser. Lar familiaris, qui primus veniet, ipse exponet omnia. Materia vosmet reficiet, si fatigat lectio. In ludis autem atque dictis antiquam nobis veniam exposcimus. Nemo sibimet arbitretur dici, quod

nos populo dicimus : neque propriam sibimet causam constituat communi ex joco. Nemo aliquid recognoscat: nos mentimur omuia. Querolus an Aulularia hæc dicatur fabula, vestrum hinc judicium, vestra erit sententia. Prodire autem in agendum non auderemus cum clodo pede, nisi magnos præclarosque in hac parte sequeremur duces.

QUEROLUS

SIVE

AULULARIA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

LAR FAMILIARIS.

Ego sum custos et cultor domus, cui fuero adscriptus. Ædes nunc istas rego, e quibus modo sum egressus. Decreta fatorum ego tempero : si quid boni est, ultra accerso : si quid gravius, mitigo. Queroli nunc sortem administro, hujus uon grati, non mali. Hic exinde sibimet sufficiens fuit (quod primum est bonum) : nunc autem etiam locupletissimus erit. Sic meritum est ipsius. Nam quod pro meritis reddendum nobis non putatis, ipsi vosmet fallitis. Ordinem autem seriemque causæ breviter jam nunc eloquar. Pater hujus Queroli Euclio fuit, avarus et cautus senex. Hic enorme pondus auri olim in ornam condidit. Sic quasi paterna venerans aurum celabat palam. Peregre vadens ornam domi sepeliit, ac reliquit ante aras meas. Tumulum suis, mihi thesaurum commendavit. Abiit, neque rediit senex. Peregre moriens uni

tantummodo rem indicavit, fraudulento et perfido. Cui tamen sive oblitus sive supervacuum putans, de busto et titulo nihil exponit. Querolo juxta fatum hoc sufficit. Nunc ergo thesaurus habetur omnibus ignotus et notus tamen. Erat sane facile nobis aurum domino ostendere, aut responso, aut somnio. Sed ut agnoscant homines, nemini auferri posse, quod dederit Deus, aurum, quod fidei malæ creditum est, furto conservabitur. Fur ergo jam nunc aderit, per quem nobis salva res erit. Iste ornam qnum repererit, bustum putabit : sic ille prospexit senex. Prædam qui abstulerit, reportabit, totumque reddet, [qui] parte contentus [non] fuit. Itaque bene perfidus alteri fraudem infert, damnum sibi. Tamen ne frustra memet videritis, exponere quædam volo. Querolus iste noster, sicut nostis, omnibus est molestus, ipsi, si fas est, Deo: homo ridicule iracundus, itaque ridendus magis. Disserere cum isthoc volupe est, et confutare vanam hominum scientiam. Fatum itaque jam nunc et hominem e diverso audietis : vos judicium sumite. Genium autem ipsius esse me, quantum fieri potuerit, cautissime confitebor, ne quod mihi faciat malum. Nam maledicere mihimet nunquam cessat ille noctes et dies. Sed eccum ipsum audio : fatum et fortunam clamitat. Iste ad me venit : patrem peregre mortuum audivit. Hui, quam graviter dolet, ut sunt humana! credo, quia nihil relictum comperit. Et quid ego nunc facio? avolare hinc subito non possum : nimium memet credidi. Opportune armigerum hinc tridentem video, præsidium, hercle, non malum. Querolus si molestus esse hodie non destiterit, faciam ut queratur justius. Unde esse hoc dicam? Piscatores mane hac præterisse vidi : ipsis forte hoc excidit.

SCENA SECUNDA.

QUEROLUS, LAR FAMILIARIS.

QUER. O fortuna! o fors fortuna! o fatum sceleratum atque impium! Si quis nunc mihi tete ostenderet, ego nunc tibi facerem et constituerem fatum inexsuperabile. LAR FAM. Sperandum est hodie de tridente. Sed quid cesso interpellare atque alloqui? Salve, Querole. QUER. Ecce iterum rem molestam, salve Querole. Istud cui bono hac atque illac have, dicere etiamsi prodesset, ingratum foret. LAR FAM. Misanthropus, hercle, hic verus est: unum conspicit, turbas putat. QUER. Quæso, amice, quid tibi rei mecum est? debitumne poscis, an furem tenes? LAR FAM. Iracundus nimium es, Querole. QUER. Hea, ego officium sum aspernatus, adicit et convicium. LAR. FAM. Mane paulisper. QUER. Non vacat. LAR. FAM. Sic necesse est, mane. QUER. Jam istud ad vim pertinet. Age, dic quid vis. LAR FAM. Scin' tu quam ob causam tridentem istum gestito? QUER. Nescio, edepol, nisi quod primum propter inportunos inveutum esse hoc reor. LAR FAM. Idcirco hunc gestito, ut si me attigeris, talos transfodiam tibi. QUER. Dixin' hoc fore? nec salutatio hic inpune datur. Non mala, hercle, est conditio: neque te contingo, neque me tu contigeris. Vale. Ite et conserite amicitias. Ecce adfabilitas prima quid dedit. LAR FAM. Mane, ego sum, quem requiris, quemque accusas, homuncio. QUER. Ohe, talos ego incolumes ferre hinc volo. LAR FAM. Non tu paulo ante fatum accusabas tuum? QUER. Accuso et persequor. LAR FAM. Ades ergo huc, ego sum. QUER. Tu fatum es meum? LAR FAM. Ego sum Lar familiaris, fatum quod vos dicitis. QUER. Te ego jamdudum quæro; nusquam hodie pedem. LAR FAM. Præmonueram de tri-

dente, cave, abstine. QUER. Immo tu cave. LAR FAM. Ego jam prospexi. QUER. Quidnam hoc est præstigium? LAR FAM. Apagesis homo ineptissime, hic nullum est præstigium. Desiste, nisi excipere mavis trina pariter vulnera. QUER. Attat, verosimile esse hunc nescio quem de aliquibus vel geniis vel mysteriis: iste seminudus dealbatusque incedit, toto splendet corpore. Euge Lar familiaris, processisti hodie pulcre. Sed non totum intellego. Quod seminudus es, recognosco: unde dealbatus, nescio. Egomet jamdudum apud carbonarias agere te putabam: tu de pistrinis venis. LAR FAM. Hei, etiam istud de meo, quod in malis tuis commode jocaris. Audi nunc jam. Permovet nosmet, Querole, tua quamvis inanis querimonia. Idciro itaque veni, ut ratio tibi ex integro redderetur, quod nemini antehac contigit. QUER. Tibine rationem rerum humanarum licitum est nosse atque exponere? LAR FAM. Et novi et doceo. Proinde quidquid exinde quereris, hodie totum expromito. QUER. Dies deficiet ante. LAR FAM. Breviter percurre pauca, de quibus nunc tibi exponantur omnia. QUER. Unum solum est, unde responderi mihi volo. Quare injustis bene est et justis male? LAR FAM. Primum, ut apud vosmet fieri video, de persona est quæstio. Cuinam tu verba promis? Tibine an populo? QUER. Et populo et mihi. LAR FAM. Quum tu tibi ipse sis reus, quemadmodum satis aliisque multis defensorem te paras? QUER. Ego novi reum me non esse. LAR FAM. Ergo posthac assertio conticescet, si persona exploditur. Inter bonos an inter malos tete numeras? QUER. Etiam quæritas, quid mihimetipsi videar, quum de scelestis conquerar? LAR FAM. Si probo, de illis tete esse quos accusas, hoc est, de malis, pro quibus posthac loquere? QUER. Si criminosum me esse conviceris, necesse est meritis ut meis sensum accommodem. LAR FAM. Celeriter nunc mihi responde, Querole, quanta jam putas fecisse

te capitalia? QUER. Equidem nullum, quod sciam. LAR FAM. Nullumne? Ergo excidere omnia. QUER. Immo omnia pæne retineo, sed scelus nullum scio. LAR FAM. Heo, Querole, furtum nullum admisisti? QUER. Nusquam, ex quo destiti. LAR FAM. Ha, ha, he, hoc est nunquam admisisse? QUER. Quod verum est non nego. Adulescens quædam feci, fateor, laudari quæ solent. LAR FAM. Cur igitur destitisti de scelere tam laudabili? Transeamus istud. Quid de falso dicimus? QUER. Hem, quis autem verum dicit? Istud commune est, abi. LAR FAM. Idcirco crimen non est? Quid de adulterio? QUER. Attat, etiam hoc crimen non est. LAR FAM. Quando autem licitum esse cœpit? QUER. Men' rogas? quasi tu nescias. Hoc est quod nec permitti, nec prohiberi potest. LAR FAM. Quid ad hæc, Querole? Videsne te contra licitum vivere? QUER. Si tu me ad hæc revocas, nemo est innocens. LAR FAM. Et te tamen non de omnibus tete interrogavi, si reminisceris. QUER. Nihil est amplius. LAR FAM. Nulli igitur igitur mortem optasti? QUER. Nemini. LAR FAM. Quid si convinco? QUER. Nihil est quod respondeam. LAR FAM. Dic mihi, si soceros nunquam habuisti? QUER. Ecce iterum generale. LAR FAM. Ergo omnia de omnibus confiteris. QUER. Quando sic interrogas. LAR FAM. Quando hæc tibi levia videntur, nescio quid sit, quod crimen putes. Dic mihi præterea quotiens pejeraveris: expone celeriter. QUER. Bona hora hoc exaudiat; istud a me semper alienum fuit. LAR FAM. Quanto amplius quam millies pejeraveris, hoc requiro: saltem hoc dicito. QUER. Ohe, illa tu nunc requiris cotidiana et jocularia. LAR FAM. Non facile intellego, perjurium joculare quid putas. Tamen transeamus, quod, ut video, consuetudo jam fecit leve. Quid igitur, sciens prudensque sacramentorum nunquam rupisti fidem? Ut alia taceam, nunquàm jurasti amare te, quem juratus oderas? QUER. Heu me miserum! quid ego hodie mali cum

istoc reperi? Juravi sæpe, fateor, quod quum staret verbis, non staret fide. LAR FAM. Urbane igitur pejerasti : fieri hoc solet. Quanto mallem, ut sermo laberetur, et staret fides! Tune, Querole, verbis te absolutum esse credis? Pejerat sæpe, qui tacet. Tantum est enim tacere verum, quantum et falsum dicere. QUER. Omnia igitur peregisti, totum conmerui. Vale. LAR FAM. Immo nihil est actum, Querole, nisi sequantur hæc duo : primum contra meritum tuum miserum te non esse ut comprobem : secundo. etiam felicem tete esse jam nunc ipse intellegas. QUER. Ergone egomet ærumnosus non sum. LAR FAM. Et fateor, sed vitio tuo. Atque ut in omnibus revincare, expone breviter, de quibus quereris maxime. QUER. Primum tibi, geniorum optime, conqueror de amicis. LAR FAM. Spes bona : quid de inimicis iste faciet? In quo tamen amicitiarum te læsit fides? QUER. Nemo mihi magis molestus, quam familiaris : neque magis morigerus, quam leviter cognitus. LAR FAM. Quidnam hoc mirum, si te qui novit, despicit : qui non novit, diligit? QUER. Agimus tibi gratias, Lar familiaris, tu nos ornas in omnibus. LAR FAM. Jam intellego, quid quærere. Visne brevibus remedium hinc dari? QUER. Valde cupio. LAR FAM. In amicitiam et fidem stultum ne receperis. Nam insipientum atque improborum facilius sustinetur odium quam collegium. QUER. Quid si sapiens non erit? LAR FAM. Stultos ingenio rege. QUER. Quomodo? LAR FAM. Vis te non decipi? QUER. Cupio. LAR FAM. Credideris nemini : in tua est potestate, ne decipiaris. Cur accusas perfidos? Visn' tibi honorem deferri? QUER. Maxime. LAR FAM. Inter miseros vivito. QUER. Prope vera loqueris. LAR FAM. Visne te non decipi, maxime a tuis? QUER. Vellem, si fieri potest. LAR FAM. Dicam quod dictum est prius. Nemini te, Querole, nimis sodalem feceris. Res nimium singularis est homo, ferre non patiens parem. Minores despicitis, majoribus invi-

detis, ab æqualibus dissentitis. Dic, quæso, quid placeat. Ergo secundum vitia et mores quid sit tenendum, discito. Compara comessationes, vinum, turbas respue: quem tu maxime tibi obligare volueris, tanto levius nectito. Conventus vero, et dibacchationes, et joca frivola non quæro, ut amorem pariant; utinam nihil odiorum darent! QUER. Quid quod plures hujusmodi societate optime utuntur? LAR FAM. Novi omnia: illos mihi tu narras, qui totum occultant: nimium vel prudentes vel felices sunt quos requiris: hoc ad Querolum non facit. QUER. Est aliud quod accusem. Pauper ego sum quidem, sicut tu vel nosti, vel facis: sed hoc mecum tolerabile est. Illud prorsus non fero, quod tenuitati nemo ignoscit, neque cuiquam, ut aliquem dicat pauperem: quid præterea? hui quantum adjiciunt! stultitiam, neglegentiam, somnium et gulam. Patientia desidiæ, acrimonia crudelitati adsignantur. Sic vertuntur omnia: nemo ad facultates, nemo ad censum respicit: semper dives diligens; contra pauper negligens. LAR FAM. Censoribus hæc reserva, Querole. Nunc autem illud dicito, quod specialiter te inquietat et gravat. Nam ista, quæ protulisti, communia sunt et antiqua paupertatis crimina. Tamen tu neque dives neque pauper es. Hoc si agnosceres, felix eras. QUER. Scisne me nuper patrem amisisse? LAR FAM. Servasti præceptum: speciale hoc plane est: hoc est, quod nemini antehac contigit. Quid igitur? Nonne hoc justum fuit, bustum ut efferret filius? QUER. Fateor: sed pater ipse nihil reliquit. LAR FAM. Dura deploratio: exsequias inanes tibi contigisse luges. Irasceris ergo, non doles. Patri certe nihil defuit, tibique hodie nihil defit. Non enim hoc parva hæreditas. Succensesne? Senio saltem extremo sibimet vixit, qui semper tibi. Utinam tu hæredibus tantum relinquas, quantum reliquit Euclio. Dic ergo aliud, jam istinc nihil audio. QUER. Servus mihi est, quem tolerare nequeo, Pantomalus

et mente et nomine. LAR FAM. Facilem te, Querole, si unus tibi est Pantomalus! multi Pantomalos habent. QUER. Sed plures audio, qui suos etiam laudant. LAR FAM. Isti pejores habent. QUER. Cur igitur laudant? LAR FAM. Quia quid deperdant nesciunt. QUER. Tempestas maxime fructus meos abstulit. Numquid commune hoc fuit? LAR FAM. Non uno genere homines puniuntur : tibi tempestas obfuit; alter aliud pertulit. QUER. Ohe, consortes mei jamdudum nihil incommodi pertulerunt. LAR FAM. Fallis turpiter. QUER. Da, quæso, veniam. Ignorabam peculiarem tibi curam esse hanc de consortibus meis. Adhuc habeo quod obiciam. Vicinus mihi malus est. LAR FAM. Ecce rem vere malam. Tamen, Querole, de uno isto quantum etiam hic præstiterim, vide. Vicinum malum pateris unum tantum : quid faciunt illi qui plures habent? QUER. Conserva istum quæso, Lar familiaris! ex voto meo tuere, quem præstitisti, ne forte nascantur duo. LAR FAM. Quid si etiam hinc vincimus? Dic, quæso, nunc mihi, quem tu putas feliciorem, tete, an istum, de quo quereris? QUER. Quidnam hic simile est? Aut numquid dubitari potest, feliciorem eum esse, qui alterum queri conpellit, quam ille, qui ad querelam confugit? LAR FAM. Hem, Querole, vis jam nunc faciamus, ut infeliciorem esse hunc scias? QUER. Valde cupio. LAR FAM. Sed hoc egomet tibi tantum indicabo; paululum aurem accommoda. QUER. Cur non aperte loqueris? numquidnam etiam tu times? LAR FAM. Quidni timeam, qui tecum vivo? Aurem accommoda. QUER. Age, dicito. Ha, ha, he, habeat, teneat, possideat, sicque cum suis: laute, edepol, nos accipis doctor. LAR FAM. Nonne? QUER. Certe, jam nihil conqueror. LAR FAM. Quid istuc, Querole? paululum tibi ita videtur : rursum ad ingenium redis. Sed quoniam miserum te non doces, superest, ut felicem comprobem. Dic quæso, Querole, sanus es? QUER. Ita arbitror. LAR FAM. Quanti hoc æstimas?

QUER. Hoc etiam imputas? LAR FAM. O Querole, sanus es et felicem te negas. Vide ne postmodum felicem te fuisse scias. QUER. Jam superius dixeram, bene mecum agitur, sed juxta alios male. LAR FAM. Certe apud te bene. QUER. Fateor. LAR FAM. Quid quæris amplius? QUER. Quare alii melius? LAR FAM. Jam hoc ad invidiam pertinet. QUER. Sed recte invideo. Nam sum deterior inferioribus. LAR FAM. Quid si feliciorem tete edoceo, quam sunt isti, de quibus dicturus es? QUER. Tum igitur facies, posthac Querolus nullum permittat queri. LAR. FAM. Ut negotium sit brevius et lucidius, argumenta removeo. Tu fortunam dicito, cujus tibi conditio placeat. Sortem autem, quam ipse volueris, jam nunc dabo. Tantum illud memento, ne putes, posse te aliquid deplorare atque excipere, unde aliquid legeris. QUER. Placeat optio. Da mihi divitias atque honores militares, vel mediocriter. LAR FAM. Istud tibi præstare valeo: verum illud vide, si tu valeas implere quod petis. QUER. Quid? LAR FAM. Potes bellum gerere, ferrum excipere, aciem rumpere? QUER. Istud nunquam potui. LAR FAM. Cede igitur præmio atque honoribus his qui possunt omnia. QUER. Saltem aliquid nobis tribue in parte civili et miserabili. LAR FAM. Vis ergo omnia et exigere et exsolvere? QUER. Attat, hoc excidit: jam neutrum volo. Si quid igitur potes, Lar familiaris, facito ut sim privatus et potens. LAR FAM. Potentiam cujusmodi requiris? QUER. Ut mihi liceat spoliare non debentes; cædere alienos, vicinos autem et spoliare et cædere. LAR FAM. Ha, ha, he, latrocinium, non potentiam requiris. Hoc modo nescio, edepol, quemadmodum præstari hoc possit tibi: tamen inveni. Habes quod exoptas. Vade, ad Ligerem vivito. QUER. Quid tum? LAR FAM. Illic jure gentium vivunt homines: ibi nullum est præstigium: ibi sententiæ capitales de robore proferuntur et scribuntur in ossibus: illic etiam rustici perorant, et

privati judicant: ibi totum licet. Si dives fueris, patus appellaberis: sic nostra loquiturGræcia: o silvæ, o solitudines! quis vos dixit liberas? Multo majora sunt, quæ tacemus: tamen interea hoc sufficit. QUER. Neque dives ego sum neque robore uti cupio: nolo jura hæc silvestria. LAR FAM. Pete igitur aliquid mitius honestiusque, si jurgare non potes. QUER. Da mihi honorem, qualem obtinet togatus ille, muneras quem maxime. LAR FAM. Rem prorsus facilem nunc petisti. Istud etiamsi non possumus, possumus: visne præstari hoc tibi? QUER. Nihil est quod plus velim. LAR FAM. Ut maxima quæque taceam, sume igitur tegmina hieme trunca, et æstate duplicia: sume laneos coturnos, semper refluos carceres, quos pluvia solvat, pulvis compleat, cœnum et sudor glutinet: sume calceos humili fluxos tegmine, quos terra revocet, fraudet limus concolor: æstum vestitis genibus, brumam nudis cruribus: in soccis hiemes, cancros in tubulis age: patere inordinatos labores, occursus antelucanos, judicis convivium, primum, postmeridianum, aut æstuosum, aut algidum, aut insanum aut serium. Vende vocem, vende linguam, iras atque odium loca. In summa, pauper esto, et reporta penatibus pecuniarum aliquid, sed plus criminum. Plura etiam nunc dicerem, nisi quod efferre istos melius est quam lædere. QUER. Neque istud volo. Da mihi divitias, quales consequuntur illi, qui chartas agunt. LAR FAM. Sume igitur vigilias et labores illorum, quibus invides. Aurum in juventa, patriam in senecta quære: tiro agelli, veteranus fori, ratiocinator erudite, possessor rudis: incognitis familiaris, vicinis novus, omnem ætatem exosus agito, funus ut lautum pares. Heroes autem Deus ordinabit: istis nolo invideas, Querole. Sæpe condita luporum, fiunt rapinæ vulpium. QUER. Heia, nec chartas volo. Tribue saltem nunc mihi peregrini illius et transmarini mercatoris sacculum. LAR FAM. Age igitur, con-

scende maria, te tuosque pariter undis et ventis credito. QUER. Istud egomet nunquam volui. Da mihi saltem vel capsas Titi. LAR FAM. Sume igitur et podagram Titi. QUER. Minime. LAR FAM. Neque tu capsas continges Titi. QUER. Neque istud volo. Da mihi psaltrias et concubinulas, quales habet avarus ille fenerator advena. LAR FAM. Habes nunc plane tota mente quod rogas. Suscipe quod exoptas toto cum choro, suscipe Paphien, Cytheren, Briseidem, sed cum pondere Nestoris. QUER. Ha, ha, he, quamobrem? LAR FAM. Habet hoc ille, cujus tu sortem petisti. Heo, Querole, nunquam audisti : Nemo gratis bellus est. Aut hæc cum illis habenda sunt, aut hæc cum his amittenda sunt. QUER. Adhuc invenio quod requiram : da mihi saltem impudentiam. LAR FAM. Urbane edepol; tu nunc omnia quæ negaverim concupiscis : si toto vis uti foro, esto impudens : sed sapientiæ jactura facienda est nunc tibi. QUER. Quamobrem? LAR FAM. Quia sapiens nemo est impudens. QUER. At abi, Lar familiaris, cum tua disputatione. LAR FAM. At abi, Querole, cum tua querimonia. QUER. Nunquamne mutabis, calamitas? LAR FAM. Quamdiu tu vixeris. QUER. Felices ergo non sunt? LAR FAM. Sunt aliqui, sed non illi quos tu putas. QUER. Quomodo? Si ostendero jam nunc tibi aliquem et sanum et divitem, felicem hunc negabis? LAR FAM. Divitem potes nosse; sanum esse quid putas? QUER. Corpore bene valere. LAR FAM. Quid si ægrotat animo? QUER. Istud egomet nescio. LAR FAM. O Querole, imbecilla tantum vobis corpora videntur: quantum animus est infirmior? spes, timor, cupiditas, avaritia, desperatio incsse felicem [non] sinunt. Quid si nescio quis ille, alius in corde, alius est in vultu? quid si lætus publice mœret domi? ut majora reticeam, quid si uxorem non amat? quid si uxorem nimis amat? QUER. Si nemo felix, nemo igitur justus? LAR FAM. Etiam hinc respondeo. Sunt aliqui, fateor, justi prope, sed prima horum est ca-

lamitas. Estne aliquid quod requiras? QUER. Imo, edepol, nihil. Meam mihi concede sortem, quando nihil melius reperi. LAR FAM. Igitur quamquam felicem esse te constiterit, tamen etiamnunc beatiorem te futurum ut agnoscas volo. Aurum hodie multum consequere. QUER. Ludis nos: fieri hoc non potest. LAR FAM. Quam ob causam? QUER. Quia non est via. LAR FAM. Sane difficile est nobis facere atque invenire, quod tu non intellegis. QUER. Dic quæso, numquid rex aliquid largietur? LAR FAM. Nihil. QUER. Numquid amicus donabit aliquid? LAR FAM. Nihil. QUER. Numquid ex transverso quispiam me hæredem instituet? LAR FAM. Nihil minus. QUER. Numquid thesaurus alicubi defossus apparebit ante oculos meos? LAR FAM. Atqui si thesaurus domi tuæ lateret, prius alteri esset ostendendus, quam tibi. QUER. Et quidem sum habiturus egomet, quod mihi nullus dabit? LAR FAM. Vade jam nunc, et quidquid contra te est, facito. QUER. Cur ita? LAR FAM. Sic expedit. Fallenti credito: circumvenienti operam atque adsensum accommoda: fures si ad te venerint, excipe libenter. QUER. Tum si aliquis meis ædibus facem subiciet, juberesne me oleum infundere? LAR FAM. Noveram te crediturum non esse. QUER. Fures mihi ac prædones cui bono? LAR FAM. Ut si quid tibi spei aut præsidii est, totum auferant. QUER. Cur ita? LAR FAM. Ut sis dives. QUER. Quomodo? LAR FAM. Bona si perdideris tua. QUER. Quamobrem? LAR FAM. Ut sis felix. QUER. Quomodo? LAR FAM. Si fueris miser. QUER. Istud plane est, quod sæpe audivi, obscuris vera involvere. Sed quid facere me jubes? LAR FAM. Quod contra te putas. QUER. Dic ergo quid sit, ne fortasse aliquid pro me faciam nesciens. LAR FAM. Quidquid egeris, gesserisve hodie, pro te fiet. QUER. Quid si egomet nolo? LAR FAM. Velis, nolis, hodie bona fortuna ædes intrabit tuas. QUER. Quid si ædes obsero? LAR FAM. Per fenestram defluet. QUER. Quid si et

fenestras clausero? LAR FAM. O stulte homo! prius est ut hæ pateant, ipsaque sese tellus aperiat, quam ut tu excludas vel submoveas, quod mutari non potest. QUER. Igitur quantum intellego, non mihi præstatur, quod velim nolim faciundum est. LAR FAM. Neque ego id exspectabam, ut gratias ageres, sed ut Querolum te constaret in omnibus. QUER. Tu nunc quo tendis? LAR FAM. In ædes tuas, immo nostras me recipio : inde ibo quo libet. Ita tamen usque quaque pervagabor, ut te nunquam deseram.

SCENA TERTIA.

QUEROLUS.

Incertus ego sum factus magis hodie quam semper fui : quid ergo nunc faciam cum responso hujusmodi? Cujusquam ne oraculum tale unquam datum est, ut ipse sibimet male quæreret, aut non excluderet, si fieri posset, ingruentem miseriam? Perde, inquit, si quid est tibi domi, ut adquiras plurima. Mea si mihi auferantur, aliena quando aut quis dabit? Vade, inquit, fures require, prædones recipe in domum. Primum hoc si cognosci atque etiamsi probari potuerit, nonne judex jure optimo pessumdabit, tamquam latronum conscium? Sed ubinam fures ipsos modo requiram, ubi investigem, nescio. Ubinam ille est cohors fuliginosa, vulcanosa, atra, quæ de die sub terras habitant, nocte in tectis ambulant? Ubi illi sunt, qui urbane fibulas subducunt, quique curtant balteos? Nisi fallor, unum ex ipsis video : atque ecce rem gerit. Hem, tibi clamo, impostor. Ohe, cessa : euge, servata est fibula. Attat, spes mihi nulla est; mandato excidi. Interdictum fuerat ne obviarem furibus, verum! ne excluderem. Hercle, hoc stultum est : nihil prorsus hinc placet. Atque,

edepol, nisi fallor, iste qui apud me est locutus, urbanus est homo. Num quodnam meritum nunc meum, ut mihi potissimum res divina ostenderetur? Hic nescio quid est præstigii. Vereor, hercle, ne furtum, quod denuntiabat, jam perfecerit. Ego me hac intus refero, atque hominem, si reperero, continuo producam foras.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

MANDROGERUS, SYCOPHANTA, SARDANAPALUS.

MANDR. MULTUM sese aliqui laudant qui vel pugnaces feras vel fugaces bestias, aut vestigiis insequuntur, aut cubilibus deprehendunt, aut casu opprimunt. Quanto mihi majus est ingenium et lucrum, qui homines venor publice? Sed quos homines? divites et potentes et literatos maxime. Mandrogerus ego sum, parasitorum omnium longe præstantissimus. Aula quædam hic jacet, cujus odorem mihi trans maria ventus detulit. Cedant juris conditores : cedant omnia coquorum ingenia : cedant Apici fercula. Hujus ollæ conditum solus scivit Euclio. Quid miramini? Aurum est, quod sequor : hoc est, quod ultra maria et terras olet. Quid ad hæc vos dicitis, novelli atque incipientes nunc mei? Quando hæc discere potestis? quando sic intellegetis? quando sic docebitis? SYC. Atqui si scias, Mandrogerus noster, quale egomet somnium hac nocte vidi. MANDR. Dic, obsecro, si quid est boni. SYC. Nocte hac videbam thesaurum, quem sperabamus nobis venisse in manus. MANDR. Quid tum? SYC. Videbam ex parte solidos. MANDR. Ha, istud non placet. SYC. Erant præterea uncinuli hamati, torques et catenulæ. MANDR. Dic, quæso, aliqua insuper non somniasti vincula et verbera? SARD. Infaustum, hercle, hominem! solum hic non vidit carcerem. Ohe homo prodigiose, ego te jam nunc explodo cum verbis tuis. Nocte ista ego insomnis funus

vidi. MANDR. Di te servent hic bene. SARD. Et nos ipsi funus illud nescio quo ferebamus. MANDR. Optime. SARD. Etiam insuper deflebamus defunctum illum, quasi alienum tamen. MANDR. Audiu' tu istæc, stulte homo? Talia egomet etiam manifesta malo, quam tua somnia. Funus ad lætitiam spectat : lacrimæ ad risum pertinent. Et mortuum nos ferebamus, manifestum est gaudium. Ego autem meum vobis narrabo somnium prorsus manifestissimum. Dicebat nescio quis somnianti nocte hac mihi servari manifesta fide, nec cuiquam alteri concessum esse aurum illud invenire nisi mihi. Sed insuper adjecit ex istis opibus hoc tantummodo mihi profuturum, quod consumsisset gula. SYC. Optime, edepol, somniasti. Quid autem aliud quærimus, nisi tantum quod sufficiat ventri et gulæ? SARD. Pulcre, edepol, somniasti. Felicem te, Mandrogerus, nosque qui tecum sumus. MANDR. Sed heus tu Sycophanta noster, nisi me fallit traditio, jam perveuimus. SARD. Ipsa est platea, quam requiris. SYC. Recurre ad ædiculam cito. MANDR. Sacellum in parte argentaria ex diverso. SYC. Utrumque sic est. MANDR. Ventum est. SARD. Quid prætcrea? MANDR. Domus excelsa. SYC. Apparet. MANDR. Iliginis foribus. SARD. Ipsa est. MANDR. Attat quam humiles hic fenestras video. Euge, hic frustra clauduntur fores : tum prætera inermes quantum inter sese distant regulæ. Secura, hercle, regio hic mihi, et fures nil nocent. Sed interius mihi aurum olet. Alia tentaudum est via. Heia nunc, Sycophanta noster, tuque Sardanapale, si quid vobis ingenii, comitatis et virtutis, nunc totum ostendite : ego tanquam Cynicus magister inventa et inclusa trado gaudia. Retia vosmet obsidete, dum percurro cubilia. Jam omnia tenetis animo, quæ jam dudum diximus, quæque exinde meditamur nocte ac die? SYC. De atrio porticus, in recte rationem tenes. SARD. In sacrario tria sigilla. MANDR. Convenit. SYC. Arula in medio.

MANDR. Sic sunt omnia. SARD. Aurum ante aram. MANDR. Hoc jam nostrum est. Quid? ipsius Queroli indicia jam tenetis? SYC. Melius, hercle, quam tua. Tu vide an divinare possis; nos mentiri novimus. MANDR. Ego istuc in parte hac deambulatum ibo : illinc observabo omnia : atque, ubi res vel ratio postularit, continuo hic adero. SYC. Nos quoque paululum istac secedamus, ne suspicionem improbitas paret.

SCENA SECUNDA.

QUEROLUS, SYCOPHANTA, SARDANAPALUS.

QUER. Noster ille, qui mecum est locutus, nusquam apparuit, neque aliquid subripuit intus. Iste plane homo non fuit. SARD. Hem, ipse est: vellem, hercle, audire hunc hominem, quem vidi modo. Ego magos mathematicosque novi; talem prorsus nescio. Hoc est divinare hominem, non qualiter facere quidam risores solent. QUER. Hem, quemnam divinum isti esse dicunt? SARD. Sed hoc novum est, quod vidi modo : ubi te aspexerit primum, tuo te vocat nomine, dein parentes, servos, atque omnem familiam exponit; quasi noverit quid tota gesseris ætate, quidve postea sis acturus, totum edisserit. QUER. Bellus, hercle, hic nescio qui est: non prætereunda est fabula. SYC. Quæso, sodes, adgrediamur hominem illum ratione qualibet. SARD. O me stultum atque ineptum, qui non consului statim! SYC. Et ego, hercle, vellem: verum, ut nosti, non vacat. QUER. Cur non omnia agnosco? Salvete amici. SYC. Salvus esto, qui salvos esse nos jubes. QUER. Quid vos, secretumne aliquod? SARD. Secretum a populo, non secretum a sapientibus. QUER. De mago nescio quid vos audivi. SARD. Ita est, de nescio quo nunc sermo erat, qui omnia divinat. Verum quisnam ille homo sit, nescio.

QUER. Estne talis aliquis? SARD. Maxime ergo, Sycophanta, ut dixeram, per te tuosque, mi sodes, te rogo ut illac venias, venias mecum una simul. SYC. Jamdudum dixi, ultro et libenter irem, si vacuum nunc esset mihi. SARD. Mane paulisper. QUER. Quæso, amice, ne te subripias tam cito. Egomet quoque scire cupio, quisnam iste est, de quo sermo nunc erat. SYC. Edepol, nescio quid aliud mihi est negotii : cognati atque amici jamdudum me exspectant domi. SARD. Magna, hercle, hominis difficultas et persuasio : neque nunc te amici exspectant, neque cognati : paulisper mane. QUER. Quæso, amice, si mea non est odiosa societas, consulere vobiscum volo. SARD. Vereor, hercle, ne difficilem se nobis faciat, si plures videt. SYC. Optime, edepol: ecce, sodes, comitem quærebas, habes : mihi molestus ne sies. QUER. Quæso, amice, si huic ita videtur, abeat, nos illac una simul. SARD. Atque isto nobis est opus, quoniam hominem illum vidit et novit bene. QUER. Justum est ut nobis hodie operam inpendas, quoniam sic ratio expostulat. SYC. Imo, hercle, iste illum novit melius atque ille hunc familiariter. QUER. Sed, quæso, nunc vestram fidem, quisnam hic homo est, vel cujus loci? SYC. Quantum comperi, Mandrogerus vocatur : hoc scio. QUER. Attat, pulcrum, hercle, nomen : jam hoc de Magis existimo. SYC. Primum præterita edicit, si omnia cognoscis, tum de futuris disserit. QUER. Magnum hercle hominem tu narras, et consuli hunc non placet? SYC. Volo equidem, sed paulisper non vacat. QUER. Age, da operam amicis : nobis quoque similiter impera, si quid voles. SYC. Habeo gratiam : quoniam istud vultis, fiat. Sed audite quid loquor, hujusmodi homines impostores esse. QUER. Hem, sodes, ipsud volebam dicere. Certe ferulas non habet; neque cum turbis ambulat. SYC. Ha, ha, he, tales, hercle, consulere hic deberet homo curiosissimus? SARD. Verbis quantum vult, ille fallat : plus de nobis

non licet. SYC. Si vobis ita videtur, placeat ut ego hominem scisciter, atque ut omnia perquiram non uno modo: si mihi ille de omnibus respondere potuerit, sciatis vere hunc esse divinum vel magum. SARD. Dixisti optime. Sed eccum ipse hac præterit: ita ut volui contigit: quanta in ingressu gravitas, quanta in vultu dignitas! QUER. Adgrediamur hominem, atque a publico sevocemus, ut secreto disserat.

SCENA TERTIA.

QUEROLUS, MANDROGERUS, SYCOPHANTA, SARDANAPALUS.

QUER. Salve, Mandrogerus. MANDR. Salvos esse volo. QUER. Tu quoque incolumis esto, sacerdotum maxime, quoniam laudaris ac diligeris plurimum merito tuo. SYC. Scin' tu, Mandrogerus, quid ex te voluimus noscere? MANDR. Quænam? fortasse novi. SYC. Consulere de quibusdam volumus et cognoscere tuam insignem sapientiam. MANDR. Non equidem constitueram: sed quoniam ita vultis, consulite, ut respondeam. SYC. Quæsumus ut libenter nobis operam tuam impendas: prolixa nunc disceptatione opus est. MANDR. Dicite quid velitis. SYC. Primum ut exponas quæsumus, quæ sunt optima sacrorum genera vel cultu facilia. MANDR. Duo sunt genera potestatum: unum quod jubet, aliud quod obsecundat. Sic reguntur omnia. Præclarior majorum potestas; sed minorum sæpe utilior gratia. Verum de majoribus dicere, neque mihi dicere, neque vobis audire est utile. Itaque si et invidiam et sumtum evitatis, sperate ab inferioribus. SYC. Quænam ista sunt obsequia, quibus obsequi nunc oportet? MANDR. Dicam celeriter. Tria sunt in primis: planetæ potentes, anseres inportuni, et Cynocephali truces.

Has tu effigies omnibus in fanis et sacellis si intueare, vel placare potueris, nihil est obstare quod possit tibi. SYC. Illosne, quæso, tu mihi planetas loqueris, numeris qui totum rotant? MANDR. Ipsos : nec visu faciles nec dictu affabiles : atomos in ore volvunt, stellas numerant, maria æstimant : sola mutare non possunt sua. SYC. Egomet audieram, quod ipsi omnia gubernarent. MANDR. Ha, ha, he, hic si aliquid gubernare censes, nescio ubi naufragium dixeris. Ubi rerum omnium penuriam esse norunt, illic homines congregant. Summa est medella, vicissim alia ut evertat loca : messes hac atque illac transferunt diris tempestatibus, omnesque fructus paucorum improbitas capit. SYC. Novum tibi est, transferri messes? MANDR. Istis licet rerum omnium species atque formas, ut libuerit, vertere. Sed quot gradibus et transfusionibus? aliud ex alio jubent : triticum ex vino subito fieri videas; vinum ex tritico. Jam flava seges hordei facile efficitur ex quovis titulo et nomine : mortales vero animas sive inferis sive superis addere, nullus labor. SARD. Vides ergo tam potentes placari oportere? MANDR. Ha, ha, he, paucis hoc licet : sacraria istæc nimis superba sunt et sumtuosa, maxime si obaudire vultis, exiguo votum soli sacello solvite. SYC. Et oracula istæc ubinam specialiter sunt expetenda? MANDR. Ubi libet, hac atque illac, sursum deorsum, in terra, in mari. SYC. Et quisnam infelix deprehendere aut adire possit hæc tam varia sidera? MANDR. Adire facile est : abire inpossibile. SYC. Quamobrem? MANDR. Mysteria sunt in aditu diversa et occulta, quæ nos soli novimus, harpyiæ, cynocephali, furiæ, ululæ, nocturnæ striges : absentes hydris congregant; præsentes virgis submoveut : ita neque abesse licitum est, nec adire tutum : turbas abigunt et turbas amant. Quid plura, Querole? Si te numina diligunt, ne tu quidquam hinc noveris. SYC. Atqui, sacerdos noster, mysterium hoc jam displicet:

de secundo illo genere anserino edissere atque expone, si quid est boni. MANDR. Isti sunt qui pro hominibus perorant ante aras atque altaria, quibus cygnea sunt capita et colla : reliquias edere mensarum solent. Isti sunt ariolorum longe fallacissimi. Tantum est quod vota hominum interpretantur et male, precemque dicunt, sed responsa nunquam eligunt congrua. SARD. Hosne tu olores esse narras? Ego in sacellis proxime anseres inspexi multos : neminem vidi cygnum : magnis gutturibus capita attollunt, alas pro manibus gerunt : primum inter sese linguam trisulco vibrant sibilo : inde ubi sonuerit unus, cuncti alas quatiunt, diris cum clangoribus. MANDR. Non parvo explentur isti : panem neque noverunt neque volunt : hordea insectantur fracta et madida : spicas nonnulli vorant : quidam etiam polenta utuntur et carne jam subrancida. SYC. En sumtum inanem. MANDR. De istis quondam magnus dixit Tullius : Anseribus cibaria publice locantur et canes aluntur in Capitolio. SYC. O genus hominum multiforme et multiplex ! His egomet fuisse arbitror matrem Circen, Proteum patrem. SARD. Edepol, neque isti placent. Cynocephalos nunc expone, si meliores putas. MANDR. Isti sunt qui in fanis ac sacellis observant vela ac limina, quibus a pectore capita sunt canina, alvi densi, pandæ manus, æditui custodesque istos Hecuba quondam postquam vere facta est canis, Anubi nupta nostro latranti Deo, omnibus templis ac delubris semper denos edidit, sic a pectore biformes, infra homines, sursum feras. Itaque ubi ignotus precator templa petierit, hinc atque hinc multisono cuncti latratu fremunt : ut adeas, tantum dabis, ut perorare liceat, multo plus dabis. Mysterium de religione faciunt et commercium : quæ communia sunt et gratuita, vendunt foris : istis omnibus litandum, si parvo nequeas, at quanti queas. Respicite ad homines potestatesque vestras, et nobis veniam date,

mihique credite, Deus facilius aditur, quam pro templo janitor. SYC. Actum est, neque istos volo, nihilque inter omnia, quæ narrasti, improbius puto. SARD. Felices vos qui non Cynocephalos pertulistis. Ego autem ipsum vidi Cerberum, ubi nisi ramus aureus adfuisset, Æneas non evaserat. SYC. Quid de simiis? MANDR. Istæ sunt, quæ futura scribunt gesta, quæ vos dicitis : hominumque fata levibus volvunt paginis : non quidem periculosa hæc animalia, sed molesta atque improba. Quas illic sannas, quos corymbos videas, si numos non asperseris? Nam si insuper nuces et sorba dederis, omnem pupillum ceperis. SYC. Harpyias, quæso, præteristi, quæ semper rapiunt et volant. MANDR. Istæ sunt, quæ vota hominum observant atque honores numinum : non solum solemnia, verum etiam extraordinaria requirunt, et parentum debita : si aliquid ad diem præsentatum non est, cum tormentis exigunt : hac atque illac totum per orbem juxta terras pervolant : digitos ad prædam exacuunt curvis timendos unguibus, semperque mensis advolant : quod contingunt, auferunt ; quod relinquunt, polluunt. Istæc prodigia alere quam nosse malo : sed neutrum placet. SARD. Noctivagas etiam præteristi celeres, capripedes, hirquicomantes. MANDR. Innumerabilia sunt hæc prodigia ; sed ignava et vilia : solum hoc est, quod sequuntur atque observant unice panem domini. SYC. Omnia sacra tute ipse improbasti : quænam igitur prædicas ? MANDR. Quoniam simpliciter interrogastis, scitote inter istæc omnia nihil esse melius, quam ut aliquis fato nascatur bono. QUER. Et ita suspicamur. Sed fatum ipsum qualiter tandem coli vel propitiari potest? MANDR. Dicam. Genii sunt colendi, quoniam ipsi decreta fatorum regunt : isti sunt placandi atque exorandi ; simulque si qua intra ædes latet mala fortuna, vincienda atque exportanda est. QUER. Pulcre, edepol, doces, sed ut facilius nunc sequamur omnia, da nobis experimentum

tuæ potestatis et sapientiæ : quoniam ea, quæ noveras, narrasti, nunc, si potes, ea quæ nescis, dicito. MANDR. Non equidem ex integro fieri istud potest : tamen accipite pauca, de quibus intellegatis cætera. Certe egomet neque mores, neque facultates vestras didici. SARD. Certum est. MANDR. Tu, Sardanapale, pauper es. SARD. Agnosco : verum tamen vereor, ne plures hoc sciant. MANDR. Humili loco natus. SARD. Ita est. MANDR. Ideo tibi contra regium nomen datum est. SARD. Ita aiunt. MANDR. Homo es vorax, petulans et calamitosissimus. SARD. Heo, Mandrogerus, numquidnam hoc sum precatus, ut vitia enarres mea? MANDR. Mentiri mihi non licet. Estne adhuc quod narrare me velis? SARD. Utinam ne istæc quidem de me locutus esses; si quidem, ulterius hæc amicis dicito. SYC. Ego te, Mandrogerus, hoc exoro, futura nunc mihi ut enarres et ea tantummodo, quæ sunt bona. MANDR. Ego non possum nisi a capite exponere. Tu, Sycophanta, nobili et claro natus es loco. SYC. Ita est. MAND: Ab initio nequam. SYC. Etiam hoc confiteor : manet. MANDR. Damna te premunt. SYC. Verum est. MANDR. Periculum sæpe tibi incumbit igni, ferro, flumine. SYC. Pulcre, edepol, omnia narravit, quasi qui mecum vixerit. MANDR. Datum tibi est de proprio nihil habere. SYC. Intellego. MANDR. Sed de alieno plurimum. SYC. Jam istud nobis sufficit. Nunc illud te quæsumus, ut etiam huic responsa tribuas, homini minime malo. MANDR. Ita fiat. Heus tu, amice, tun' Querolus diceris? QUER. Dii te servent, ita est. MANDR. Quid horæ nuncupamus? SYC. Inter sextam et tertiam. QUER. Nihil fefellit : de clepsydra respondisse hominem putes. Hem, quid igitur? Mars trigonus, Saturnus Venerem respicit, Jupiter quadratus, Mercurius huic iratus, Sol rotundus, Luna in saltu est. Collegi omnem jam genesim tuam, Querole : mala fortuna te premit. QUER. Agnosco. MANDR. Pater nihil reliquit : amici nihil lar-

giuntur. QUER. Verum est. MANDR. Vis totum audire? Vicinum malum pateris, servum pessimum. QUER. Agnosco omnia. MANDR. Vis et nomina servulorum tibimet etiam nunc eloquar? QUER. Audire cupio. MANDR. Servus tibi est Pantomalus. QUER. Verum est. MANDR. Est alter Zeta. QUER. Manifestum est. SYC. O sacerdotem divinum! MANDR. Visne adhuc amplius? Scisne a me domum tuam ignorari? QUER. Maxime. MANDR. Porticus tibi est in dextra, ut ingrediaris sacrarium e diverso. QUER. Ita sunt omnia. MANDR. In sacrario tria sigilla. QUER. Verum est. MANDR. Tutelæ unum, Geniorum duo. QUER. Jamjam comprobasti potestatem ac disciplinam : nunc remedium promito. MANDR. Ubi celeriter consuli potest et sine sumtu ac mora : sacrarium certe solum ac secretum est. QUER. Ita. MANDR. Certe nihil est illi conditum. QUER. Nihil præter sigilla. MANDR. Solemnitas quædam ibidem celebranda est : sed religio tecum omnes exclusit foras. QUER. Ut libet. MANDR. Religio per extraneos celebranda est. QUER. Ita fiat. MANDR. Si quosdam possumus nunc invenire tam cito, optimum erat atque opportunum, isti si vellent operam nunc tibi dare. QUER. Quæso, amici, officium nunc et religionem inpendite : ego quoque si opus fuerit, vobis operam præstabo meam. SYC. Nihil quidem istinc novimus : sed si ita facto opus est, fiat. SARD. Inhumanum est votis operam denegare. MANDR. Bene dicitis : ambo estis boni. QUER. Pro nefas! mene quasi ex consilio non solum fore? Hem, Pantomale, celeriter jam nunc pervola, et arbitrum vicinum nostrum, ubicumque jam nunc repereris, usque ad nos pertrahe. Sed novi egomet te : vade jam nunc et cauponibus tete hodie colloca. MANDR. Nescis, Querole, fatum ac decretum momentis regi? QUER. Quid igitur? MANDR. Hora est, synastria istæc mihi placet : nisi jam nunc aliquid geritur, frustra huc venimus. QUER. Eamus igitur intus. MANDR. Tu præcede : nos tecum sumus. Hem, quod exciderat,

estne aliqua tibi arcula inanis? QUER. Non una quidem. MANDR. Una tantum est opus, in qua lustrum illud exportetur foras. QUER. Ergo et claves largior, ut inclusa excludatur calamitas. MANDR. Omnia sunt peracta, quod bonum, faustum felixque sit huic domui. Nos præsto sumus.

SCENA QUARTA.

PANTOMALUS, SERVUS.

Omneis quidem dominos malos esse constat, et manifestissimum est : verum satis sum expertus, nihil esse deterius meo. Non quidem periculosus ille est homo, verum ingratus nimium et rancidus. Furtum si admissum domi fuerit, exsecratur tamquam aliquod scelus : si destrui aliquid videat, continuo clamat et maledicit quam male. Sedile, mensam, lectum si aliquis in ignem iniciat, festinatio nostra ut solet, etiam hinc queritur. Tecta si percolent, si confringantur fores, omnia ad se revocat : omnia requirit : hercle, hic non potest ferri. Expensas autem rationesque totas propria perscribit manu : quidquid expensum non docetur, postulat reddi sibi. In itinere autem quam ingratus atque intractabilis! Quotiens autem est antelucandum, primum vino, dein somno indulgemus : hinc primum est jurgium. Post autem inter somnum et temetum necesse est, ut sequantur plurima : turba trepida, perquisitio jumentorum, custodum fuga, mulæ dispares, juncturæ inversæ, mulio nec se regens. Huic rei prorsus nova in itinere culpa. Quando autem aliud fuit, fit paulisper patientia : totum istud emendat mora. At contra Querolus causam ex causa quærit : aliud ex alio ligat : movere inutile carpentum non vult neque animal debile : continuoque clamat, quare istud non suggessisti

prius? quasi ille prius videre hoc non potuerit. O iniqua dominatio! Ipse autem si culpam fortassis advertit, dissimulat et tacet, et tum litem intendit, quando excusatio nulla jam subest, ne postea succurrat illud, jam volebam dicere. Jam quotiens ultro citroque extrudimur, necesse est remeare ad diem. Atque ut agnoscatis penitus artem hominis pessimi, unam semper ultra justum nobis largitur diem, ut ad præscriptum revertamur. Nonne iste irarum causas quærirat? Nos autem semper, quidquid libet aliud alio fuerit tempore, illam nobis specialiter diem tribuimus, qua redituri sumus. Itaque dominus, qui falli sese non vult neque decipi, quem kalendis velit adesse, redire jubet pridie. Illud autem quale est, quod temulentum exsecratur, atque agnoscit quam cito? modum qualitatemque vini in voltu et labiis primo conspectu videt: falli se prorsus non volt, neque circumveniri, ut solent. Quisquamne huic possit bene aut servire aut obsequi? calidam fumosam non volt, neque calices unguentatos. Quænam sunt hæ deliciæ? urceolum contusum et infractum œnophorum exauriculatum et sordidum, ampullam truncam limosamque densis fultam cerulis, non simpliciter intuetur: bilem tenere vix potest. Jam excogitare nequeo, quid sit, quod tam pravis placere possit moribus. Vinum autem corruptum tenuatumque lymphis continuo intellegit. Solemus etiam vinum vino admiscere: numquid adulterium dici hoc potest, quum lagena vetere castrata succo rursus completur novo? Etiam hoc Querolus crimen indignum putat, et ut est nequitia, suspicatur hoc statim. Ipsum etiam paxillum argenti levibus tensum tympanis limari commutarique semper credit, quia factum est semel. Quantula est autem discretio? In argento certe unus est color: nam de solidis mutandis mille sunt præstigia: multa, remuta facimus, et hoc mutari non potest. Has saltem distingui non oportet tam gemellas formulas. Quid

tam simile quam solidus solido est? Etiam hic distantia quæritur in auro, voltus, ætas et color, nobilitas, litteratura, patria, gravitas, usque ad scriptulos quæritur, in auro plus quam in homine. Itaque ubi aurum est, totum est. Hoc ante Querolus ignorabat: sed mali perdunt bonos. Ille autem arbiter, ad quem nunc eo, quam sceleratus est homo? Servis alimenta minuit, opus autem plus justo imperat, inverso, hercle, modio, si liceret, turpe eliceret lucrum. Itaque si quando isti casu vel consulto se vident, tunc invicem sese docent: et tamen, hercle, ut omnia dicantur, si necesse est, malo meum. Adhuc ille noster, qualiscumque est, tamen avarus non est in suos: solum illud est, quod nimium crebro verberat, semperque clamat. Itaque illis ambobus Deus iratus sit: et non sumus tamen tam miseri atque tam stulti, quam quidam putant. Aliqui somnulentos nos esse credunt, quoniam somniculamur de die: nos autem id facimus vigiliarum causa, quia vigilamus noctibus. Famulus, qui diurnis quiescit horis, omni vigilat tempore. Nihil unquam melius in rebus humanis fecisse naturam quam noctem puto: illa est dies nostra: tunc aguntur omnia. Nocte balneas adimus, quamvis sollicitet dies: lavamus autem cum pedisequis et puellis. Nonne hæc est vita libera? Luminis autem vel splendoris illud subornatur, quod sufficiat, quod publicet. Ego nudam teneo, quam domino vestitam vix videre licet. Ego latera lustro: ego effusa capillorum metior volumina: adsideo, amplector, foveo, foveor. Cuinam dominorum hoc licet? Illud autem nostræ felicitatis caput, quod inter nos zelotypi non sumus: furta omneis facimus, fraudem tamen nemo patitur, quoniam totum hoc mutuum est. Dominos autem observamus atque excludimus: nam inter servos et ancillas una conjugatio est. Væ illis, apud quos domini vigilias multam in noctem protrahunt. Tantum enim servis de vita abstuleris,

quantum de nocte abscideris. Quanti sunt ingenui, qui transfigurare se vellent hoc modo, mane ut domini fierent, servi ut vespere? Nunquam tibi, Querole, opus est, tecum istæc omnia nos exercere : tu autem tributum cogitas, nobis autem cotidie nuptiæ, natales, joca, dibacchationes, ancillarum feriæ : propter hoc quidam nec manumitti volunt. Quis enim tantam expensam tantamque inpunitatem præstare possit libero? Sed nimium hic resedi. Meus ille, credo, jam nunc clamavit, ut solet. Fas erat me facere, quod præcepit, id est, ut ad sodales pergerem. Sed quidnam hic fiet? Accipienda et mussitanda injuria est. Domini sunt, dicant quod volunt, quamdiu libuerit : tolerandum est. Dii boni! nunquamne indulgendum est mihi, quod dudum peto, ut omnis ille durus et dirus nimis aut ex municipe, aut ex togato, aut ex officii principe? Quamobrem istud dico? Quia post indulgentiam sordidior est abjectio. Quid igitur optem, nisi ut faciat ipse quod facit? Vivat ambitor togatus, convivator judicum, observator januarum, servulorum servulus, rimator circumforanus, circumspectator callidus, speculator captatorque horarum et temporum, matutinus, meridianus, vespertinus : impudens salutet fastidientes : occurrat non venientibus : utaturque in æstu tubulis angustis et novis.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

MANDROGERUS, QUEROLUS.

MANDR. DEPONE ab humeris, Querole, pondus tam grave: satisfactum est religioni quod tute ipse malam fortunam portasti foras. QUER. O Mandrogerus, fateor, nunquam fieri posse hoc credidi: potentiam tuam et religionem ipsa res probat: arcula istæc jamdudum a me introlata est: quam levis mihi soli fuit, et nunc quam gravis est duobus? MANDR. Nescis nihil esse gravius fortuna mala? QUER. Edepol, novi et scio. MANDR. Dii te servent, homo. Mihi ipsi hoc præter spem venit, quod me laudas modo. Nullam unquam domum sic purificatam retineo: quidquid erat calamitatis egestatisque, inclusimus. QUER. Miror, hercle, unde pondus. MANDR. Enarrari subito hoc non potest. Cæterum solet evenire, ut istæc calamitas moveri multis non possit jugis. Jam istinc ergo ministri nunc mei lustrum istud in fluvios dabunt. Tu autem monita, quæ jam nunc dabo, sensibus imis cape. Mala hæc fortuna, quam abstulimus, redire tentabit domum. QUER. Nec Dii sinant: una sit illi istæc et perpetua via. MANDR. Triduo ergo istuc periculum tibi est, ne hæc ad te redire tentet res mala. Tu igitur universo hoc triduo domi clausus esto nocte ac die. Nihil de domo tua foris nunc dederis, nihilque intra ædes recipias: vicinos, cognatos, amicos omneis tanquam profanos respue: ipsamque bonam fortunam clamantem pulsantemque nemo hodie au-

diat. Exacto autem hoc triduo illud domi non habebis, quod ipse ex ipsa excluseris. Abi ergo intus. QUER. Ego vero, ac libens, dum tantummodo inter me ac fortunam meam solum paries intersit. MANDR. Celeriter huc abige: hem, Querole, fortiter nunc claude fores. QUER. Factum est. MANDR. Seras et catenas adhibe. QUER. Tanquam pro memet fecero.

SCENA SECUNDA.

MANDROGERUS, SYCOPHANTA, SARDANAPALUS.

MANDR. Pulcre, edepol, res processit. Inventus, spoliatus, clausus est homo. Sed ubinam ornam respicimus? vel ubi arculam istam confringemus atque abscondemus, ne furtum indicia prodant. SYC. Nescio, edepol, nisi ubicumque in flumine. SARD. Credis, Mandrogerus? præ gaudio ornam illam inspicere non ausus fui. SYC. Neque ego. MANDR. Atqui, hercle, ita facto opus fuit, ne mora suspicionem afferret. SYC. Verum est. MANDR. Primum fuit, ut inveniretur. Istud jam sequitur: tutum est. SYC. Quidquid libet narres, Mandrogerus, recedamus qualibet. Ego autem non credam mihi, nisi aurum iuspexero. MANDR. Neque ego dissimulo; pergamus. SYC. Hac atque illac, tantum ad secretum locum. MANDR. Pro nefas, viæ omneis asservantur, ripæ frequentantur. Pergamus quocumque celeri.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

ARBITER, PANTOMALUS.

ARB. Hem, Pantomale, domi quid agitur? vester ille quid facit? PANT. Quod nosti, male. ARB. Ergo queritur? PANT. Non plane: ita sit nobis incolumis atque propitius. ARB. Atqui, hercle, solet esse ingratus. PANT. Quid vis fieri? Sic res habet. Cælum numquid æqualiter administratur? sol ipse non semper nitet. ARB. Bene, Pantomale noster, tandem pro dominis solus qui hæc dictitas. PANT. Eadem dico vobis absentibus præsentibusque. ARB. Credo: nam semper novi te bonum. PANT. Tu nos bonos ac semper felices facis, qui nostrum illum bene mones. ARB. Feci et facio semper. PANT. Vah! utinam ille mores servaret tuos, essetque apud nos tam patiens atque indulgens, quam tu cum tuis! ARB. Non agnosco hæc, Pantomale, suffragia: nimium nosmet prædicas. PANT. Edepol, nos omneis scimus et laudamus plurimum: utinamque illa tibi omnia eveniant, quod nos optamus servuli! ANT. Imo tibi, hercle; pellibus ossibusque vestris eveniant, quidquid optasti mihi. PANT. Ha, cur ita suspicaris? numquidnam in aliquo nos gravas? ARB. Non, sed quia vobis naturale est odisse dominos semper sine discrimine. PANT. Male imprecamur multis: verum est, et sæpe et libere: sed illis sycophantis et maliloquis, quos nosti bene. ARB. Age: jam credo. Sed quidnam tu dominum facere aiebas? PANT. Rem divinam cœperat. Magus præsto erat cum ministris: intus omnes tunc ibant simul. ARB.

Quidnam est hoc, quod fores clausas video? credo divinam rem geruut. Evoca illinc aliquem. PANT. Hem Theocles, hem Zeta : aliquis huc adsit cito : quidnam esse hoc dicam? Silentium est ingens : nemo est. ARB. Solebant non ita somniculari janitores ista in domo. PANT. Credo, hercle, religionis causa ab importunis cautio est. Eamus huc ad pseudothyrum, quod nosti bene. ARB. Quid si illic clausum est? PANT. Ne vereare, me duce. Noster ille est aditus : claudi, non intercludi potest.

SCENA SECUNDA.

MANDROGERUS, SYCOPHANTA, SARDANAPALUS.

MANDR. O me miserum! SYC. O me infelicem! SARD. O me nudum et naufragum! SYC. O magister Mandrogerus! SARD. O Sycophanta noster! MANDR. O pater Sardanapale! SARD. Sumite tristitiam, miseri sodales, cucullorum tegmina : plus est hoc quam hominem perdidisse : damnum vere plangitur. Quid agitis nunc potentes? quid de thesauris cogitatis? Aurum in cinerem versum est : utinamque totum sic fieret aurum : magis essemus divites. MANDR. Depone pauper inane pondus, lacrimas demus funeri. O fallax thesaure! næ te ego per maria et ventos sequor : propter te feliciter navigavi : propter te feci omnia : mathesin et magicam sum consequutus, ut me sepulti fallerent? aliorum fortunam exposui; fatum ignoravi meum. Jamjam omnia recognosco, varia hæc phantasmata. Erat hic plane bona fortuna, sed alteri debebatur, non mihi : nostra mutavere fata : thesaurum nos sed alienum invenimus. Quænam hæc perversitas? nunquam ego flevi meum, nunc plango alienum; et te, Querole, justus non tangit dolor? SARD. O crudele aurum! quisnam te morbus tulit? quis te sic rogus adussit? quis te subripuit magus?

Exhæredasti nos, thesaure : quonam redituri sumus tot abdicati? quæ nos aula recipiet? quæ nos olla tuebitur? MANDR. Accede, amice, aulam iterum atque iterum visita. SYC. Aliam spem quærere, amice, poteras; hæc jam non calet. MANDR. Perlege, quæso, iterum titulum funeris atque omnem scripturæ fidem. SARD. Quæso, inquam, sodes : funus egomet quodlibet contingere nequeo : nihil est quod metuam magis. SYC. Meticulosus homo es tu, Sardanapale; ego perlego : Triciinus Tricipitini filius conditus et sepultus hic jacet. Hem me miserum, hem me miserum! MANDR. Quidnam tibi est? SARD. Anima in faucibus. Audieram egomet olere aurum : istud etiam redolet. MANDR. Quomodo? SYC. Claustrum illud plumbeum densa per foramina diris flagrat odoribus. Nunquam antehac comperi, aurum sic ranciscere: usurario cuilibet fœtere hoc potest. MAND. Quisnam cinerum est odor? SYC. Ille pretiosus atque tristis cultus, quem poscit miser. MANDR. Honorifice hoc bustum tractatum apparet, cujus adhuc sic redolet dignitas. SYC. Ego istæc non pertulissem, si recinenti ac monenti credidissem graculæ. SARD. Ego in laqueos non incidissem, si monita curti servassem canis. MANDR. Et qualiter te admonuit? SARD. Egredienti mihi ad angiportum suras omnes conscidit. MANDR. Utinam tibi crura ipsa enervasset, ne unquam inde movisses pedem. O Euclio funeste! parumne vivus illusisti? ne defunctus desineres? Et quid ego non merui, qui agelasto illi et perfido fidem accommodavi? et fortunas meas in ipso risit exitu? SYC. Heia, quid nunc facimus? MANDR. Quid autem nisi, quod dudum diximus, ut nos saltem de filio ejus Querolo ulciscamur probe? atque illum quoniam est credulus, mirificis ludemus modis : aulam illi per fenestram propellamus clanculum, ut et ipse lugere incipiat, quem nos jamdudum plangimus. Pedetentim accede atque ausculta, Querolus quid rerum

gerat. SARD. Consilium placet. MANDR. Accede, edepol, sed urbane respice. SARD. Attat, quid ego video? Omneis nunc intus homines fustes ac virgas tenent. MANDR. Credo, edepol, isti malam Fortunam exspectant, creduli. Accede atque homines miris terrifica modis; malam illam digito esse te et comminare, tanquam in ædes inruas. SARD. Io, Querole. QUER. Quis tu homo es? SARD. Fores celeriter [aperi], vide. QUER. Quamobrem? SARD. Ut domum rursus ingrediar meam. QUER. Hem Zeta, hem Pantomale: hac atque illac obsistite. Abi hinc potius, mala Fortuna, quo te sacerdos detulit. SARD. Hem, Querole. QUER. Quid, rogo, nomen tu vocitas meum? SARD. Ego sum tua fortuna, quam redituram prædixit magus. QUER. Abscede hinc: ego hodie fortunam non recipiam nec bonam. MAND. Heus, tu, Sycophanta, ad januam sta: homines sevoca, dum ego bustum hoc per fenestras ingero. SYC. Aperite hanc januam. QUER. Omnes celeriter huc accurrite. MANDR. Ecce tibi thesaurum, Querole, quem reliquit Euclio: talem semper habeas, talem relinquas filiis. Omnia sunt perfecta: nos hinc ad navem celeriter, ne quod etiam nunc subito hic nobis nascatur malum.

SCENA TERTIA.

SARDANAPALUS.

Ha! quid hodie acciderit, suheundum est. Tantum recurram huc paululum :- perdidi mysterium, nisi ipse Queroli verba audio. Homo est autem et credulus et formidolosus plurimum: qualiter nunc ille exhorrescit mortuum? Admovebo aurem hac leviter. Hem, quidnam ego audio? Omnes intus gaudent, tripudiant. Nulla spes mihi est. Auscultabo iterum. Actum est: felicitas ad istos venit, nobis ergo, nobis male. Omneis intus saccos, capsas,

scrinia requirunt : aurum isti tractant : solidi intus tinniunt. Heu me miserum ! Vita erat, ubi nos mortem putabamus esse conditam. Erravimus miseri, sed non simpliciter : erravimus et non semel. Metamorphosis hic agitur : bustum abstulimus, aurum abjecimus. Sed quid ego? Nunc solum hoc restat nunc mihi, ut pro fure jam nunc tenear. Ibo ad conjuratos meos, ne tantum facinus verumque fuuus solus egomet defleam.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

LAR FAMILIARIS.

TANDEM urna peperit auri gravida pondera, vilisque mater grande puerperium dedit, indigna quæ frangeretur. Tanta hoc non meruit fides. Magna plane aula et memorabilis uno atque eodem tempore domino fidem persolvit, furtum fecit furibus. O sapiens Euclio! nos jactantes non sumus; thesaurum servasti vivus, liberasti mortuus. Omnes itaque homines nunc intellegant, neque adipisci neque perdere valere aliquid, nisi ubique faveat totum ille qui potest. Quantum ad personam Queroli spectat, perfecta jam sunt omnia. Sed Mandrogerontem illum furem ac perfidum nunc illaqueari volo; qui ubi primum hoc audierit, remque omnem agnoverit, continuo rediturus est, ut thesaurum dividat. Codicillos etiam proferre audebit, quibus ita cohæres scriptus est, si aulam Querolo sine fraude ostenderet. Quid huic merito eveniat, nisi quod jam nunc fiet? Ferat, quod facere voluit: nam quod fecit, nostrum est.

SCENA SECUNDA.

QUEROLUS, ARBITER, PANTOMALUS.

QUER. O arbiter, jamne credis, quod vidisti modo? ARB. Edepol, credo et scio. QUER. Quid tu, Pantomale,

dicis? PANT. Quid ego dico nunc? flere ut posthac desinas. QUER. Mens mihi gaudio est confusa : quid primum stupeam et gaudeam? consiliumne senis nostri an divinitatis? ARB. In primis bonum divinitatis. Nam si ad hominem respiciendum est, facile intellegitur et apparet, furem tibi plus profuisse quam patrem. QUER. Quid de memet censes, qui tam tarde agnoverim fragmenta urnæ illius, quam jam dudum noveram? ARB. Ego mihi non credideram, nisi quod illico inspexi locum terramque motam; ante hoc non credidi. PANT. Atqui ego nihil dubitationis recepi, ubi in testulis quasdam literas vidi. QUER. Ergo istæc omnia Mandrogerus ille fecit? ARB. Aut quid fieri aliud potest? QUER. O sceleratum hominem, magum mathematicum qui sese diceret! Egone manibus meis præsidium paternum ut efferrem de domo, ego memet domi reconderem, ego ut redeunti obviarem thesauro? Hoc est plane, quod Lar familiaris prædixit meus, etiam renitenti ac repugnanti ventura mihi omnia bona. ARB. Quam pulcre factum est, ut cupiditas falleretur sic hominis fallacissimi! QUER. Credis, arbiter meus, ut nosti mores munificos nimis, munerare, hercle, possim hominem, si nanciscerer? Ita ridicule sceleratus fuit, atque ipse sese lusit in omnibus. ARB. Ille quidem, ut scimus, male meruit perfidus: sed quoniam tibi per illum bene venerunt omnia, omneis illi bene optamus, facto, non merito suo. QUER. Attat, quidnam est? nisi fallor, Mandrogerus ille est eminus; quidnam ille hic revenit? novum, credo, aliquod præstigium iterum hac exhibet. Abi celeriter intus, Pantomale, et fragmenta urnæ illius hic ad nos exhibe. ARB. Placet, hercle. QUER. O bone arbiter, fraudulento isti magnam iniciamus calumniam : thesaurum nostrum ab hoc ereptum poscamus modo, atque adstruamus ab ipso nobis alienum mortuum esse conjectum domi. ARB. Consilium placet. QUER. Propositum ergo retineam : sequuntur cætera.

SCENA TERTIA.

MANDROGERUS, QUEROLUS, ARBITER.

MANDR. Ave, mi Querole! QUER. Etiam salutas, furcifer, quasi hodie me non videris? MANDR. Vidi, edepol, te, visumque iterum gaudeo. QUER. At ego jam nunc, [si] vivo, faciam, ne tu iterum facias. MANDR. Eho, quid commerui? QUER. Rogas, sceleste, qui hodie domum expilasti meam? MANDR. Missa istæc face : non sum alienus vobis : domum egomet istam jam pridem colo. QUER. Iterum ad magicas? aurum subripuisti hodie meum. MANDR. Fortassis jure feci. Non debebatur et mihi? QUER. Pulcre, edepol : solus exinde hic fui : ubinam mihi nunc tu frater nasceris, et novellus et senex? unde subito tam vetustus, qui nuper natus non eras? Nam si fratrem meum te esse adseveres, perdite, illud nunc restat, ut te dicas bimulum. Nam tertio anno pater meus ille Euclio, quum est profectus, me, hercle, reliquit solum atque unicum. MANDR. Superflua sunt ista : cohæres ego sum, non frater tibi. QUER. Non recte, edepol, fieri istud solebat. Nam mallem, amice, fratrem te quam cohæredem esse asseras. MANDR. Quid multis opus est, Querole? Quod scriptum est, lege. Sume igitur : novi fidem vestram. QUER. Hercle, explorasti. Hem, quid istuc est? « Senex Euclio Querolo Salutem dicit filio. Quia furtum tibimet fieri metuerem per servum vel per extraneum quemlibet, Mandrogerontem fidelem amicum et peregre mihi cognitum ad te direxi, ut is tibimet, quod reliqui, sine fraude ostenderet. Huic tu medium thesauri dabis, si fides ipsius atque opera expostulat. » Hem, sodes, paululum in parte huc ades. Nihil huic deberi res ipsa exponit et docet : sed usquequaque si placet in summam, si libuerit, aliquid dabitur

muneris. Tu igitur patris mei amicus ac sodalis peregre fuisti? MANDR. Ipsa res docet. QUER. Nimirum inde tam fideliter nobis commissa istæc tace. Age, amice, quoniam institutus es hæres, da quod possit dividi. MANDR. Edepol, investigavi ac dedi integrum atque inlibatum thesaurum. QUER. Heo, tu mihi thesaurum aliquem dedisti? MANDR. Tu negas? QUER. Nisi omnia in memoriam redigis, forsitan aliquid exciderit mihi. Quem tu narras thesaurum? MANDR. Quem tibi Euclio reliquit; ego tradidi. QUER. Et aurum ad te quemadmodum pervenit, homo alienissime? MANDR. Jocabar equidem, fidem equidem postea ut perspiceres meam. QUER. Tu ergo thesaurum et secretum illud, quod noster senex dereliquerat, abstulisti? MANDR. Utique hoc tibi cessit bene. Alter enim non reddidisset. QUER. Age jam, sodes, lusisti satis: restitue potius, veram ut cognoscamus fidem. MANDR. Dis gratias, vicine arbiter, quod spes nostra in tuto est. Dixin' paulo ante facere hoc non potuisse extraneum? agimus gratias. QUER. Dii te servent, amicorum optime, qui et mihi superstiti et defuncto illi servasti fidem. Sed ubinam, quæso, aulam illam condidisti? Fiat plane, quod ille præcepit senex: exprome thesaurum, divisio celebretur, quoniam præsto est arbiter. MANDR. Immo potius tu aurum exprome et fidem tuam, quoniam egomet partes explicui meas. QUER. Fatigas nos, Mandrogerus: an vere loqueris? MANDR. Edepol, vere loquor atque honeste. Nam qui totum habere potui, partem peto. QUER. Ergo inter manus thesaurus fuit noster? MANDR. Fuit, hercle. QUER. Tu nusquam hodie pedem, nisi restitues, quod abstulisse te fateris, quia ire infitias non potes. Heia, inquit, restitues, quod abstulisti? MANDR. Reddidi. QUER. Cui, quando, quomodo? MANDR. Hodie per fenestram. QUER. Ha, ha, he! tu thesaurum ubi reperisti? MANDR. Apud ædeis sacras. QUER. Quo aditu extulisti? MANDR. Hac per istam januam. QUER.

Quid igitur fuit causæ, ut per fenestram redderes? MANDR. Tu, inquam, thesaurum illum asportasti foras. QUER. Pulcre, edepol, conditionem codicillorum implevisti, qua præceptum est, ut thesaurum mihi sine fraude ostenderes. Verumtamen præscriptionem hanc transeo, qua uti possum, etiamsi aurum nunc ipse mihi traderes. Hæc superflua sunt, ubi res nusquam apparet. Redde quod negas. MANDR. O tempora, o mores, o pater Euclio! Hanccine mihi tu domi fidem prædicabas? Reddidi, fateor, omnes per Deos, ipsumque thesaurum inlibatum intra ædes projeci tuas. QUER. O arbiter bone, plus iste admisit, quam putabamus: hic, nisi fallor, ipse est, qui urnam illam funestam nobis projecit in domum. MANDR. Dii te servent: ipsam ego projeci: tandem apparet veritas. QUER. Dic, quæso, Mandrogerus, fragmenta si aspexeris, potesne agnoscere? MANDR. Ita, ut compaginari per me possint omnia. QUER. Hem, Pantomale, nescio quid paulo ante hic proferri jusseram. ARB. Præsto sunt partes illæ, in quibus titulus inscriptus fuit. QUER. Agnoscisne, Mandrogerus? MANDR. Agnosco, hercle; tandem cessent artes et præstigia. QUER. Si verum agnoveris, lege celeriter, quod scriptum hic fuit. MANDR. Et legi et lego. Cedo hinc mihi, Pantomale, fragmentorum paginas: Trierinus Tricipitini filius conditus et sepultus hic jacet. QUER. Heo, scelestissime, dispicis? Si vivorum neglexisti gratiam, etiamne mortuis manus intulisti ad ludum et ludibria? Neque contentus eruisse bustum atque cineres, ultimo per fenestram etiam funestas mihi projecisti reliquias. Quid ad hæc dicis? Thesaurum abstulisti, violasti sepulcrum, perdite: domum meam non solum compilasti, verum etiam polluisti, sacrilege: tu negas? MANDR. Quæso, quandoquidem me fortuna sic destituit, nihil quæro ulterius. Vale. QUER. At ego, hercle, quæro, cui mala omnia congessisti, scelus. Hem, Pantomale, nunquam abstoc

pedem. Ego jam nunc ubinam prætor sedeat, investigabo celeriter, atque omnia istæc exsequar jure et legibus. MANDR. Quæso, arbiter, pro me ut verba facias: nihil nisi veniam expostulo. ARB. O mi Querole, nunquam te celeriter usque ad sanguinem. Ignosce ac remitte: hæc vera est victoria. QUER. Age, reliquiæ illius defuncti reconduntur, quid de thesauro fiet? ARB. Quid dicis, Mandrogerus? MANDR. Juro per Deos, juro per ipsam, quam rupi, fidem, mihi nec aurum nec thesaurum esse. QUER. Remove paulisper inania; putemus nos paululum in judicio stare. Ornam certe illam tu abstulisti. MANDR. Factum est. QUER. Elige nunc, Mandrogerus, utrum voles, bustum illic, an aurum fuit? quandoquidem causa ejusmodi est, ut multis constet modis. MANDR. Auribus teneo lupum: neque uti fallam, neque uti confitear, scio. Utrum dixero, id contra me futurum video. Dicam tamen: Aurum illic fuit. QUER. Redde igitur. MANDR. Hoc jam factum est. QUER. Factum doce. MANDR. Ornam tu recognoscis? QUER. Quid vis ut respondeam? primum egomet aulam non recognosco: satisne hoc sufficit? MANDR. Quid? titulum non recognoscis? QUER. Magis quam te, quem hodie primum hic noscito: sed finge, nunc a nobis ornam et titulum recognosci: redde quod in aula fuit. MANDR. Tu autem quid in aula fuisse dicis? QUER. Ego interim non proposui: tu fare quid velis. MANDR. Et vos a me aurum quemadmodum postulatis, quum res ipsa bustum et cinerem comprobet? ARB. Ergo acquiescit, ut bustum illic fuerit? MANDR. Adquiesco, quandoquidem ita sese res habet. Hac non processit: alia tentandum est via. QUER. O stulte, sacrilegium confiteris, dum furtum negas. MANDR. Quid, si nihil illic fuit? QUER. Quidnam igitur postulas? Aurum si fuit, abstulisti: si non sustulisti, non fuit. MANDR. Vos, quæso, dicite vicissim, quidnam illic fuit? QUER. Nobis interim sufficit purgare nosmet, objecta repellere. Nam si te ag-

gredimur, alia tentandum via. MANDR. Quodnam hoc monstri genus est? Ego totum feci solus; totum nescio. Jamjam, quæso, quoniam mihi neque res neque causa superest, simpliciter dicite, utrumne furtum an sacrilegium ego commisi : nisi forte illud nunc restat mihi, ut qui furtum non potui, sacrilegium neque volui, utrumque fecisse convincar nefas. QUER. Etiam circuitione rem geris? Quid aliud autem in causa est, nisi quod præsidium abstulisti et cineres abdidisti? Unum fraudulenter, aliud nequiter. Neque nam te bustum expetisse, aurum abjecisse, credere quisquam potest. MANDR. Optime totum hoc asseritur, et mihi ipsi verisimile videtur: sed, si quid creditis, non est ita. QUER. Age, jam bono animo esto, nil præter sacrilegium perpetrasti : aurum autem ibi non fuit. MANDR. Furtum igitur non commisi : Dii te servent, vicimus. Nam istoc ego tempore pœnam malo quam pecuniam debere. Sed illud, quæso, exponite, unde tantum illic erat? QUER. Nescis, magus, nihil esse gravius fortuna mala. MANDR. Recognosco. QUER. Etiam quæritas, unde pondus? tegmen illius urnæ non vidisti plumbeum? MANDR. Jamjam omnia sibi conveniunt. His præstigiis etiam certus falli non potuisset magus? ARB. Nondum intellegis, inepte, impositum nobis esse ab illo, quem bene noveras. Unde autem illi thesaurum, homini prope pauperi? ac si habuisset ille, ergone iste secretum nescisset patris, tibique ille indicaret, quod non crediderat filio? Porro autem paterfamilias ille thesaurum si sciebat, illique tandem crediderat loco, tibi illic patuisset aditus? MANDR. Edepol, quid dicam, nescio. ARB. Ergo Euclionem tu non noveras? Habuit senex ille multa hæc lætissima, qui te etiam defunctus ridet. MANDR. Edepol, tandem intellego: illius plane hic nequitiam recognosco : frequenter ille similibus me lusit modis. Quæso igitur, date veniam, quod cineres illos abstuli : aurum credidi. ARB. Bene excusas,

Mandrogerus : agnosco plane Euclionis nostri sodalem: talem semper ille dixit senex. MANDR. Sinite, quæso, me abire. ARB. He, Querole, humanum ac misericordem semper fuisse te scio ; hominem tam elegantem abire ne permiseris : non unius officii homo est : magnm mathematicumque hic habes; tantum (quod primum est) furtum facere non potest. Recipe, quæso, amicum veterem et novum, quandoquidem pater Euclio solum hunc tibi reliquit in bonis. QUER. Ha, sed furem timeo. ARB. Quid nunc furem metuis? Jam totum hic abstulit. MANDR. Quæso, Querole noster : patri egomet tuo me jam devoveram : tibi nunc servire cupio, quandoquidem hodie sic misertus es mei : da victum, qui vitam indulsisti. QUER. Si, ambo, ita voltis, fiat. Potesne discere leges novas? MANDR. Ha, ha, he, illas egomet ex parte condidi. QUER. Senatusconsultum dico egomet Servilianum et Parasiticum. MANDR. Ohe, visne interdictorum capita jam nunc eloquar? Ad legem Porciam, Caniniam, Furiam, Fufiam, Consulibus Torquato et Taurca. QUER. Potesne observare omnia? MANDR. Istud apud me parvum est : tu nunc ut ediscam jubes : ego docere jam volo. ARB. Hui ! multarum palmarum hic est. Recipe, quæso, jura instructissimum : talem quærere homines pro magno solent. QUER. Quoniam ita vultis, fiat : sed ubinam illi sunt socii atque adjutores tui?

SCENA QUARTA.

QUEROLUS, MANDROGERUS, ARBITER, SYCOPHANTA, SARDANAPALUS.

SYC. Nosque præsto sumus, o parens ac patrone. QUER. O Sycophanta, o Sardanapale, hæc vestra est religio? Sed causas jam hic præstitit, vos abite quolibet. SYC. Et

nosmet scimus, Querole, quoniam tris edaces domus una non capit. Verum quæsumus, viatici nobis aliquid ut aspergas, quoniam spem omnem amisimus. QUER. Viaticum ego vobis? Quonam pro merito? SYC. Nos cum Mandrogeronte huc venimus. QUER. Digna causa : mercedem vulnerum victus accipiat.

Pauca desiderantur.

DE PLAUTO

ET EJUS SCRIPTIS VETERUM ET RECENTIORUM TESTIMONIA.

VARRO PARMENONE, APUD NONIUM, IN *poscere*, ID EST, ACCIPERE.

In Argumentis Cæcilius poscit palmam, in Ethesin Terentius, in Sermonibus Plautus.

CICERO LIB. I DE OFFICIIS.

Duplex omnino est jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum: quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri sunt referti.

IDEM TUSCUL. QUÆST. LIB. II.

Serius poeticam nos accepimus: annis enim fere CCCCX post Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio Cæci filio, M. Tuditano coss. anno ante natum Ennium, qui fuit major natu, quam Plautus et Nævius.

IDEM LIB. III DE ORATORE, EX PERSONA L. CRASSI.

Equidem quum audio socrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem servant, quod

multorum sermonis expertes ea tenent semper, quæ prima didicerunt), eam sic audio, ut Plautum mihi aut Nævium videar audire.

IDEM LIB. DE REPUBL. APUD AGUSTINUM DE CIV. LIB. II, CAP. 9.

Sed Periclem, quum jam suæ civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli præfuisset, violari versibus, et eos agi in scena non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Nævius P. et Cn. Scipioni, Cæcilius M. Catoni maledicere.

IDEM, CATONE MAJORE, EX EJUSDEM PERSONA.

Quam gaudebat Bello suo Punico Nævius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo!

IDEM, EPISTOL. FAMIL. LIB. IX EPIST. AD PAPIRIUM PÆTUM.

Sed tamen ipse Cæsar habet peracre judicium, et, ut Servius, frater tuus, quem literatissimum fuisse judico, facile diceret: Hic versus Plauti non est, hic est: quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, et consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, etc.

VOLCATIUS SEDIGITUS, DE POETIS COMICIS, APUD GELLIUM LIB. XV, CAP. 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetæ comico cui deferant,
Eum meo judicio errorem dissolvam tibi;
Ut, contra si quis sentiat, nil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat cæteros.

Dein Nævius, qui fervet, pretio in tertio est.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto consequetur hos Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo antiquitatis causa Ennium.

PLINIUS, LIB. I, EPIST. 16.

Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat: Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.

QUINTIL. INST. ORAT. LIB. X, CAP. I.

In comœdia maxime claudicamus, licet Varro dicat, «Musas (Luc. Ælii Stilonis sententia) Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent».

GELLIUS NOCT. ATT. LIB. I, CAP. 7.

Plautus verborum Latinorum elegantissimus, in Amphitruone dixit : «Numero mihi in mentem fuit».

IDEM LIB. III, CAP. 3.

Verum esse comperior quod quosdam bene literatos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comœdias curiose atque contente lectitaverunt, non indicibus Ælii, nec Sedigiti, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii, super his fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, sed ipsi Plauto moribusque ingenii atque linguæ ejus : hac enim judicii norma Varronem quoque esse usum videmus : nam præter illas unam et viginti, quæ Varronianæ vocantur; quas idcirco a cæteris segregavit, quoniam dubiosæ non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur; quasdam item alias probavit, adductus

stylo atque facetia sermonis Plauto congruentis; easque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit: sicuti istam, quam nuperrime legebamus, cui est nomen, Bœotia: nam quum in illis una et viginti non sit, et esse Aquilii dicatur, nihil tamen Varro dubitavit quin Plauti foret; neque alius quisquam non infrequens Plauti lector dubitaverit, si vel hos solos versus ex ea fabula cognoverit: qui quoniam sunt, ut de illius more dicam, Plautinissimi, propterea et meminimus eos et adscripsimus. Parasitus ibi esuriens hæc dicit :

Ut illum di perdant, primus qui horas repperit, etc.

Favorinus quoque noster, quum Nervolariam Plauti legerem, quæ inter incertas est habita, et audisset ex ea comœdia versum hunc :

Strateæ, scrupedæ, strictivillæ, sordidæ :

delectatus faceta verborum antiquitate, meretricum vitia atque deformitates significantium : Vel unus, hercle, hic versus Plauti esse hanc fabulam satis potest fidei fecisse. Nos quoque ipsi nuperrime quum legeremus Fretum (nomen est id comœdiæ, quam Plauti esse quidam non putant) haud quidquam dubitavimus quin Plauti foret, et omnium maxime genuina, ex qua duos hos versus exscripsimus, ut historiam quæreremus oraculi arietini:

Nunc illud est,
Quod arietinum responsum magnis Ludis dicitur :
« Peribo, si non fecero : si faxo, vapulabo. »

Marcus autem Varro in lib. De Comœdiis Plautinis primo verba hæc ponit : « Nam nec Gemini, nec Leones, nec Condalium, nec Anus Plauti, nec Bis compressa, nec Bœotia unquam fuit, neque adeo Ἄγροικος, neque Commorientes; sed M. Aquilii ». In eodem libro Varronis id quoque scriptum est, Plautium fuisse quempiam poetam

comœdiarum; cujus quoniam fabulæ Plauti inscriptæ forent, acceptas esse quasi Plautinas : quum essent non a Plauto Plautinæ, sed a Plautio Plautianæ. Feruntur autem sub Plauti nomine circiter centum atque triginta. Sed homo eruditissimus L. Ælius quinque et viginti esse ejus solas existimavit: non tamen dubium est, quin istæ, et quæ scriptæ a Plauto non videntur, et nomini ejus addicuntur, veterum poetarum fuerint, et ab eo retractatæ et expolitæ sint: ac propterea resipiant stylum Plautinum. Sed enim Saturionem et Addictum, et tertiam quandam, cujus nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro, et plerique alii memoriæ tradiderunt, quum, pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediisset; et ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset. Sicut de Nævio quoque accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum et Leontem, etc.

IDEM LIB. VII, CAP. 18.

Plautus homo linguæ atque elegantiæ in verbis latinæ princeps.

IDEM LIB. XVII, CAP. 21.

Ac deinde annis fere post quindecim, bellum adversus Pœnos sumtum est : atque non nimium longe M. Cato orator in civitate, et Plautus poeta in scena floruerunt.

IDEM LIB. XIX, CAP. 8.

Quando Plautus linguæ latinæ decus, deliciam quoque ἑνικῶς dixerit, pro deliciis : « Mea, inquit, voluptas, mea delicia ».

MACROBIUS SATURN. LIB. II, CAP. I.

Et jam primum animadverto duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum et oratorem Tullium : eos ambos etiam ad jocorum venustatem cæteris præstitisse; Plautus quidem ea re clarus fuit, ut post mortem ejus comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen esse de jocorum copia noscerentur.

D. HIERONYMUS IN EPIST. AD PAMMACHIUM.

Hæc est Plautina elegantia, hic lepos Atticus, et Musarum, ut dicunt, eloquio comparandus.

IDEM, EPIST. AD PAMMACH. DE OPTIMO GENERE INTERPRETANDI.

Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos interpretati sunt. Numquid hærent in verbis, ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis?

IDEM AD EUSTOCHIUM, DE CUSTODIA VIRGINITATIS.

Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus.

IDEM, ADVERSUS RUFFINUM.

Audio præterea te quædam de epistola mea philosophice carpere, et hominem rugosæ frontis adductique supercilii Plautino in me sale ludere, eo quod Barrabam Judæum dixerim præceptorem meum.

IDEM, IN EUSEBII CHRONICO.

Olymp. CIV Plautus ex Umbria Sarsinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistori se locaverat: ibi, quoties ab opera vacasset, scribere fabulas solitus et vendere.

RUFFINUS, IN D. HIERONYMUM.

Quum ad hæc omnia, quæ supra diximus, etiam illud addatur, ubi cessat omne commentum, quod, in monasterio positus in Bethlehem, ante non multo tempore, partes grammaticas exsequutus sit, et Maronem suum comicosque ac lyricos et historicos auctores traditis sibi ad discendum Dei timorem pueris exponebat.

(Quinam isti Comici sint, paulo post exprimit.)

Quæro, si vel Flaccus tuus, aut Maro, si Plautus Comicus, aut Terentius certe, si aut satiricus quis, etc.

IDEM IBIDEM.

Sic, dum totus Plautinæ et Tullianæ cupis eloquentiæ sectator videri, oblitus es, quomodo Apostolus omnem Ecclesiam, etc.

IDEM AD DOMNIONEM.

Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos ejus, et in Terentii comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium; et aliorum in alios, Plautum, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum. Argue interpretes eorum, quare non unam interpretationem sequuti sint, et in eadem re quid vel sibi vel aliis videatur enumerent.

D. Aurel. August. lib. II, cap. 12, de civitate Dei.

Indignum videlicet fuit, ut Plautus aut Nævius Publio et Cnæo Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni malediceret; et dignum fuit ut Terentius vester flagitio Jovis Opt. adolescentium nequitiam concitaret.

C. Sollius Sidon. Apollinaris, Panegyrico ad Anthemium Augustum.

Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus!

Idem Carmine XXIII.

Et te tempore qui satus severo
Graios, Plaute, sales lepore transis.

Servius Honoratus ad I Æneid.

De numero librorum nulla hic quæstio est, licet in aliis inveniatur auctoribus: nam Plautum alii dicunt scripsisse fabulas viginti unam, alii quadraginta, alii centum.

Gerh. Voss. Inst. Orat. lib. IV, cap. 19.

Atque etiam in deliciis tum fuerit is, quem dixi, Plautus, cujus dictionem tantopere celebrat antiquitas. Sed huic Varronis judicio (vide supra testimonium Quintiliani) non uno modo occurri solet. Nicolaus Loensis vir doctissimus in Epiphyllidon libris arbitratur eum hoc loco per sermonem intelligere facetias, idque propterea, quia Plautinos sales a proavis laudari solere, etiam Horatius dicat. Eo autem modo *sermonem* pro facetiis dicere autumat, quo Græci et eorum imitatione Plautus identidem appellant logos. Sed ut libere dicam, inficetum hoc vere-

que logos arbitror, ac adeo ridiculos, ut, si ἀγέλαστος ille Crassus audisset, haud aliud fuerit facturus, quam, quod egit, quum asinum vidit comedentem carduos. Facilius eidem assensero, quum sermones ita interpretatur in altero Varronis loco, qui adducitur e Parmenone. Ubi sic scripserat, « in argumentis Cæcilius palmam poscit, in ἤθεσιν Terentius : in sermonibus Plautus. » Quo loco etiam doctissimus Andreas Schottus per *sermones* intelligi sales putavit Interim nec hujus loci sententiam penitus assequuntur; quod ut pareat, scito opus, tria in comœdia spectari : primum argumenti inventionem ac οἰκονομίαν sive *ordinem*, deinde τὸ ἠθικὸν, sive *hominum mores*, qui pro persona cujusque, si uspiam sane in comœdia, apte exprimi debent, tertio autem loco φράσιν seu *elocutionem*, quæ non verba modo, sed etiam διάνοιαν respicit. In primo horum ait Varro Cæcilium vincere, in altero Terentium, in tertio Plautum. Ex quo eadem cognoscimus, causam non esse, cur, cum eodem Loensi, pro *argumentis* rescribamus πάθεσιν. Quanquam id aliquando non displicuerit mihi : nimirum propter illa ejusdem Varronis quæ ex quinto de L. L. Charisius adducit : « ἤθη nulli alii servare convenit, quam Titinnio et Terentio : πάθη vero Trabea et Attilius et Cæcilius, facile moverant ». Nunc non tanti illud videtur, ut idcirco assensum accommodem Loensi. Nam nihil prohibet, quo minus idem Cæcilius et argumentis et ciendis affectibus vicerit. Nec ea est affinitas inter duo hæc vocabula, *argumenta et pathe*, ut verisimile fiat, errore librarii alterum alterius locum occupasse.

Vidimus de iis, qui, ne Varro præclare adeo de Plauti stylo sensisse videatur, verba ejus in longe aliam sententiam deflectunt. Venio nunc ad istos, qui illud quidem agnoscunt in sermone ab eo Plautum omnibus præferri,

sed hac parte togatorum doctissimum esse audiendum negant : quippe hominem antiquarium, qui passim pæne desitis usus sit; ut inprimis cognoscimus ex fragmentis ejus quæ apud veteres grammaticos leguntur. Atque addunt, ideo eum ab auctore dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, una cum Sisenna annumerari illis, qui cum antiquo, quam cum ævo suo loqui maluissent. Nempe eodem illum morbo laborasse volunt, ac principem historicorum Crispum Sallustium, qui et ipse veteri epigrammate incessitur, quod verba sua sublegerit Porcio Catoni; cujus dictio dura ac horrida, Ciceronis etiam judicio, fuit. Atque hunc in modum disserunt illi, qui si non aliud volunt, quam aurea ætate, quam dixi, oratori magis convenisse dictionem Ciceronis vel Cæsaris, quam Plauti et æqualium, equidem lubens iis suffragor. Nam Tullii temporibus sermo vetus multum erat mutatus : oratori autem, cui sæpe in populo orandum erat, non alia utendum oratione fuit, quam populari atque usitata. Eoque sic ei Plautus erat lex linguæ romanæ, ut lima eidem esset Terentius, vel si quid Terentio tum cultius foret. Quare ut Plauti ætate, Musæ (sic more veterum loqui liceat), sermone non alio usuræ erant, quam Plauti; ita dicere liceat, Terentii temporibus Terentiano more loquuturas fuisse, ac ætate Ciceronis et Cæsaris, si sermonem cum Romanis serere vellent, Tullii, Cæsaris et æqualium more, id fuisse facturas. Nec enim dearum (ut sic dicam) fuisset incultius loqui, quam hominum elegantiorum. At quis nescit aurea horum ætate, magis excultam fuisse linguam romanam, quam secundo bello Punico, quum Musæ in rudi illa et effera Romuli gente pedem primum posuissent? Sed ista licet fateamur non inviti, non tamen consequi ex iis putamus, quod colligere hinc conantur. Quod ut liqueat magis, tria hæc tempora distinguemus : illud, quo Plautus fuit; alterum,

quo Cicero florebat; et præterea tertium, quo nos sumus. Plauti ætate ne oratorem quidem dedecebant archaismi et voces illæ antiquæ, quas apud comicum hunc legimus. Sic enim tum oquebantur. Ciceronis vero ætate ea locum amplius in oratore non habebant : attamen non usque adeo consuetudini adstringebantur hi, qui non dicerent, sed scriberent; atque eruditis magis scriberent, quam vulgo. Nempe uti necesse non est, ut vasa, quibus utimur, formam semper habeant usitatam; sed etiam vetera delectant, dummodo mundities adsit : ita, qui scriberent hominibus doctissimis, non semper aversabantur antiqua, modo rem pure ac proprie exprimerent. Nostro vero ævo, ni fallor, etiam plus aliquanto licet latine dicturo : quia non amplius in populo (postquam ne in Latio quidem latine loquuntur), sed in consessu fere doctorum dicendum est. Quamobrem minime eos audimus, qui Varronem, Crispum, atque alios optimi ævi scriptores, eo nomine culpant, quia non plane sequantur consuetudinem sui temporis, multoque minus eos audimus, qui ad Tullianam phrasin omnia exigunt, quæ hodie scribuntur. Nec enim tam inops est lingua latina, ut uno solum modo aliquid latine dicatur. Multa bona apud Tullium, sed et apud Plautum : in quo Romanorum doctissimi summam agnovere sermonis castimoniam. Eoque persuasissimum habemus, juventuti, postquam nativum illum vultum, veraque latini sermonis lineamenta, imbiberit e fonte Tulliano, non modo Terentium, Cæsarem, alios, qui propius ad Tullium accedunt, sed Plautum etiam multum diuque esse versandum. Tantum judicium in delectu desidero; primum in archaismis, et bene desitis; quæ nec ubique nec semper locum habent, ut superius satis diximus, deinde in iis, quæ comicus ille finxit ad risum captandum. Multa enim

apud eum decore dicuntur a servo, aut lenone : quæ si orationi nostræ inserantur, reddamus eam protritam ac plebeiam. Quale est quum servus ait, *exspuere lacrimam.* Suntque apud eum compluria hujus generis, quæ extra scenam non habeant locum, nisi forte cum familiari amico sermone vel epistola visum erat paullum nugari.

Noluimus, ne præter commodum hæc testimoniorum collectio excresceret, recentiorum scriptorum judicia hic adgerere, quorum opera vulgo manibus studiosorum versantur aut fama percrebuere, quosque nominare satis fuerit : Daniel Heinsius; Rapin (*Parallèles des grands écrivains de l'antiquité*); Marmontel (*Éléments de littérature*, COMÉDIE); Laharpe (*Cours de Littérature*, t. I); Cailhava (*Art de la Comédie*, passim); W. Schlegel (*Cours de Littérature dramatique*, *trad. franç.* t. I, p. 376-82); Lemercier (*Cours de Littérature*, t. II, p. 275 suiv. et *passim*); Daunou (*Biograph. univers.* PLAUTE); Eusèbe Salverte (*Horace et l'empereur Auguste*, p. 105-109).

VITA PLAUTI.

M. Accius Plautus, Sarsinæ natus, in Umbria, quibus consulibus latet.

Certe annus nondum transactus erat vicesimus, ex quo Livius Andronicus[1] græcas artes agresti Latio intulerat, et ab incomposita fescenninorum licentia saturarumque rudibus modis ad justa fabularum argumenta spectantium animos transtulerat, quum Plautus palliatas docere cœpit. Quarum multæ, sæviente secundo bello Punico, multæ, confecto, ludis spectatæ fuerunt.

Ipsi Andronico et Nævio, nisi æqualis, at coætaneus floruit, jam ante quam Ennium M. Porcius Cato Romam ex provincia Sardinia duceret[2] : clarus quidem ingenio, sed conditione vitæ ignobilis; aliquamdiu, opinor, histrionici dux gregis circumforanei.

« Saturionem, inquit Gellius[3], et Addictum, et tertiam quamdam, cujus nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro et plerique alii memoriæ tradiderunt, quum, pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediisset, et ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset. »

Illud vero præcipue animadvertendum, quod, quum

(1) Ann. U. C. 514; Tit. Liv. VII, 2; Valer. Max. II, 4, 4.
(2) Anno demum U. C. 557.
(3) Noct. Att. III, 3.

cæteros tum poetas nobilibus patronis, iisdem sæpe et operum arbitris, usos fuisse narrant, scilicet, Andronicum Livio, Ennium Scipione priore Africano et M. Fulvio, Pacuvium priore Lælio, deinde Terentium Scipione et Lælio posteriore, quorum etiam ingenio fretum[1] hunc esse invidi jactabant; Plautus magna contubernia celebrasse nusquam dicitur; neque de potentibus quemquam amicum habuit, præter populum, qui semper ei viventi favit et mortuum coluit, plausu exceptis illius fabulis quinto adhuc sæculo postquam editæ primum fuerant.

Decessit anno U. C. 570, decimo autem tertio antequam Ennius e medio sublatus est, octavo postquam Terentius natus erat, octavo et vicesimo priusquam idem primam fabulam ædilibus approbavit.

(1) Heaut. Prol. 24.

NOTITIA LITERARIA.

INDEX

EDITIONUM

M. ACCII PLAUTI

FABRICIANO ET HARLESIANO AUCTIOR
INQUE V ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I, 1472—1513.

Natales debet Georgio Merulæ, Alexandrino, qui primam Venetam 1472 et Tarvisii alteram 1482 curavit. Successit ejus discipulus Eusebius Scutarius, qui emendatum a magistro Plautum vel recognovit, vel interpolavit in Mediolanensi I 1490, repetita Venetiis 1495. Accessere tertius et quartus, qui se emendatores profitentur, Petrus Valla et Bernardus Saracenus, uterque et interpres Plauti, quorum curæ conjunctæ sunt in Ven. III 1499. Hos excepit Jo. Bapt. Pius in Mediolanensi II 1500, cui Phil. Beroaldus senior, qui ipsius Pii olim præceptor fuerat, præfatus. Sed ipse quoque Beroaldus Plautum recognovit in Brixiensi 1503. Ejusdem curas cum illis Merulæ, Hermolai Barbari et Politiani conjunctas habet editio s. l. et a. Verum etiam supervenit Saraceno et Pio Buccardus Pylades, Brixianus, in edit. Brixiensi 1506, qui Plautum ab illis corruptum querens eum dedit correctiorem. Scutarii recensionem æmulatus est Adolfius Mulingus Argentorati 1508; sed Pyladem sequuta est ed. Parmensis 1510, cui accessere Thaddæi Ugoleti et Marii Grapaldi scholia, atque Georgii Anselmi, poetæ Itali, Epiphyllides. Interea neque Valla et Saracenus, neque Pius

prole caruere. Illorum enim editio repetita Venetiis, hujus Bononiæ an. 1511, et Parisiis 1514.

1472 Veneta I, fol. Editio princeps, in cujus fine legitur: « Plautinæ Comœdiæ XX. Georgio Alexandrino emendatore; de cujus eruditione et diligentia judicent legentes. Impressæ opera et impendio Joannis de Colonia Agrippinensis atque Vindelini de Spira. Venetiis MCCCCLXXII. Nicolao Throno Principe jucundissimo et duce felicissimo »; teste Mich. Maittaire in Annal. typogr. t. I, p. 314. Huic editioni præfuit Georgius Merula Alexandrinus Statiliensis, usus Codice Florentino, quem optimo illi MS. Camerarii alludere deprehenderunt Gruterus ac Taubmannus. De rarissimo hoc Merulæ exemplo vide Freytagii Apparatum liter. II, p. 1335, et, quem ille citat, Quirinum, virum purpuratum, in Specimine variæ literaturæ Brixiensis P. I, pag. 1 seqq. quos sequitur cl. Theoph. Christoph. Harlesius in Introduct. in not. lit. Rom. P. I, pag. 204. Fuit in bibl. *Ducis de la Vallière*, teste de Bure in Catal. P. I, t. II, *Belles-Lettres*, p. 115, n. 2564; et est in bibl. illustriss. Com. Reviczy emta pretio 13 librarum Sterling. Cf. quæ de adnotamentis a Merula promissis infra adnotamus ad ed. s. l. et a. post ed. Beroald. 1503.

1482 Tarvisii, fol. Merulæ II, die 21 junii excusa per Paulum de Ferraria et Dionysium de Bononia. Repetitio editionis 1472, J. Ph. Pareo inter edd. Plautinas memorata. Cf. de Bure l. c. n. 2565.

—— Daventriæ, fol.

1490 Mediolanensis I, fol. Plautinæ viginti Comœdiæ olim magna ex parte emendatæ per Georgium Merulam Alex. virum doctiss. nunc recognitæ per Eusebium Scutarium Vercellensem. Impressæ fuere in officina egregii Mancipis Ulderici Scinzenzeler, ipsius et magistri Joannis Legnani opera et impendio. Mediolani, a. MCCCCLXXXX.— Non recognitas, sed interpolatas esse Plautinas Comœdias in hac editione, judicat Taubmannus in Præfat. ad ed. suam 1612.

1495 Veneta II, in-4, dic XXIII novembris. Repetitio prioris Scutarii. Cf. Jo. Ph. Pareum p. 4, Fabricium, et de Bure p. 116, n. 2566.

s. a. Veneta, fol. cum comm. J. Petri Vallæ et Bern. Saraceni.

1498 Veneta, fol. c. n. Petri Vallæ et B. Saraceni. Memoratur in Cat. Bibl. Bigotianæ publice divenditæ Parisiis, 1706, fol. p. 41, n. 1720.

1499 Veneta III, fol. Plautinæ viginti Comœdiæ emendatissimæ, cum accuratissima ac luculentissima interpretatione doctissimorum virorum Petri Vallæ Placentini et Bernardi Saraceni Veneti. Inscripsit vero Plautum suum J. P. Valla inclyto V. J. Doctori Scaramuzæ trivultio Mediolanensi patricio primario. Epistolam excipiunt in Plautinas Comœdias interpretationes, in quarum fine legitur: «Impressum Venetiis ære et impensa eruditi viri Marci Firmani.» Interpretationes Vallæ insequitur Bernardi Saraceni ep. dedicatoria ad Franc. Marcellum Pontificem Tragurinum; quam excipiunt ejus tum emendationes in singulas Plautinas Comœdias, quæ septingentæ ferme sunt; in quibus etiam castigati sunt errores interlocutorum fere quadringenti: tum in ipsas Plautinas Com. emendationes et enarrationes, illæ quidem in margine, hæ sub textu. Tandem in fine legitur: «Impressum Venetiis per Simonem Papiensem, dictum Bivilaqua, et summa diligentia emendatum ut ex postremis castigationibus patebit. Anno humanitatis Christi MCDXCIX, XV kalendas octobres. Sereniss. Augustino Barbadico Venetorum Duce imperante.» Subjiciuntur epigrammata Domici Palladii Sorani ad Bern. Saracen. Plauti interpretem fidissimum et de Marco Firmano: tum Registrum, dein emendationes postremæ: « Paucis prætermissis in quibus aut deest aut superest diphthongus: vel interpunctis non erit commode lectio signata: errata reliqua sic emendentur: et si solertiam et diligentiam impressoris nullus sit qui possit improbare. Quæ tamen errata in aliquibus fuerunt emendata». — Conspirat

hæc editio cum Mediolanensi 1490, teste Taubmanno apud Goetzium in Memorab. Bibl. Dresd. tom. I, pag. 90 seq. Cf. cæterum Mich. Maittaire tom. I, pag. 360, et Indicem librorum sec. XV impressorum in bibl. C. G. Schwarzii Prof. quondam Altorf. P. II, p. 61 - 63 ad an. 1499. Hæc a Taubmanno consulta, in Bibl. Archipal. Manhemiensi exstat.

—— Ulmæ. Repetitio prioris.

—— Bononiensis I.

—— Bononiensis, quæ num primum inter cæteras fabulas Aulularíam cum Ant. Codri Urcei Prof. Bononiensis (1500 æt. 54) supplemento, an unam hanc exhibeat, nescimus.

1500 Mediolanensis II, fol. Plautus integer cum interpretatione Joannis Baptistæ Pii. — In fine legitur: « Impressum Mediolani per Magistrum Uldericum Scinzenzeler anno Domini MCCCCC, die XVIII mensis januarii ». Vid. *Catalogue raisonné de la collection des livres de Pierre-Antoine Crevenna*, vol. III, pag. 164. Huic editioni præfatus est Philippus Beroaldus. At male audiit Taubmanno, qui in præf. suæ editionis, « Hoc, ait, semper meminisse te velim, omnes editiones mangonum manus esse passas, ex quo Saracenus et Pius regnum et tyrannidem in literis habuere ». Cf. Harles. l. c. p. 206; Goetzii Mem. Bibl. Dresd. I, p. 93, et Catal. Bibl. Uffenbach. t. II, App. II; Incun. Art. typogr. n. CCVI, p. 72, et de Bure l. c. n. 2568.

1503 Bononiensis, fol. Plautus diligenter recognitus per Philippum Beroaldum folior. 255. — In fine: « Impressum Bononiæ per Benedictum Hectoris bibliopolam, impressoremque diligentissimum. Recognitum repastinatumque a Philippo Beroaldo curiose ac vigilanter. Anno Salutis MD tertio cal. decemb. » — Rara admodum est editio. Præmisit Phil. Beroaldus Bonon. ad Clariss. discipulum Ladislaum Vartimbergensem epistolam; cujus partem exhibet Mich. Maittaire in Ann. typogr. tom. II, p. 164, not. c: integram vero legas apud Freytagium in Adpar. liter. t. II, p. 1332 sq. ad n. CXXCIII.

s. l. et a. fol. Plautus cum correctione et interpretatione Hermolai, Merulæ, Politiani et Beroaldi, et cum multis Additionibus, — Sic est in Catal. Bibl. Hemmonis Arnoldi Werumæi 1783 Groningæ publice divenditæ p. 31, n. 448. Fuit quoque in Bibl. Hulsiana; unde cl. Lengnich in Beytrægen zur Kenntniss, etc. II, p. 95-99, et ex Bibl. Hohendorf. in Nachrichten zur Bücher und Münzkunde p. 189 ostendit, adnotamenta Merulæ et Plautinas quæstiones, quæ an lucem viderint, dubitabat Fabricius, omnino edita fuisse. Hermolaus Barbarus, hospes Romæ, obierat 1493, Merula vero et Politianus anno post vivere desierunt, quorum curis suas addidit Ph. Beroaldus an. 1505 mortuus.

1506 Brixiæ, fol. Plauti Comœdiæ. In fine : «Lector optime, scito has Comœdias viginti Plautinas, ex quibus Pylades Buccardus duodeviginti sollerti diligentia correxit; atque ex iis quinque elegantissime interpretatus est : a Jacobo Britannico Brixiæ impressas fuisse omni adhibito studio, ne ab archetypo aberraret, anno salutis MDVI». Plautum ter mille amplius erroribus a Saraceno et Pio corruptum queritur ipse Pylades. Tamen hanc editionem correctiorem sprevit Taubmannus; sed laudavit Quirini in Specimine literat. Brixiensis P. I, p. 21 seqq. Vid. Goetzii Mem. Bibl. Dresd. I, p. 93 sq.

—— Lipsiæ, fol.

1508 Argentorati, in-12, curante Adolfo Mulingo : æmulam dicit Pareus edit. Scutarii.

—— Lipsiæ, fol. Plauti, clarissimi comici, Aulularia. Liptzk per Baccalaureum Herbipolensem. — Vid. Cat. Bibl. Bunav. I, p. 265.

Eadem legitur ibi h. a. prodiisse curante Hier. Buschio in Catal. Bibl. Ludewig. P. IV, p. 1300, n. 10931.

s. l. et a. Plauti Menechemi. Cf. ibid.

1510 Parmensis, fol. M. Acci Plauti Asinii Comœdiæ viginti nuper emendatæ, et in eas Pyladæ Brixiani lucubrationes. Thadæi Ugoleti et Grapaldi virorum illustrium

scholia. Anselmi Epiphyllides. In fine : « Parmæ DX. ap. Octavium Saladinum ». — Textus est repetitus ex Pyladis editione : nec animadversiones magni æstimat Taubmannus. Vid. Gœtzii Mem. Bibl. Dresd. I, pag. 94 sq.

1511 Venetiis, fol. cum commentationibus Bern. Saraceni et J. P. Vallæ.

——Bononiensis, fol. cum castigg. et retractationibus J. B. Pii.

—— Lipsiæ, fol.

—— Argentorati, in-4. Plauti Aulularia, a Codro Urceo perfecta cum familiari explanatione. Argentorati in ædibus Schurerianis.

—— s. l. 4. Quatuor Plauti Comœdiæ, memorantur in Catal. Bibl. Schwarzianæ 1753 Altorfii divenditæ, n. 1810, pag. 108.

1512 Lipsiæ, fol.

—— Daventriæ, in-4. Plauti Aulularia cum Ant. Codri Urcei supplementis separatim edita refertur a possessore ipso Fabricio.

1513 Lipsiæ, fol. min. Plauti lepidissimi poetæ Aulularia ab Antonio Codro Urceo, utriusque linguæ doctissimo pristinæ formæ diligenter restituta; illius enim finis antea desiderabatur. Lipsiæ per Melchior. Lotter. — Vid. Freytagii Analecta liter. t. II, p. 1334.

—— 4. Planti Aulularia cum supplemento Codri Urcei per Jo. Prüsk. Sic Harles. t. I, p. 213.

1514 Parisiis, fol. ed. J. Bapt. Pii repetita (forsan ex Jod. Badii Ascensii typographeo prodiit.)

ÆTAS II 1513 — 1551.

Cujus principes fuere Simo Charpentarius (Charpentier) et Nic. Angelius, Buccinensis, quorum ille quidem Saraceni et Pii editionem fere sequutus, quum ipse MSS. careret, versus in melius ordinavit in ed. sive Lugdunensi sive Pa-

risina, Angelius autem, curator Juntinæ, etiam scriptos libros denuo contulit, maximeque præivit Venetis, tam Aldi I, 1516, quam Lucæ Olchiniensis Can. cum n. varr. Vallæ, Saraceni, Pyladis, Pii, Ugoleti, Grapaldi et Anselmi 1518, dein Aldinæ II, Franc. Asulani 1522, tum Basiliensibus Cratandri et Hervagii 1523, 1535, Parisiensi R. Stephani 1529, 1530, et Gryphianæ 1535, 1537. Singulares edd. sunt Parmenses Mar. Grapaldi 1533 et 1541. Accessit nova recensio Gisb. Longolii, qui primum selectiores Comœdias edidit juvenis Paris. et Colon. 1530, dein omnes 1538. Insequutæ sunt Gryphianæ 1540, 1547 et 1549, et Hervagii 1550. Emendatioris ætatis mox successuræ spem fecerat jam a. 1545 Germaniæ humanioris alterum lumen Joach. Camerarius.

1513 s. l. (Lugd.) in-8. M. Plauti Sarssinatis (sic) Comœdie XX Varroniane ex antiquis recentioribusque exemplaribus invicem collatis diligentissime emendate. In fine : « Finis Plautinarum quatuor (qui error fuerit operarum) et viginti Comœdiarum emendatarum per clarissimum virum artium doctorem Simonem Charpentarium cum argumentis ejusdem in unamquamque Comœdiam familiarissimis : cumque nominum etymologiis : demum post novam limam castigationemque adhibitam impressarum. Anno decimo tertio supra mille et quingentos, prid. nonas apriles ». — Hanc editionem vulgo vocari Parisinam scribit Gœtzius in Mem. Bibl. Dresd. I, p. 95, qui præterea suspicatur aliam adhuc editionem a Charpentario fuisse curatam. Ernestio videtur Lugduni edita. Charpentarius vero editis modo exemplis (Pii et Saraceni, observante Pareo) in concinnando textu usus est : at versus melius ordinavit, et in fine Aululariæ supplementum addidit XVIII versuum, qui in superioribus editionibus non reperiuntur.

1514. Florentiæ, in-8. Plauti Comœdiæ viginti nuper recognitæ et acri judicio Nicolai Angeli diligentissime excusæ. In fine : « Ex officina Philippi de Giunta, Florentini, anno

a Christiana Salute D. Decimo quarto supra mille: mense Augusti. Lone X Pont. Max.» — Vid. *Catalogue de P. Ant. Crevenna*, vol. III, p. 165. Angelius, usus scriptis exemplis, addidit præter alia primus Bacchidibus prologum et initium actus primi, spurium tamen, quem male in Gisb. Longolii editione primum editum esse putat Jo. Frid. Gronovius. Tum Mostellariæ scenas ad meliorem ordinem redegit, in quo tamen a Camerario superatus est. Male vero duos interdum versus in unum contraxit Angelius, aut dimidiatos pro integris posuit.

—— Argentorati, in-4. M. Acci Plauti Asinii comici clarissimi Comœdiæ quinque, Amphitryo, Asinaria, Aulularia, Captivi duo, Curculio, cum lucubratiunculis ex commentariis Pyladis Brixiani ornati. In fine: «Argentorati ex ædibus Matthiæ Schurerii MDXIV».

s. a. Lovanii, in-4. Martini Dorpii S. theol. Licent. Dialogus: in quo Venus et Cupido omnes adhibent versutias, ut Herculem, animi ancipitem, in suam militiam invita virtute perpellant. Ejusdem Thomus Aululariæ Plautinæ adjectus cum Prologis aliquot in Comœdiarum actiones et pauculis carminibus. — Prostant venales in edibus Theoderici Mart. Alostensis, Lovanii. — Baumgarten, in Nachrichten von merkwürdigen Büchern, vol. I, p. 544, putat, et conjicit ex variis argumentis, typis expressam esse libellum a. 1514; cf. Harlesium p. 216.

1516 Veneta, fol. Aldina I. Bernh. Saraceni et Jo. Petri Vallæ ac Baptistæ Pii Bononiensis observationes. Venetiis apud Aldum: quam Pareus inter edd. refert p. 5.

—— Veneta, fol ap. Lazarum Soardinum.

1518 Venetiis, fol. M. Acci Plauti linguæ Latinæ principis Comœdiæ viginti, vivis pene imaginibus recens excultæ: novissime ex collatione Florentinæ fidelioris impressionis, et aliarum omnium, quæ inveniri potuerunt, affatim recognitæ. Una cum luculentissimis commentariis Bernardi Saraceni, Joannis Petri Vallæ, et Pyladis Brixiani. Nec non

observationibus Pii Bononiensis : Ugoleti et Grapaldi scholiis : Anselmique Epiphyllidibus. Adjecto insuper eleganti indice nunc primum excogitato : qui omnia grammaticalia, omnia subobscura vocabula, omnes fabulas et historias, et quæque digna cognitu, alphabetice demonstrat. In fine : « Finiunt viginti Plauti Comœdiæ post omnes impressiones ubique terrarum excusas diligentissime recognitæ, summaque diligentia castigatæ : impressæque Venetiis per Melchiorem Sessam et Petrum de Ravannis socios, 1518, d. 12 Aug. » — Hanc editionem curavit Lucas Olchiniensis Canonicus. Vid. Brix. liter. Quirini P. I, pag. 39 sq. et Gœtz. in Mem. Bibl. Dresd. I, p. 96.

1522 Veneta, in-4. Aldina II. Ex Plauti Comœd. XX, quarum carmina magna ex parte in mensum suum restituta sunt. Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Asulani soceri, mense Julio. — Præter vanam hanc in titulo jactationem, Franciscus Asulanus in præfatione profitetur, se exemplar ab Aldo et Erasmo castigatum typographis exscribendum proposuisse. Sed et hæc professio est falsa : nam Juntinam repetit, et correctiones Aldi et Erasmi ad vitia typographica pertinent.

—— Florentiæ, in-8. Ex rec. Angelii. Cf. Catal. Bibl. Bigotianæ, p. 204, n. 5065.

1523 Basileæ, in-8. M. Plauti Comœdiæ XX ex antiquis recentioribusque exemplaribus invicem collatis, diligentissime recognitæ : quarum carmina, magna ex parte in mensum suum restituta sunt. Index verborum, quibus paulo abstrusioribus Plautus utitur. Argumenta singularum Comœdiarum. Tralatio Græcarum dictionum. Auctoris vita (ex Petro Crinito) Basileæ an. MDXXIII. — In fine : « Basileæ apud And. Cratandrum, mense Septembri an. MDXXIII ». Cratandrinam hanc esse e Brixiensi Pyladis, cui nulla fides sit, dicit Taubmannus. Sed titulus etiam Aldinam adhibitam esse prodit. Asservatur in Bibl. Archipalatina Manhemii.

1529 Parisiis, fol. ap. Rob. Stephanum: filia Juntinæ.

1530 ibid. fol. R. Stephani altera (melior esse fertur, quippe exemplaribus XX, sed recentibus, collata); cf. Bibl. Bigot. p. 41, n. 1719.

—— Parisiis, in-4, apud Vascosanum. Comœdiæ Plauti selectiores cum notis Gisb. Longolii. Refertur in Bibl. Bigotianæ Cat. pag. 156, n. 2468.

—— Coloniæ, in-8. M. Accii Plauti Comœdiæ XX jam denuo diligentius recognitæ. Restituta in mensum suum non pauca carmina a nemine hactenus animadversa. Additis in omnes Comœdias brevissimis scholiis, in quibus annotantur quæcumque aut castigavit, aut annotavit in Plautum Desider. Erasmus, G. Budæus, Angelus Polit. Georg. Alexandrinus, cæterique ejusdem notæ scriptores. Coloniæ, apud Gymnicum 1530, cum Gisberti Longolii præfatione; cf. Gœtzii Mem. Bibl. Dresd. I, p. 104.

1533 Parmæ, in-8, cura Marii Grapaldi, teste Pareo.

1534 Paris. in-4, apud Vascosanum. Plauti Comœdiæ aliquot selectiores cum annott. Longolii. Cf. Bibl. Bigotianæ Appendix, p. 9, n. 156.

1535 Lugduni, in-8, ap. Seb. Gryph. Juntinam sequitur.

—— Basil. in-8. Jo. Hervagii. M. Accii Plauti Sarsinatis Comici festivissimi Comœdiæ XX diligentissime a mendis repurgatæ et in mensum suum genuinum, quod Menechmei, Mostellaria et Trinumus docent, restitutæ: cum Indice rerum ac vocum, proverbiorum, formulisque loquendi, atque Græcarum et Latinarum dictionum interpretatione. Basileæ ex officina Jo. Hervagii, an. MDXXXV.

—— Magdeburgi, in-8. Plauti VI Comœdiæ (Captivi, Aulularia, Miles, Menæchmi, Mostellaria et Trinumus) emendatæ et numeris restitutæ; edente Georgio Majore, (Rectore tum Magdeburgensi.) Cf. Fabriciii B. L. ed. 1721, vol. II, p. 11. Atque hæ sunt fabulæ illæ VI, quas ipse Joach. Camerarius, in epist. dedicatoria ad Franc. Crammium præmissa VI aliis fabb. 1545, dicit, ante aliquot annos, se

nesciente, editas a se emendatas, sed denuo recognoscendas; cf. infra ad an. 1545.

1537 Lugduni, in-8. M. Accii Plauti Comœdiæ viginti. Lugduni, apud Seb. Gryphium. Vid. *Catalogue de Crevenna*, vol. III, p. 165.

—— Antverpiæ, in-8. Plauti Aulularia cum supplemento Urcei et altero longiore Martini Dorpii.

1538 Coloniæ, in-8. M. Accii Plauti Sarsinatis Comici festivissimi Comœdiæ XX post omnes omnium editiones accuratissime recognitæ. Præter reliquas commoditates habes hic, lector optime, annotationes in omnes Comœdias per G. Longolium jam denuo ab ipso castigatas et locupletatas, quibus accessere scholia nova in quatuor posteriores Comœdias, in quas hactenus nihil fuerat annotatum. Coloniæ Excudebat Jo. Gymnicus anno MDXXXVIII. Servatur in Bibl. Elect. Archipalatina Manhemi, itemque in Bibl. Acad. Heidelberg.

1540 Lugduni, in-8, ap. Seb. Gryphium.

1541 Parmæ, cura Marii Grapaldi; teste Pareo repetita ex ed. 1533.

1545 Lips. in-8. M. Accii Plauti Comœdiæ V magna cum cura emendatæ a Joach. Camerario Pab. modo editæ cum annotationibus ejusdem et privilegio quinquennii. Lipsiæ in officina Valentini Papæ. Anno MDXLV. Præmissa est 1º epist. nuncupatoria ad illustr. pueros Francisc. Ottonem et Frid. fratres, Ernesti filios Princc. Brunsv. et Luneb. Lips. III Id. Quintil. in qua jam ab annis XX Cod. MS. Viti Verleri (sane veterem, sed non erudite exaratum), nactus esse profitetur; 2º de carminibus Comicis. Amphitruo, Asinaria, Curculio, Casina, Cistellaria. — Et hæc servatur in Bibl. Pal. Manhem. Post has V fabulas dein apud eundem Valentinum Papam, typogr. Lipsiensem prodiere.

—— VI aliæ Francisco Crammio Sagano inscriptæ, teste ipso Camerario in epist. adjecta editioni Plautinæ 1551 ad calcem, ubi p. 908 sic dicit: « Et nunc post priores quinque

fabulas Plautinas, quas hortatu tuo, Francisce, misimus ad Principes optimos tuos, discipulos Vilhelmi mei : nunc has alteras sex tradidimus exprimendas Valentino nostro, fideli et assiduo artifici, quas ad Te peculiariter mittendas esse duximus ». Et p. 907 idem inquit : « Editæ etiam fuerunt emendatæ a me fabulæ sex, ante aliquot annos, me nesciente : hæ recognoscendæ scilicet erunt : restabunt igitur tres, etc. » Lips. 9 Calendas septembris.

1547 Lugduni, Gryph. 12. — Comœdiæ viginti, apud Sebastianum Gryphium. — Est in Bibl. Academiæ Heidelb.

1549 Lugduni, in-12. M. Accii Plauti Comœdiæ viginti. Lugduni, apud Seb. Gryphium.

1550 Basileæ, in-8, ap. Hervagium.

ÆTAS III, 1551 - 1605 CAMERARIANA.

Joach. enim Camerarius, fabulis VI jam ab an. 1536, et aliis V iterumque VI ab an. 1545 emendatius editis, denique omnes istas partim recognitas cum tribus reliquis conjunctas anno 1551, vel sequenti, Basileæ ita edidit, ut novum dedisse Plautum videretur, Grutero dictus primus sospitator Plauti. Altera ejus editio Basil. 1558 etiam auctior est fragmentis a Georgio Fabricio collectis, cujus curis jam ante in Plauto edendo usus erat : tertia vero Jo. Sambuci, MSS. divitis, Plantiniana 1566, Obss. Car. Langii, Adr. Turnebi, H. Junii locupletior est; quam insequuta est quarta Cælii Secundi Curionis 1568 Basiliensis, adjecta priorum curis habens Andr. Alciati libellum de Plautinorum carminum ratione et lexicon Plautinum. Camerario supervenit Dion. Lambinus, collatisque libris scriptis et editis novi exempli et commentarii auctor futurus, sed studiis ejus in fabula XIII supervenit mors, opusque absolvendum reliquit Jacobo Heliæ, Græc. LL. Doctori regio Paris. Quamvis autem desiderentur in eos secundæ vel tertiæ curæ, nomen tamen Lambinianum eo valuit, ut quum primum

prodiisset 1576, Lugduni et Coloniæ 1577 et sq. Plautus Lambinianus cum commentario recuderetur; exemplum vero sequerentur Gryphiana et Petri Sanct-Andreani 1581 lectt. variantibus notisque Lambini adjectis, etc. Repetitus dein cum comm. sæpius Parisiis 1587 et 1595, in-4. Lugd. s. Genevæ 1587, 1595, 1605, 1622. Sed ex quo Janus Dousa filius, juvenis acutissimus, patris cognominis doctrina adjutus, lectionis Camerarianæ novam feliciter fecisset recensionem in Plantiniana 1589, Camerario-Dousica obtinuit in plerisque ut optima, quæ præiret ætati novæ Taubmanno-Gruterianæ ab an. 1605 adventuræ.

s. a. (1551 vel 1552) Basileæ, in-8. M. Accii Plauti Comœdiæ XX, diligenti cura et singulari studio Joachimi Camerarii Pabeperg. emendatius nunc, quam ante umquam ab ullo, editæ. Adjectis etiam ejusdem ad singulas Comœdias argumentis et annotationibus. Basileæ per Joannem Hervagium. — In Bibliotheca quidem Fabriciana, uti in recensione edd. a Pareo conscripta, hæc editio an. 1551 prodiisse dicitur. At quum Camerarius in præfatione p. 9 profiteatur, ante XVII annos Macrobium a se editum esse (is autem lucem vidit a. 1535), malumus accedere Gœtzio, qui eam a. 1552 impressam suspicatur. Usus est autem Camerarius membranis antiquis Viti Verleri Franci, quem Lipsiæ Comœdias Plautinas interpretantem audierat, deinde antiquissimis Bibliothecæ Palatinæ; et ipse dicit, nullum esse prope versiculum sine aliqua emendatione sua. Operam ejus in Plauto navatam eximie laudat Dousa Explanat. Plaut. p. 108. Cæterum hæc editio præfixa habet 1° procœmium de edit. et emend. fabb. Plautinarum ad Georg. Frid. Marchionem Brandenburg. Onoldinum, puerum tum XIII an.; 2° procemium (fabb. V 1545 editis præmissum ad illustriss. pueros Franc. Ottonem et Frid. fratres, Ernesti FF. Princ. Brunsvic. etc.; 3° dein ipsius diss. de carminibus Comicis. Fabulis singulis, quarum lectionem emendaverat, adjectæ sunt notæ, haud quidem ambitiose, sed breviter et

accurate scriptæ. Fabulas claudunt Camerarii obs. brevissima de fabulis amissis, ejusque ep. dedicatoria VI fabb. ad Franc. Crammium (equitem Brunsvic.) præmissa, et privil. Cæsar. an. 1538; at quæ ei in Bibliotheca Fabriciana adjecta dicuntur fragmenta, a Georg. Fabricio collecta, non habet certe editio hæc, in cujus prooemio tamen, præter Codd. duorum adminicula, grate laudat Georgium Fabricium, quod suum librum benevole communicarit, in quem is congesserat quidquid perquirere potuit, quod ad fabb. tam emendationem, quam explicationem pertineret; cætera omnia studii sui esse confirmat. Exemplum hujus ed. est penes Fr. Chr. Exterum Prof. et in Bibl. Gymn. Bipontini.

1554 Florentiæ, in-8. M. Accii Plauti poetæ antiquissimi Comœdiæ omnes quæ nunc exstant. Florentiæ per hæredes Bernardi Juntæ. Editio rara. Memoratur in Catalogo Bibl. Petr. Ant. Crevennæ, p. 166.

—— Lugduni, in-18, ap. Seb. Gryphium.

1558 Basileæ, in-8. Plautus ex emend. Joach. Camerarii, et cum fragmentis notisque Georgii Fabricii.

1566 Parisiis, Rob. Stephani, in-8, testante Pareo.

—— Antwerpiæ, in-18. M. Accii Plauti Comœdiæ viginti, olim a Joachimo Camerario emendatæ: nunc vero plus quam CC versibus, qui passim desiderabantur, ex VV. CC. additis, suo quodammodo nitori restitutæ; opera et diligentia Jo. Sambuci, Tirnaviensis Pannonii. Aliquot eruditæ C. Langii, Andr. Turnebi, Hadr. Junii et aliorum doctorum virorum, partim margini adscriptæ, partim in calcem rejectæ observationes. Antwerpiæ, ex officina Plantiniana, 2 voll. Præstans editio, cui et Jo. Sambucus epistola Plantino suo inscripta, et ipse Plantinus ad lectorem præfati sunt. Ille quidem literas Viennæ datas 10 kal. sept. humane et post luctum domesticum sic orditur: « Mitto, quemadmodum non tu solum, sed multi alii a me petierunt, observationes quasdam et varias in Plautum de chirographis vetustissimis et præcipue meo illo, quo Jovianus Pontanus est usus, collectas

scripturas, adeoque etiam ultra omnes aliorum editiones, ad trecentos pæne versus desideratos, quos meo, et publico meliori fato reperi. Quæ in marginibus adjeci, lectori quod probius videbitur, et ad numeros aptius, deliget, judicium cohibere ipse volui. Cæteros vero, quibus passim lacunas, et vacua, notataque asterisco loca supplevi, uti inveni scriptos, ita edo, multa sine ratione numerorum Plauto usitatorum : quod vitium librariorum negligentia huic et aliis accidit scriptoribus : qui poetas solutæ orationis ac perpetuæ in modum describebant. Ac quidem ita edere malui, ut quisque in numeros ipse cogat, quam ut nulla a me vis, vel fraus propter numeros auctoris verbis et sententiæ ea solicitudine fieret. Ac fortassis quædam conatus fuissem conjecturis etiam, et ex ingenio restituere, nisi tu editionem ursisses ». — Plantinus vero in sua præf. Antwerpiæ 1566 data porro suam edit. tradit auctam esse Car. Langii liberalitate, qui Plauti priores Com. cum tribus MSS contulerat, ex Adr. Turnebi Adversariis et transmissis sibi ab Hadr. Junio Observatt. illisque Gifanii : hinc variæ lectt. in quibus Langii exemplaria consentiunt Sambucianis, margini adscriptæ, cæteræ Langii, Turnebi, Junii et Gifanii in calcem rejectæ reperiuntur.

—— Argentorati, in-8, cum præf. Jo. Sturmii.

1568 Basileæ, in-8, ex offic. Hervag. per Euseb. Episcopium : cum annotation. Camerarii et præf. Jo. Sambuci. Pareus eam Cælii Secundi Curionis esse dicit.

1576 Lutetiæ, fol. M. Accius Plautus ex fide atque auctoritate complurium librorum manuscriptorum opera Dionys. Lambini Monstroliensis emendatus : ab eodemque commentariis explicatus, et nunc primum in lucem editus. Adjecta sunt Plautina loca ex antiquis grammaticis collecta : et ex commentario antiquarum lectionum Justi Lipsii multorum Plauti locorum illustrationes et emendationes. Lutetiæ, apud Joan. Macæum. In fine : « Excudebat Jo. le Blanc junior, impensis Jo. Macæi 1576 ».—Lamb. hanc editionem

non ad finem perduxit, operi immortuus ad Comœdiam XIII: unde ejus collega, Jac. Helias, professor Græcæ linguæ regius, eam ex autographo defuncti absolvit, qui et sua multa ad eam ornandam contulit. Utriusque opera quantum placuerit eruditis, ex crebris ejus repetitionibus colligere licet. Cf. *de Bure* l. c. n. 2569.

1577 et 1578 Lugduni, fol. M. Accius Plautus ex fide atque auctoritate complurium manuscriptorum opera Dionys. Lambini Monstrol. emendatus : ab eodemque commentariis explicatus. (Cætt. ut in titulo ed. præcedentis.) Nunc denuo plurimis, quæ in priorem editionem irrepserant, mendis expurgatus, multisque in locis in gratiam antiquariorum illustratus. Lugduni, expensis Guilelmi Hertmann. Vid. Harlesium l. l. pag. 210, qui hanc parum differre ab editione priori profitetur.

1578 Coloniæ, fol. Plautus ex emendatione Dion. Lambini. Acc. loca Plautina ex antiquis Gramm. delecta et emendationes locorum multorum Plauti, ex antiquis lectt. J. Lipsii. — Sic est in Catal. Bibl. Schwarzianæ Altorfii 1753 divenditæ P. I, p. 103, n. 1724. Sed ap. Hambergerum in zuverlæssigen Nachrichten, etc. t. I, p. 376 ei assignatur annus 1577, et venalis esse dicitur ap. Guil. Hertmann, qui ed. partitus videtur.

1581 Lugduni, ap. Ant. Gryphium, in-8. Plauti Comœdiæ XX: variæ lectt. ac notæ ex D. Lambini aliorumque doctiss. virorum commentariis suo quæque loco adscriptæ. Servatur in Bib. Ducali Bipont.

—— Ap. Petr. Sant-Andreanum, in-8, cum variis lectt. et notis Lambini; quæ vel Genevensis vel Heidelbergensis dicitur.

1587 Parisiis, fol. Lambini, ap. Macæum.

—— Lugduni, in-4, apud Sanct-Andreanum, Lambini. Haud diversa videtur a seq.

—— Genev. in-4. Eadem: quam refert Fabricius.

1588 Antwerpiæ, in-32. M. Acci Plauti Comœdiæ viginti.

Ex officina Christophori Plantini. Editio Sambuci repetita ex priori 1566.

1589 Antwerpiæ, in-12. Ex recensione et cum brevibus animadversionibus Jani Dousæ F.

—— Lugduni, in-12. Eadem cum priori.

—— Francofurti, in-12, ex rec. Jani Dousæ.

(1592) Janus Gruterus Plautum castigatum ad Codd. Palatinos, ita edidisse refertur a Fabricio etiam Ernestino, et Harlesio, ut Comœdias actibus et scenis versuumque numero rectius distinxerit. Sed neuter indicat, ubi et qua forma prodierit, neque nobis credibile, Gruterum id temporis jam in Plauto edendo versatum esse; quod certe ipsius amici et laudatores Balth. Venator, Consil. Bipont. Frid. Herm. Flayderus, Prof. Tubing. non tacuissent; unde nec in Indice operum ejus, binis istis oratt. quæ Gruteri Excurs. polit. in Tacitum notisque politicis in Livium ex Museo Chr. Frid. Franckenstein editis Lips. 1679 recusæ leguntur, adjecto quidquam de tali editione memoratur. Denique ipse Gruterus sub finem præfationis dedicatoriæ, editioni suæ Plauti cum Comm. Taubmanni an. 1621 præmissæ, scriptæque kal. jan. 1620, de se profitetur: « Ante triginta quidem annos (quum ederet suspicionum libros) non indiligens fueram in hujus Fabulis, multaque minime protrita ad eas annotaveram, ex MSS, ex Edd. Vett., ex cimeliis benevolentium: sed ita ut in publicum produci non paterer; veritus, etc. » et Taubmannus in ed. I Plauti sui an. 1605, sibi a Grutero notas MSS excerptaque non modo ex Codd. MSS olim Camerarii, nuper Bibl. Palat. illatis, sed et ex septem Palatinis aliis in hunc usum transmissas esse. Nulla igitur antea exstitit editio Plauti Gruteriana.

1593 Lugduni Bat. in-12, apud Rapheleng.

—— Francofurti, in-12. Comœdiæ M. Accii Plauti viginti a Joach. Camerario et Joan. Sambuco olim emendatæ: nunc vero adjectis eruditis C. Langii, Adr. Turnebi, Hadr. Junii et aliorum doctorum virorum observationibus nitori

suo restitutæ. Additi sunt plus quam 300 versus, qui passim desiderabantur. Editio cæteris longe correctior. Francofurti, apud Joannem Wechelum, sumtibus Nicolai Bassæi. Repetita ex editione Sambuci Plantiniana.

1594 et 1595 Lugduni Bat. ex off. Plantin. in-12, ex recensione J. Dousæ patris et filii.

1595 Genevæ, in-4, cum Comm. D. Lambini. ap. D. Vignon.

—— Coloniæ.

—— Parisiis, in-4, c. n. Lambini.

—— Lugduni Bat.

1597 Neapoli Nemetum (h. e. Neostadii ad Hartam), in-4. Jo. Phil. Parei Electa Plautina, in quibus velut thesauro quodam antiquitatis, quidquid est rerum memorabilium rituumque Romanorum, in Comicorum principe M. Accio Plauto, sub universales titulos locorum communium refertur: varii item auctores, qua Græci, qua Latini, passim illustrantur et explicantur. — Referimus hunc librum Parei ob tragœdias ex II ejus editione an. 1617, et ex editionibus Plauti æmulis Gruteri et Parei coortas. Cf. infra sub æt. IV.

1598 Francofurti, in-8 min. ex rec. Dousæ.

Ibid. an 1602, in-8. Dousæ Plautinæ explanationes prodierunt.

1599 Lubecæ, in-12, cum notis Dousæ.

—— Neapoli, in-4. Comœdiæ XX.

1603 Genevæ, in-4, in Corpore poetarum Latinorum.

—— Lugduni Bat. in-24. Raphelengii.

1604 Francofurti, in-12, ex rec. Dousiaca, recens magno studio et accurata diligentia editæ.

1605 Aureliæ Allobrogum (Genevæ), in-4. Ex recensione et cum Comm. D. Lambini — typis Vignonianis. Est penes G. C. Crollium.

ÆTAS IV 1605—1664.

CAMERARIO - GRUTERIANA.

Frid. quidem Taubmannus, Prof. Wittenbergensis, post priores omnes Plauti editores et interpretes, et quicunque aliquid boni ad ipsum contulerant, laudem Eclogarii occupaturus, textum Camerario-Dousiacum expressit, sed Jani Gruteri, bibliothecæ Heidelbergensis præfecti ope et auxilio fultus, etiam collationes cum duobus MSS Camerarii Bibl. Palatinæ nuper adjectis, aliisque VI Palatinis, notasque scriptas inseruit commentario suo in Plautum an. 1605 publicatum; quem sic jure Taubmanno-Gruterianum vocamus; cujus quidem primæ edit. vitiosius exscriptæ quum Taubmannum puduisset, et Phil. Pareus ejus studium æmulatus Plautum suum edidisset an. 1610, Taubmanniana altera an. 1612 accuratius expressa est, cui vix annum supervixit auctor. Jam Pareus, gloriæ Gruteri et Taubmanni invidus, eosdem libros MSS conferendi copiam nactus, quum superstitiose satis eos tractasset, alteram suam edit. an. 1619 prodire jussit, quæ derogaret de fide et ingenio Gruteri, et manibus Taubmanni insultaret. Hinc jurgium, tumultus, Grutero et Pareo, illi quondam præceptori, huic discipulo. Hinc Gruterus tertiam, eamque ex recognitione suam, cum Taubmanni Comm. an. 1621 mendose satis edidit. Fatum demum Gruteri senio et ærumnis venerandi, Pareus supercilii multi homo supcraverat XIV annos, quum ann. 1641 editionem Plauti sui, tertia cura emitteret, quam ipse vocat absolutissimam, perfectissimam, omnibusque virtutibus suis ornatissimam, addimus et vitiosius exscriptam. Talia bella gessere critici in summa patriæ calamitate. Quanto modestius antea rem Plauti gesserat Camerarius, quam duumviri isti, quorum alter, Gruterus, spicilegium fecerat, unde alter a Camerario Plauti sospitator Taubmanno sibique in præloquio Amphitruonis dictus est, alter Pareus, quamvis

40.

multa bene invenerit, stipulas legendo præter modum se jactabat. Gruterus vulgo palmam fert in criticis : Pareus multo studio sapientiam Plautinam suam fecisse videtur, hinc et notæ ejus perpetuæ et Lexicon Plautinum et Electa Plautina haud contemnendum usum habent. Præter hosce viros in Plauto edendo versati sunt Isaacus Pontanus ab an. 1620, Nic. Heinsius ab an. 1635, Aug. Buchnerus ab an. 1640; quorum leviorem operam facile vicit studium haud infelix M. Zuerii Boxhornii, qui an. 1645 Plautum edidit c. n. varr. recusum 1662.

1605 Taubmanni I, in-4. M. Acci Plauti lat. Comœd. facile principis fabulæ XX superstites, cum novo et luculento Commentario doctorum virorum, opera Friderici Taubmanni, Professoris Acad. Accessit Index locupletiss. qui Romanæ et cruditæ antiquitatis quidam sit velut thesaurus. Cætera, quæ Lectorem præscire magnopere interest, docebit præfatio. — Apud Zach. Schurerum Bibliopol. In fine libri post insignia typographi legitur: «Excudebat Wolffgangus Meissnerus. An. MDCV.» Inscripta vero est Triumviris Reip. liter. Jos. Scaligero, J. Lipsio et Is. Casaubono. Sequitur præf. VIII pagg.— Plauti fabb. excipiunt Fragmenta et Supposita : inde vett. et novitiorum de Plauto testimonia : dein Index. Wittenbergensis hujus editionis, indiligentius, typis, quod ad notas attinet, justo minoribus, Græcis præsertim fugientibus exscriptæ, mendorum plenæ, ipse editor se pudere scribit in literis ad Jungermannum datis prid. kal. sept. 1606, et ad Pareum d. 17 Mart. 1610 datis.

1609 Plauti Com. in-12 exstabat in Bibl. clar. Car. Buttinghausenii, Prof. Heidelb. p. 286.

1610 Francofurti, in-12. M. Acci Plauti Comici fabulæ superstites XX. Ex recensione Dousiaca, recens magno studio, et quanta fieri potuit, accurata diligentia editæ. Francofurti, apud Nicol. Hoffmannum, impensis Petri Kopffii.

—— Genevæ, in-12. M. Acci Plauti Comœdiæ viginti. Variæ lectiones, ac notæ ex D. Lambini aliorumque doctis-

simorum virorum commentariis, suo quæque loco adscriptæ. Perspicua item in singulas Comœdias argumenta. Genevæ apud Jacobum Stoer.

—— Francofurti, in-8 maj. Parei I. M. Acci Plauti Sarsinatis Comœdiæ XX superstites. Jo. Philippus Pareus, Dav. fil., restituit et notis perpetuis illustravit. Accessit præter alia emendatæ huic editioni Plautus Hypobolimæus, hoc est Gildæ Sapientis Britanni Querolus, sive Aulularia. Francofurti, impensis Jonæ Rhodii. Idem editor 1614 Lexicon Plautinum, et 1617 Electa Plautina publicavit.

1611 Salmuri, in-12, in Plauti Comœdias Animadvers. Franc. Dissaldei.

—— Genevæ, in-4, in Corpore poetarum Latinorum.

1612 Wittebergæ, in-4. M. Accii Plauti Comœdiæ XX superstites : nunc denuo post omnium editiones ad fidem meliorum Codd. et inprimis vetustiss. MSS Camerarii, seu Camerario-Palatinorum, ut et doctissimorum virorum curas accuratius exactæ, et novis commentariis illustratæ : in quibus præter omnes omnium hujus superiorisque ævi doctorum emendationes interpretationesque passim editas, quam plurima e bibliothecis, sed et variorum privatis neque dum juris factis libris et literis, nunc primum collecta et explicata producuntur : Plautina item fragmenta ad similem faciem concinnata et Plauto denique supposita : omnia studio et industria Frid. Taubmanni, Franci. Additi sunt indices rerum et verborum locupletissimi, qui linguæ Latinæ et doctæ antiquitatis quidam thesauri fuerint. Apud Zachar. Schurerum, typis Jo. Gormanni. — Præter in hoc titulo memorata, in calce adjuncta est Joach. Camerarii de fabulis Plautinis dissertatio, et Jul. Cæs. Scaliger de versibus comicis. Huic editioni Taubmannianæ II, prima et III accuratiori, etiam Gruterus in ep. ad Piccartum t. IV Amœnitt. literar. Schelhornii p. 532 se ultimam manum imposuisse an. 1618.

1613 Witteb. in-12. — Comœdiæ XX superstites ad ma-

jorem illam et noviss. Taubmanni editionem fideliter repræsentatæ. Apud Zachariam Schurerum.

1615 Magdeburgi, in-8. In Plauti Trinumum comm. Henningi Succovii.

1616 Lugduni, in-4, in Corpore poetarum Latinorum.

1617 Francofurti, in-12, c. n. Gruteri.

—— Neapoli Nemetum (Neostadii ad Hartam), in-4, Phil. Parei Electa Plautina; editio II. Cf. supra ad an 1597. Bilem hæc adeo concitaverant Jano Grutero (qui Pareo iterum Plautum suum, eumque cum MSS Pall. collatum, edere volenti potius consuluerat, ut Taubmannianæ II adhæreret. Cf. Gruterum ad Piccartum in Schelhornii Amœnitt. lit. t. IV, p. 432), ut gravius librum ejusque auctorem perstringeret, tum in Ἀντιλήψει Erfordiana, tum in libello, qui inscribitur: « Asini Cumani Fraterculus e Plauti Electis electus per Eustathium Schwarzium puerum, 1619, in-12 ». Respondit Pareus non minus acerbe in Provocatione ad Senatum criticum, adversus personatos quosdam Pareomastigas, Francof. 1620. An 1614 Pareus etiam Lexicon Plautinum vulgaverat Francofurti, in-8, quod secundis curis auctius prodiit Hanoviæ 1634, in-8. Opus quidem utile studiosis, sed omnium aliorum compilasse arguitur sapientiam, quasi si ipse invenerit omnia unus Plauti sapiens.

1619 Neapoli Nemetum, Parei II, in-4. M. Accii Plauti Comœdiæ XX superstites ex solis MSS Codd. Palatinæ Bibliothecæ antiquitati suæ fideliter restitutæ, ac notis tam practicis quam criticis sedulo illustratæ confirmatæ, cura Jo. Phil. Parei. — Qui etiam subjecit fabulam prorsam, quæ inscribitur Querolus sive Aulularia, quæ diversa est ab Aulularia Plautina. — Editor nimia sui laboris jactatione, et insectatione studii Grutero-Taubmanniani, denuo irritavit Gruterum adeo, ut ei opponeret mox editionem suam novam cum præfatione conviciorum plena. Cæterum Pareanam hanc a Jo. Gravio collatam cum MSS et passim castigatam

in Bibl. Jo. Mori, Eliensis in Anglia Episcopi, fuisse refert B. L. Fabricio-Ernestina.

—— Lugduni Bat. et Amstel. in-24, ex rec. Phil. Parei, 2 voll. Cf. Catal. Bibl. Thuani, P. II, p. 283 ed. Hambourg.

—— Cothenis Anhaltinorum, in-8. M. Accii Plauti Comœdiæ viginti ad didacticam recensitæ. Cum tribus Indicibus (sententiarum, vocabulorum et phrasium)?

1620 Amstel. in-24. Plautus ex museo Jo. Isaaci Pontani; (qui MS Anglicanum contulit).

1621 Wittebergæ, in-4. Gruteri et Taubmanni III. M. Acci Plauti Comœdiæ ex recognitione Jani Gruteri, qui bona fide contulit cum MSS Palatinis. Accedunt commentarii Frid. Taubmanni auctiores; item indices rerum et verborum necessarii. Apud Zachar. Schurerum, Bibliopol. Anno Domini MDCXXI. Inscripsit Gruterus hanc editionem Jacobo van Dyck, Suecico tum ablegato ad ordines Belgii liberi kal. jan. 1620. Insequitur Christoph. Pflugii typographei Schureriani præfecti præfatio in Lectorem (quam invectivam in Philip. Pareum scripsit ipse Gruterus). Excipiunt de Plauto et ejus scriptis vett. Auctorum testimonia; Euphemiæ amicorum in Plautum Gruteri. Omissa vero est Taubmanni præfatio. Fabulas ipsas et commentarium a Grutero auctiorem sequuntur Fragmenta Plautina et Supposita c. n. tum Joach. Camerarii, 1° de fabb. Plautinis diss. ad aliquot principes Germaniæ, præmissa V fabb. an. 1545; 2° epist. ad Franc. Crammium, præmissa VI fabulis sub idem tempus editis; 3° de Carminibus comicis: tum Jul. Cæs. Bulengeri descriptio theatri Romani et Græci, et literatura miscellanea; tandem Index. Est igitur hæc editio perfectior, quam II Taubmanni, sed non pari accuratione expressa. Curata scilicet est ab irato Grutero, et sub initium perturbationis ab electione Friderici V Septemviri Pal. in Bohemiæ regem futuræ. Retulit autem Pareus paria paribus in Analectis Plautinis, eaque maligne subjunxit etiam post Gruteri mortem

hujus thesauro critico VI voluminibus constanti, instar vol. VII, Francof. 1634.

1622 Coloniæ Allobrogum (Genevæ), in-4, ap. Samuel. Crispinum. M. Accius Plautus ex fide atque auctoritate complurium librorum MSS, opera Dionys. Lambini Monstroliensis emendatus: ab eodemque commentariis explicatus. Nunc denuo plurimis, quæ in præcedentibus editionibus irrepserant, mendis repurgatus: multisque in locis in gratiam antiquariorum illustratus. Additi quoque sunt duo Indices copiosissimi: prior verborum, locutionum et sententiarum; posterior, eorum quæ commentariis D. Lambini continentur.

1629 Amstelod. in-16, ap. Guill. Jansson.

1630 ibid. ap. eumd. Isaaci Pontani, repetita ex ed. 1620.

1635 Lugduni Bat. in-12, ex rec. Nic. Heinsii.

1640 Wittebergæ, in-12, ex rec. Aug. Buchneri (viri quidem diserti, sed ad criticam artem parum exercitati).

—— Amstelodami, ap. Joan. et Corn. Blaeu. in-16. M. A. Plauti Comœd. superst. XX ad doctissimorum virorum editiones repræsentatæ. — Plauto post p. 640 subjuncta est vita ex Petr. Crinito et Lilio Gyraldo desumta, quam excipiunt veterum de eo testimonia.

1641 Francofurti, in-8. M. Acci Plauti Sarsinatis Umbri Comœdiæ XX superstites: et deperditarum fragmenta. Philippus Pareus tertium recensuit, ac notis perpetuis illustravit. Accesserunt præter Gildæ Sapientis Querolum, etiam Animadversionum ablegmina. Editio absolutissima. Francofurti, vænit in officina librarii Philippi Jacobi Fischeri, cujus sumptibus prodiit. An. CIƆIƆCXLI. In fine: « Hanoviæ, in typographeo Abrahami et Joannis Aubriorum an. CIƆIƆCXLI ». Dedicatoriam epist. et præf. in qua sibi ipse mirum quantum gratulatur, sequuntur 1° Εὐφημίαι doctorum Virorum in D. Phil. Parei labores Plautinos; 2° Phil. Parei de vita, obitu et scriptis M. Acci Plauti Sarsinatis Umbri diss.; 3° in Plautum elogia; 4° Phil. Parei de metris Comicis ac præcipue Plautinis comm. methodica; 5° Diatribe de

Jocis et Salibus Plautinis ex Thurni Annittæ Speculo poetarum concinnata et amplificata studio Philip. Parei; 6° Συνέμπτωσις s. imitatio Plautina ex antiqq. Græc. juxta atque Latinorum scriptis passim instituta. Hisce præmissis, fabulæ ipsæ c. n. perpetuis (ad marginem et sub pagina) exhibentur; dein Fragmenta notis Parei illustrata; tum Aulularia prorsa s. Gildæ Sapientis Britanni Querolus, recensente Ph. Pareo; tum Animadversionum in Comœdias XX Ablegmina ex Phil. Parei justo et amplo Animadv. volumine ad lectionem fulciendam, defendendam; quibus Index Sospitatorum Plautinorum h. e. Gramm. vett. Cod. MSS, partim ab ipso Pareo, partim ab aliis collatorum, Editionum, et Criticorum recentiorum præmittitur.

1642 Parisiis, fol. Lambiniana.

1645 Lugduni Bat. in-8, cum notis variorum; studio M. Zuerii Boxhornii, ex offic. Hackiana. Contigit editori a Nic. Heinsio exemplar manu Jos. Scaligeri notatum.

1650 Amstelodami, in-16, Isaaci Pontani, rep. ex ed. 1620.

1652 Francofurti et Wittebergæ, in-12. M. Acci Plauti Comœdiæ XX superstites, ex recensione Aug. Buchneri, cum Indice vocum verborumque veterum, minusque usitatorum. Francof. et Witteb. sumtibus heredum D. Tobiæ Mevii et Elerdi Schumacheri. Typis Casp. Rotelii.

—— Amstel. in-16, typis Lud. Elzevirii.

1658 Lutetiæ Parisiorum, in-8, IV voll. M. Acci Plauti Comœdiæ in quatuor Tomos digestæ. Ex recognitione Francisci Gujeti Andini, opera et studio Michaelis de Marolles, Abatis de Villeloin. Cum ejusdem interpretatione Gallica. Lutetiæ Parisiorum, apud Petrum l'Amy, in secunda columna majoris aulæ Palatii ad insigne Magni Cæsaris. — Quis non novit Gujeti in recognoscendis Auctoribus temeritatem?

1659 Francofurti et Wittebergæ, in-8, ex recensione Aug. Buchneri.

1661 Amstelodami, in-12., ex rec. Nic. Heinsii.

1662 Lugduni Bat. in-8. Boxhornii cum notis varr. repetita.

ÆTAS V 1664 — 1788.

GRUTERO-GRONOVIANA.

Scilicet Jo. Frid. Gronovius Gruteri post Camerarium et Dousam emendatæ lectioni insistens, VI aliis MSS collatis, post Boxhornium aliam ed. c. n. Varr. edidit, textum pro judicio suo, nescio an ab ingenio Plauti alieno, correctum præivit ætati, cui nomen Gronovianum pro auctoritate coli visum est; quamvis notæ ab eo congestæ habeantur indignæ Plauto, et a Rich. Bentleio, critico et temerario et in alios severo, senariorum versuum rationem non satis perspectam habuisse arguatur in Emendd. Criticis ad Menandrum p. 54. Editionibus Gronovii ipsius 1664 et 1669 tertia 1684 præstantior habetur. Sed Jac. Operarius, Plauti in usum Delphini editor, 1679 Gruterianam III, s. ab ipso Grutero correctore 1621 editam, sibi imitandam sumsit, nisi quod argumenta nova eaque ampliora, ex quo series fabulæ historica arsque Poetæ cognosceretur, ipse a se scripta non modo fabulis integris, sed et earum actibus præmiserit; cætera cum Delphinianis edd. communia, nihil egregii habent, præter quod in notis Taubmanno magis, quam Lambino, et scriptis ad oras ed. Sambuci Plantinianæ notis Jac. Corbinelli, Florentini, propræceptoris olim Delphini, usus est. Has Operarii notas in Amphitr. Captiv. Epidic. et Rud. reddidit in Anglia Sam. Patrick an. 1723. Majorem laudem in Plauto emendatius edendo invenere fratres Jo. Ant. et Hieron. Vulpii an. 1725 et 1764, si sequuntur maxime Taubmannianam Gruteri, cui fere Gronoviana 1684, et Londinensis Mich. Maittarii 1711 et Berolinensis J. P. Mülleri 1755 assentiuntur. Parisiensis 1759 typorum elegantia commendatur fere una. Lipsienses 1760

Gronovianam reddidere c. præf. Jo. Aug. Ernesti. Nos in prima ed. nostra 1779 emendatiorem Patavinam eamque alteram an. 1764 cum judicio sequuti eramus. Neque igitur tanti erat Gronovii cura, ut ejus nomen supponeretur huic ætati.

1664 Lugduni Bat. in-8. M. Acci Plauti Comœdiæ. Accedit commentarius ex variorum notis et observationibus. Quarum plurimæ nunc primum eduntur. Ex recensione Jo. Frederici Gronovii. Lugd. Bat. ex officina Hackiana.

1669 Lugd. Bat. et Roterod. in-8. II voll. Jo. Fred. Gronovii secunda, ex officina Hackiana.

1679 Parisiis, in-4, II voll. M. Accii Plauti Sarsinatis Comœdiæ viginti et fragmenta. Argumentis fabularum omnium, actuum et scenarum novis, interpretatione, notis, et indice vocabulorum omnium, eorumque usus illustravit Jacobus Operarius...in usum Ser. Delphini. Parisiis, apud Fred. Leonard. — Fundus est contextus a Grutero refictus. Operarius testatur se usum fuisse ineditis notis Jac. Corbinelli Florentini, ad oras editionis Plauti a Sambuco factæ manu adscriptis.

1683 Parisiis, c. versione Gallica et notis Annæ *le Fèvre*. Exhibet vero Amphitryonem, Rudentem et Epidicum.

1684 Amstelodami, in-8. Jo. Fred. Gronovii tertia, ex typographia Blaviana, II tom. Editio hæc præstantior habetur, quam Gronovianæ priores 1664 et 1669.

1691 Parisiis, in-12. Comédies de Plautes, traduites avec le latin à côté, et des remarques par A. le Fèvre, III voll.

1711 Londini, in-8. M. Acci Plauti Comœdiæ, in duobus voluminibus, Londini, impens. Jac. Tonson. II voll. Quam editionem curavit Mich. Maittaire.

1713 Londini, fol. inter Opera et fragmenta veterum poetarum Latinorum profanorum et ecclesiasticorum duobus voluminibus comprehensa, cura Mich. Maittaire. B. Tooke et Jac. Tonson.

—— Amstelodami, in-8. Captivi, cum versione Gallica Petri Coste.

1716 Eadem ibid. in-12.

1719 Lugduni, in-12. Comédies traduites avec des notes par Gueudeville. X voll.

—— Amstelodami, in-8, l. 12. OEuvres en latin et français, par de Limiers, X voll.

1721 Amstelodami, in-16, ap. R. et G. Wetstenios. M. Acci Plauti Comœdiæ superstites XX, ad ultimam editionem Jo. Frid. Gronovii accuratissime expressæ.

1723 Londini, in-8 maj. Amphitruo, Captivi, Epidicus et Rudens cum Jac. Operarii notis, recus. cura Sam. Patrick.

1725 Patavina I, in-8. M. Accii Plauti Comœdiæ superstites viginti; cum fragmentis deperditarum. Patavii. Excudebat Jos. Cominus.

1726 Hagæ Com. in-8, X tomis; c. vers. Gallica per Gueudeville.

1740 Amstelædami, in-8. Jo. Fred. Gronovii Lectiones Plautinæ nunc primum editæ. Accedit vita auctoris. Amst. apud Jo. Haffman.

1742 Venetiis, in-4. M. Acci Plauti Miles gloriosus, cum commentario P. Lacermi (Jos. Bartholi) et ejusdem fabulæ interpretatione Italicis versibus concinnata. V. Menkenii Bibl. Catalog. I, pag. 303.

—— Cellæ, in-8. Aulularia, cum versione Germanica Kayseri.

1755 Berolini, in-8, ed. J. Petr. Miller, III voll.

1759 Parisisiis, in-12, III voll. M. Accii Plauti Comœdiæ quæ supersunt. Paris. typis Jo. Barbou.

1760 Lipsiæ, in-8 maj. II voll. M. Acci Plauti quæ supersunt Comœdiæ, cum commentario ex variorum notis et observationibus, ex recensione Jo. Frederici Gronovii. Accessere ex ejusdem Lectionibus Plautinis notulæ asterisco notatæ. Cum præfatione Jo. August. Ernesti. Lipsiæ, impensis Gotth. Theoph. Georgii. Impressit Udalr. Christ. Saalbach CIϽIϽCCLX.

1763 Glasguæ, in-12, III voll. Editio nitida.

1764 Patavinia II, in-8, II voll.

1765 Florentiæ, in-8. Pseudolus, cum versione Italica.

1779 et 1780. Biponti, in-8, II voll. M. Accii Plauti Comœdiæ superstites viginti, ad optimas editiones collatæ. Accedit Index rarioris et obsoletæ latinitatis. Studiis societatis Bipontinæ. Editio accurata. Biponti, ex typogr. Ducali.

1788 Eadem ex recensione Ric. Franc. Phil. Brunckii.

—— M. A. Plauti comœdiæ ex recensione J. Ant. Vulpii. 4 voll. in-8.

1789 M. Acc. Plauti Rudens, in-8, ed. F. V. Reizio Lipsiæ.

1800 Trinummus ex recensione God. Hermanni. Lipsiæ.

1804 M. A. Plauti quæ supersunt comœdiæ ac deperditarum fragmenta recensita a Benj. Frid. Schmieder. II voll. in-8. Gœtting.

—— Miles gloriosus; cum proœmio et notis var. selectis suisque, ed. J. T. L. Danz. Vinariæ.

—— Captivi; cum commentario germanico. Ed. A. C. Borheck. Hamb. in-8.

1809-1811 Comœdiæ Plauti, ed. Henr. Frid. Bothe Berolini, 4 voll. in-8. Certe non prætereunda editio, sed non caute non adeunda.

—— Captivi et Menæchmi; cum notis var. ed. Mensel. Vratislav.

1815 Captivi, in-8, ed. Bosscha. Amstelodami.

—— M. Acci Plauti fragmenta inedita; item ad P. Terentium commentationes, et picturæ ineditæ, inventore A. Maio, Mediol. fol. — Repetita ad calcem ed. Plaut. stereot. Tauchnitz. Lips. 2 vol. p. 483-498.

1823 Comœdiæ tres: Captivi, Miles gloriosus, Trinummus ed. Frid. Lindemanno, in-8. Lipsiæ.

1830 M. A. Plauti Fabulæ. Ad optimos libros partim non antehac collatos emendatæ. Accesserunt observationes criticæ et grammaticæ. Studio Frid. Lindemanni. Vol. 1, p. 3. Trinummus. Lips.

VERSIONES.

GALLICÆ.

1658 Les Comédies de Plaute, avec des remarques en latin et en français, par Michel de Marolles. A Paris, chez Pierre l'Amy, IV vol. in-8.

1683 Trois Comédies de Plaute, traduites en français, avec le texte latin et des remarques, par Anne le Fèvre (depuis madame Dacier), à Paris, 3 vol. in-12. — Tomus I continet Amphitryonem; II Epidicum; III Rudentem.

1691 Eadem repetita Amstelodami, 3 vol. in-12.

1713 Les Captifs, Comédie de Plaute, traduite en français, avec des remarques par Pierre Coste. A Paris, in-12. — Repetita Amstelodami 1716.

1719 Les OEuvres de Plaute, en latin et en français. Traduction nouvelle, avec des remarques et un examen de chaque pièce selon les règles du théâtre; par M. Henry-Philippe de Limiers, avec figures. A Amsterdam, 10 vol. in-12.

—— Les Comédies de Plaute, nouvellement traduites en style libre, naturel et naïf, avec des notes et des réflexions ajoutées, de critique, d'antiquité, de morale et de politique, par M. de Gueudeville. Enrichi d'estampes en taille-douce à la tête de chaque tome et de chaque comédie. A Leyde, 10 vol. in-12.

1726 Eadem repetita Hagæ Com. X voll. in-12.

1803 Mostellaria interprete Dotteville.

1820 Les Comédies de Plaute, trad. par J. B. Levée; dans le Théâtre complet des Latins. 8 vol. in-8. Paris, 1820-1821.

ANGLICÆ.

1694 Londini, in-8. Anglice versæ prodiere Amphitruo, Epidicus et Rudens, cum notis criticis, teste Fabricio.

1767 The Comedies of Plautus, translated into familiar blank verse, by Bonell Thronton. M. B. II vol. in-8. — Volumen I habet Amphitruonem, Militem gloriosum et Captivos; II continentur Trinummus, Mercator, Aulularia et Rudens.

1773 Comedies of Plautus, translated into familiar blank verse (by Richard Warner), vol. III et IV, in-8.— Duobus his voluminibus Warnerus Thorntoni versionem continuavit, et absolvit. Utraque versio laudatur. Textui subjectas habet breves variorum et Warneri notas.

HISPANICÆ.

1515 Cæsaraugustæ. Amphitruo, interprete Francisco de Villabos, Archiatro Caroli V. Repetita Samoræ 1543, et Hispali 1574.

1554 Antverpiæ. Miles gloriosus et Menæchmi.

1585 Cordubæ, in-4. Amphitruo, interprete Ferdinando Perez de Oliva; inserta ejusdem Operibus. Titulum præfert: « Muestra de la lengua Castellana en el nancimiento de Hercules o Comedia de Amphitryon, tomado el argumento de la Latina de Plauto ».

ITALICÆ.

1526 Venetiis, in-8. Il Penolo e Menechmi, trad. in ling. volg.

1742 Venetiis, in-4. Miles gloriosus. Vid. ed. h. a. Alia Militis versio Italica, auctore Cælio Calcagnino, laudatur Fabricio.

1763 L'Aulularia di Plauto tradotta in verso Toscano. Pisa, in-8. Auctor est Laurentinus Guazzesi, Inspector fossarum Pisæ.

1765 Il Pseudolo Comedia di M. Accio Plauto tradotto in versi Italiani (de Giuseppe Torelli). Italiano e Latino. Si aggiunge la Traduzione d'alcuni Idillj di Theocrito e di Mosco. Greco e Italiano. Firenze, in-8. Vid. Catalogue de Crevenna, Vol. III, p. 167.

GERMANICÆ.

1535 Magdeburgi, in-8. Aulularia, auctore Joachimo Greff, Zwiccaviensi.

1582 Captivi, interprete Martino Hayneccio.

1608 Amphitruo, interprete Wolfartho Spangenberg.

1742 Cellæ, in-8. Aulularia, auctore Kaysero.

1750 Captivi, in Beytrægen zur Aufnahme des Theaters Stuttgard, in-8. Part. II.

1765 Cellæ, in-8. Aulularia in unum Actum contracta, auctore Steffens, cum textu Latino.

1767 Rudens et Trinummus, interprete Jo. Eustach. Goldhagen. Vid. Goldhagens Griechische und Roemische Anthologie in Deutschen Uebersetzungen I u. II Theil, Brandenburg, in-8.

1768 Captivi, Menæchmi, Rudens et Trinummus, auctore Leone Lipsio. Vid. Eclogæ Plautinæ, oder vier Lustspiele aus dem Plautus, Schmalkalden, in-8.

1769 Pseudolus, interprete C. H. Schmidt. Vid. Schmidts Biographie der Dichter, I Band, Leipzig, in-8.

1797 Captivi interprete Boreck. in-8, Hamburgi.

1806 M. A. Plauti Comœdiæ metrica oratione conversæ a C. Kuffner Vindobonæ.

1806-1809 M. A. Plauti Comœdiæ interprete Danzio, 3 voll. in-8. Lipsiæ.

1809 Aulularia, Captivi, Cistellaria, Mostellaria interprete Sam. Kœpke, in-8. Berolini.

1809-1820 Plauti comœdiæ prosa oratione conversæ ab eodem, II vol. in-8. Berolini.

BELGICA.

Belgicam aliquot Plautinarum Comœdiarum versionem edidit Janus Hautenus, in quam exstant hendecasyllabi Justi Lipsii in ejus Poematis num. 17.

DANICA.

1807 Aulularia interprete Hagh Guldberg Hafniæ.
1812 Comœdiæ Plauti interprete eodem, 8 voll. in-8.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC TERTIO ET ULTIMO PLAUTI VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS TERTII ET ULTIMI VOLUMINIS.





